HOMO INTERIOR

JUXTA DOCTORIS ANGELICI DOCTRINAM,
Necnon Sanctorum Patrum expositus,
Ad explodendos errores
MICHAELIS DE MOLINOS,
Damnatos Anno Domini 1687.

AUCTORE
R. P. M. FR. DOMINICO RICCI CAFATINO,
Provinciæ S. Catharinæ Senensis, Ord. Prædicatorum, & Conventus Jesu
Mariæ Filio, Sanctiq; Vincentii de Neapoli, Academico celeberrimæ,
ac nobilissimæ Academiæ Incultorum, sub nomine Antocnontis.

SECUNDA PARS.



BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

NEAPOLI MDCCXI.
SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISS. DOMINO

D. CAROLO CARAFA

PATRITIO NEAPOLITANO

Madaluenſium Duci, Marchioni Argentii, Comiti Cerreti, Principi Guardiæ, Sanframunti, Utili Domino Civitatis Sanctæ Agathæ Gotorum, Pontis Iandulphi, Sancti Laurentii Majoris, Sanctique Laurentii Minoris, Petreroiæ, Civitellæ, Sancti Salvatoris, Venerum, Maſſæ ſuperioris, & inferioris, Caſtrique Cancelli, &c.

ALexander ille Macedo (de cujus magni Nominis, celebriumque geſtorum; ceù tonitrui ſonitu perterrefacta obmutescens ſiluit Terra in conſpectu ejus, teſtante Sacro Textu Macch. 1.) perlegens dicatum ſibi libellum ab Ariſtobolo Oratore, commentitium in eo inſitum facinus, ac extra modum permagnum, quod nimirum Alexander in conflictu decertans tranſverberaſſet unius ictu Sagitta Turrigerum Elephantem, protinùs

Digitized by Google

projecit illum in flumen, haud modicè dedignans immodicam Auctoris nimiam adulatoriam hyperbolem, cum maximè à verò sit procul, telum terga præfatæ Belluæ transfigere posse, nec secùs hoc fore, quam aculei muscæ stimulum Testudinis configere corticem.

Ut ergò nè in hujusmodi fortè incidens erratum, despicabilis tuis itidem oculis libellus hic appareat, Excellentissime Princeps, omni ab eo adulationis umbra repulsa, lumine dumtaxat simplicis sub illis agere veritatis satagendum est nobis. Et hoc planè pacto obvia primò tuorum facta series ascendentium majorum, regali ex progenie exorta refulgere videtur, quippè quæ ex stipite Regio, præcelsoque origine ducta, de Stephano Sardiniæ Rege, ejusque posteris Neapolitanæ tunc temporis Reipublicæ Ducibus oriundam se jure optimo gloriari præsignat. Ex quorum deindè genere, velut ex Principe fonte, amplissimæ promanarunt familiæ, Buterii, Blantæ, Roccellæ, Andriæ, Hostiliani, Nojæ, Paleocastri, aliaque hujus generis stemmata glorioſa, germinaque de gente Carafa.

Magnum profectò stirpis agnomen, insigneque mirandum, ex illis fortè sumptum, quæ sub specie phialum vidit Joannes exul in Pathmos cap. 15. & 16. in manibus illorum Angelorum, qui septem habentes Phiales iræ Dei, effundentes illas, velut Cœli propugnatores, ejusque offensarum ultores, plurimam in hostibus attulerunt inspergendo in eis mala, perniciem. Quis ergò ambiget in illis præsignari de præclara stirpe Carafa Heroes? Utpotè qui pro veritate, pro fide, ac pro ejus recto jure justitiæ, tamquam Angeli phialas effundentes vindicis iræ Dei, quot bella gesserunt? Quot hostium agmina fuderunt? Quot Urbes expugnarunt? Quotque propugnarunt? Et quot triumphalium præmiorum spectacula dederunt, utque memoranda reliquerunt posthumis seculis?

Verumtamen inter tot, tantosque viros, pro quibus ævitema viget semper vegeta fama, libeat ex illis sic generatim memoratos, ad sigillatim virum descendere perillustrem, Excel-

Digitized by Google

cellentiſſimi Caroli Principis in præſentiarum Dei gratia degentis, Avum D. Diomedem Carafa, qui pro Auſtriaco Rege Hiſpaniarum Philippo Quarto regnante ſeculo nuper elapſo, bello inteſtino graſſante in hac Neapolis Urbe, ejuſque toto ſimiliter ebulliente Regno, complura bellica plaudenda geſſit, pluraque ſimilis Leoni factus in operibus ſuis, gloriosè confecit. Quid enim pro edomandis, debellandiſque populis robuſtè non egit? Quid pro capitibus convellendis obſiſtentium factionum, prævalidè non effecit? Quidque pro rabido reſtinguendo reluctantium pectorum igne, conſilio non reſolvit, opere non complevit? Undique ejus fama volitabat, ac ſic horribilem reſonabat in modum tanti Ducis, Duciſque regalium armorum nomen, ut longè, latèque per Urbem, per Oppida, per Caſtra terrorem injicens, ad arma deponenda, vel terga vertendum compelleret tremefaciens hoſtem. Quare trepidæ relictis ædibus, boniſque omnibus, aufugientes commigrabant inopum, locupletumque familiæ, cuncta vaſtante, igni, ferroque tradente, quo præfatus accedebat pro Rege decertando Dux armipotens, uſquedum ſub jugo Monarchico veri, legitimique Domini, retrectantium rebellium colla reponeret. Nihilominùs neutiquam ut Leonis omiſſa cum magnanimitate clementia, cordi eo crebrò erat laudabile ſenſum pectoris generoſi. Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos, benè noſcens quod corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.

Verum pro tam valido, tamque digno Principe, ſicut & prioribus, ſuiſque majoribus, plane patent, & clamant, ut campi certaminum, & Capitolia, ſummis perſonantia laudibus, una cum ipſa Parthenope, Hyberiæ, Galliæ, Mediolani, Flandriæ Caſtra, quinimò & totius Europæ ſinus, laureis perfruens, ac ſæpiùs ejuſmodi bellatorum, demumque triumphantium, arreptis de manu Martis, caſtrenſibus, civicis, perenniſque gloriæ Coronis. At citiùs, ac melius dixerim, omnigenæ gloriæ laureis. Quoniam non minus per inſigne fortitudinis ſplendeſcunt ex hac generoſa progenie Mars, quam per ſtateram Aſtrea. Non fortius ille gladium

ſtrin-

Digitized by Google

ſtringit, & Clipeum: quam altera, dextera gladium, lævaque libram: Nec amplius invictus ille in Caſtris; quam ſuper Tribunal altera incorrupta.

Quod appoſitè per expoſitam ſtateræ ſpeciem ad glorioſum inſigne, ſua ſibi jura juſtitia vindicat, quam, quam æqua, paterna, piaque lance coluerint, libraverintque inſignis præfati generis viri, rejecta truculenta, fera, vel ferrea, ſtylo ducta ſanguinis, ut fuere Drogonis leges, Rodamantis, Creontis, atque Toantis, Recti denuò togati nobis occurrent Ariſtides, Pericles juſti, piique Metelli.

Et hinc unà cum Aſtrea in Judiciis conſidente, Minerva magno comitante nobilium adeſt agmine ſapientum, de quibus æquè magnificè ſe jactat, ac de juris illa conſultis, forumque agentibus. Unde de tam inclitæ familiæ, ſinu, velut ex ipſius ſapientiæ Academiis, Liceiſque, Doctores prodiere ad profligandas hæreſes invictè decertantes: nec non ut Apoſtolicæ Tubæ prædicatores, tamquam iterum ad evertenda vitia Apoſtoli tonantes.

Cum ergo ex hac ita fecunda virtutibus, prædiviteque domo, tam celebres exorti ſint, univerſique efflorverint ordinis, viri famoſi, jure merito inſignia in ea præfulgent tryumphalium ſtemmatum, ſolemnium apparatuum trophæa deportantur opima, populorum penè audiuntur pro illorum plauſu præconia, præmiaque laurentia cujuſvis honorifici decoris porrecta ducuntur. Quocirca ſimul una cum martialibus pompis, per manus coruſcant Aſtreæ, Minervæque contextæ Laureæ Doctorales, Purpuræ, Togæ, Thiaræ, multipliciſque decoratæ virtutis, Munerum, Graduumque præcelſæ dignitates, ac denique pro omnimodæ Coronide gloriæ, præcipuoque ſplendore præeminentis Caraſa Pacecco Domus, ſuper tot inſignium acervum, veluti ſuper montem Olympicæ magnitudinis, præeminet ut maximæ amplitudinis Apex, Pontificis Maximi Pauli IV. Triregnum. Quo fit ut ad ſummum me ducto culmen, tam auguſtæ proſapiæ magnalium, perornatæ tam glorioſo Diademate, non eſt quod plus ultra de illius libeat balbutire præſtantia.

O' te

Digitized by Google

O' te itaque, ac ſummè felicem, qui ex tam ſublimi ſtipite oriundus exiſtis Ampliſſime Carole, nec ſecùs quàm ex ferè Cœlico Semideorum ſemine, tuorum in te traxiſti dona majorum, indeque faſtigia jactare vales, ac faſtos, quippè qui, ſicut imaginem illorum in tuo pectore ſervas impreſſàm, ita propemodum ut pittagorica tranſmigratione animo vivis Eroico. Cæſar Auguſtus peracto triumpho, ſemina ſuæ Laureæ ſervit, ut ex jam paratis triumphalibus ſertis, ad egregia patranda facta incenderentur ſui generis poſthumi. Semina virtutum ſerverunt progenitores tui Carole per illuſtria geſta, quæ cum in te florere noſcantur, per tuum quod vivere virtutis laude geris, rectè frugiferum eorum ſatum comprobare commoſtras.

Et quidem ex tuo edoctus Inſigne, quod Tigridem indicat, nec non ſtateram ipſum præferentem, Reginam in te virtutum, juſtitiam inquam acta librantem hominum, reſidentem agnoſco; ac ut præfata Fera velox eſt, crudelis, atque multicolor. Velocem ad captandas te virtutes argumentor: adverſum verò vitia ferum, zeloque flammantem. Neque multicolor tibi ſpecies deeſt, cum multigenum in animi dotibus te conſpiciam, & admirer. Præſignatus in illo veteri Patriarcha Joſepho, cui per multiplices quibus præ cæteris ſuis fratribus vigebat virtutes, fecit Pater ejus tunicam polymitam, ideſt varii coloris: nam ut ſubſumit Sanctus Ambroſius Epiſcopus, de Sancto Joſepho in Hexam. cap. 2. *Meritò variam tunicam fecit ei, quo ſignificaret eum diverſarum virtutum amictu, fratribus præferendum*. Quocirca per hoc tali pacto virtutum in te congeſtum, contextumque ceù pretioſum monile, ritè repetere valet, quod olim Princeps ille eloquentiæ Tullius, qui perorans in Roſtris pro Pompejo, plurimam hujus probitatem innuens, inquit, multus eſt Pompejus, congerens in eo complurium in paucis Heroum virtutes, laudeſque.

Verum cęteris omiſſis quibus ut multus emicas eroicis dotibus, quas pro tui moderamine pectoris, ſenſique modeſtia præterire mandatur. De tui tamen magnanimi, piique cor-

Digitized by Google

cordis munificentia ; non nihil agere libeat memorandum : *Nam conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Job. cap. 41. Ejusmodi namque virtute affluens Titus ille Cæsar, qui inter Augustos Imperatores augustissimus, & generosos generosissimus, affligebatur missum fieri aliquando diem, quo in alicujus elargitione muneris, suam peregisse vitam non agnovisset: exultabat autem cum illa erercendi opportunitatis pulchra obveniret occasio. Propterea ad perenne perampli animi monitum, sic eloqui consueverat. *Non oportet quempiam à conspectu Principis, tristem discedere.* Reputans instar Solis fore Principem, qui Solis splendoribus minimè ostenrare se valet, neque splendescere in Principatu meretur, cum radios suæ magnitudinis non emittit, eamque ad ejus cæteros efficiendos participes, non effundit. Quod verè regii pectoris sensum, christianis visceribus percipiens Tiberius Constantinus, hujusmodi protulit ipse piissimum dictum. *Styps pauperum, thesaurus divitum.* Symbolum quidem quo clamari posset, cum eo quod Seneca de Clementia scribit ad Neronem lib. 2. cap. 1. *O' vocem in Concione omnium mortalium mittendam, in cujus verba, Principes, Regesque jurarent.* O' vocem, prosequi fas sit, in cordibus sculpendam omnium, & pro dedignanda avaritiæ parsimonia, & pro liberalitatis prosequenda affluentia.

O' quam altè profectò sculptam in corde hanc nobilem retinere virtutem, & in qua juraſse videtur noster Carolus Princeps, è cujus conspectu, nemo fuit unquam, qui tristis abscesserit, aut inops ad eum confugiens, qui vacuus abierit. Quare meritò pro Christo Domino pietate flagrans, verè divitum thesauros sibi coacervare probatur : nec non itidem corda omnium vinciens, omnium pro se ad Cœlum supplicantia vota lucratur. Dementia fuit illa Xerxis Regis Persarum, qui ob suæ amplitudinem præpotentiæ insaniens, arbitrabatur etiamnum, & ipsam Dei æmulari Omnipotentiam, stultè sibimet suasit, posse item & ipsi indomabili pelago injicere frena, illudque in captivam redigere, ceù mancipium servitutem. Qua frenetica insipientia ductus, ad perpes-

sam

Digitized by Google

ſam vindicandam tempeſtatem, projici juſſit in mare, velut ad ponendum ipſum in compedibus, duos grandes, ac ſolidos ad formam compedum, anulos aureos.

Hoc enim oſtentum, ſolus ipſe velut Omnipotens efficere cenſendus eſt vir Magnanimus, atque munificus. Quoniam cum Pelagi nomine, morali ſenſu percepti, rectè populus deſignetur, ut Romanus inquit Orator. *Non eſt mare ſic fluctibus agitatum, & procelloſum, ſicut populus.* Et ut Apoc. cap. 17. dixit Angelus enucleans Joanni ſpectatori myſteria. *Aquæ quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, Populi ſunt, & gentes, & linguę.* In hujuſmodi ergo mare vir munificus potentiam ſuam oſtentat, opus peragens admirabile, vinculis illud illigans, ac velut in compedibus tradens. Quandoquidem cum civibus bona largitur, modo hujus neceſſitudini ſuccurrens, modo alterius, omnibuſque ſubſidium fieri, ſibi beneficiis devincere, omneſque per vim amoris alligare videtur. Quod eſt planè mare compedibus obſtringere, opuſque ferè Omnipotentiæ conficere. Cum igitur hoc ſe pacto gerat, ac ceù Centimanus Beneficus Briareus, ut centuplex bona fundet munificentiſſimus noſter Carolus, ipſum fatendum eſt, mirificum egiſſe opus vinciendi mare, quod eſt magnanimo pectoris animo, animos ſibi perſtringere populorum. Quapropter optimo jure, Pius Princeps, Paterque Patriæ, Primariuſque Patritius eſt nuncupandus. Conſimilis Antonino Pio Imperatori, qui per hanc præcipuam, qua virtute inclaruit, *Pius, & Pater Patriæ* meruit appellari, ediditque pro ſuo magnifico ſymbolo.

Itaque cum ità virtutibus effulgeat, ac præſertim mirifica liberalitatis, quæ ut bonum profundens, divinæ præ cæteris bonitatis ſimilitudinem gerit, inſignis hic Princeps, probè cum omnibus ejus donis libratus, concludere de ipſo valet, quod inventus eſt in ſtatera, quam inſigniter, ut ſuum defert inſigne, non quidem minus habens, ut de Rege Babilonico Baltaſſarro Daniel Propheta recenſet cap. 5. Quinimò magis habens heroicæ probitatis, eximiique

Digitized by Google

laudandæ, ſpecioſæque vitæ ſplendoris.

O' quam ergo ſummis exornanda laudibus divina Sapientia, quæ conjugio talem copulari Principem fecit cum celeberrima Domina D. Carolotta Colonna, filia Excellentiſſimi Principis Somnini, ſorore Patrueli Magni hujus Regni Comeſtabuli ex præclariſſima gente Colonna. Qua ergo ſublimitate ſanguinis, claritateque generis, Heroina iſta clareſcat, ejus circumſpice quiſquis es Columnam inſpector, & in ea tamquam Piramide ad memoriam erecta majorum, quidquid excogitabile fuerit, luculenter inſpicies.

Columna juxta quod ars expoſcit architectonica, firmitate opus eſt conſtrui, rectitudine, nec non & pulchritudine expoliri. Et hæc ſibi prorsùs vindicat noſtra ſculpta Columna. Firmitatem equidem per tot prælliantium, laureatorumque ſtrenuitatem Heroum: undè de ipſis Columnam hanc firmantibus valet illud Exodi 38. *Baſes columnarum fuerunt Æneæ*. Rectitudinem autem ob tot integritatem Præſulum perficientium, quod Jacobus Apoſtolus admonet cap. 1. dicens. *Sitis perfecti, & integri in nullo deficientes*. Altitudine inſuper ex tot celſitudine dignitatum, & uſque ad ſolium aſcendentium Petri, pro quo videtur de ipſa loqui ſapientia in 18. *Uſque in Cœlum attingebat, ſtans in terra*. Demumque pulchitudinem monſtrat ob tantorum inſignium, ſtemmatumque formoſitatem; per quæ perfecta tam præcelſa Columna confert illud appoſitè Eccleſiaſtici 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, &c.*

Ex hac ergo tam auguſta progenie ortum habet noſtra dotibus gemmata ſublimibus ſpectabilis Carolotta, cujus memorandæ virtutes, quibus magnanimum ejus pectus irradiat, meritò aſſociatæ collucent meritiſſimo Principi, ut gemina claritate clarentes, gererent in Orbe heroicæ virtutis exemplaria. Aſt quoniam celſiora dona perambiens, terrenaque parvipendens, ad cœleſtia corde pervolat, altè ſapiens, quod in Dei gratia dumtaxat veram fore nobilita-

Digitized by Google

litatem, veras collocari virtutes, verumque perlucere nitorem. De terrenis se affectionibus amovens, ad æthereas suum rapit amorem, attendens ut Noè Arcæ Columba, quæ cum non inveniret ubi requiesceret pes ejus, nè super miseranda vestigia diluvii lutulenta cadavera fœdaret illum, repetito volatu remeavit ad Arcam, ut legitur Gen. cap. 8. Divini volatu amoris de mundi se inani gloria abducens, ad Arcam Dei gratiæ confugit nostra nitida Columba, nè ullo videretur pacto in eis suum obumbrare candorem, innuens se re vera Columnæ, dum ut Columba alta petit, altitudinem præseferre, ferrique ad astra.

Et hinc admodum adnascitur mirabile factum, quod cum inter seculi pompas degat, quæque sursum sunt sapere dignoscatur, non quæ super terram, adhuc & his, quæ terrena sunt solers attendit; ac velut in mundo, extraque mundum agens, ad cor altum; intendit. Quocirca ut ambidexter in agendo, munera mirificè in se copulat, contemplativam cum Magdalena vitam peragens, activam cum Martha, speciem planè deferens illius Angeli quem Joannes Apoc. cap. 10. vidit. *Cujus pedes tamquam Columnæ ignis, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*. Bifariam annotans animam peragentem, quęque se in abyssum immensitatis immersa, in pelagum se supernæ contemplationis immittit: & ad terram se item extendens, quæ fas est agere, valens agit, & complet.

Verumtamen quod speciatim in hac eximia Heroina refulget, minimè dimittendum. Quod nimirum erga Reginam Angelorum piissima, selecta præcipuè à Deo fuerit pro suæ Genitricis Anima prædilecta. Et jure quidem optimo facta collatione, assumpta inter omnes, ut optima. Quoniam ut de modis eligendi Divus suggerit Augustinus ad Fratres in Eremo serm. 39. Tres sunt modi eligendi. Electio, subelectio, & Præelectio. Electio est, quando de multitudine bonorum, & malorum eliguntur boni. Subelectio

Digitized by Google

eſt, quando de bonis electis, eliguntur meliores. Poſtea quando de melioribus optimi eliguntur, præelectio eſt. Et ad hunc ſanè modum, ex comprobante noſtræ lectiſſimæ Carolottæ degendi more, aſſeverandum nobis eſt, prę electam fuiſſe ipſam ad Cœli Reginâm perjucundum obſequium, eique præ cęteris omnibus pergratas ejus eſſe preces, & ut angelica vota.

Quam autem hoc ſummoperè pro ſui præſtantia valeat, opportunum eſt illud quod Valerius Maximus lib. 8. cap. 18. de Sulpitia nobili Matrona Romana, Fulvii Flacci Senatoris uxore refert. Quod cum Senatus, ut in libris Sybillinis per decem ſapientes viros inſpexit, decreviſſet ut Deæ Verticordiæ ſimulacrum conſecraretur, quo libentiùs Virginum, Mulierumque corda ad pudicitiam converterentur, & ex omnibus Matronis centum, ex centum autem decem ſorte deductæ, de Sanctiſſima fœmina judicium facerent, cunctis puritate, nitoreque vitæ prælata eſt Sulpitia.

O' quam profectò adamuſſim pro nobiliſſima Domina Carolotta, demptis illius veteris gentilitatis erroribus, annotabilis, aſſiniſque rei ſucceſſus. Quæ in excolenda, non fabuloſa, verum vera puritatis Dea, Ideaque, cœleſtique Deipara, cunctis eſt præferanda pro ſui candore pectoris, cordiſque ſanctitate, & ut inter omnes, melioreſque prę electa ut optima, libeat illam utpotè præſtantibus ditiſſima dotibus, alloqui cum Sapiente proverb. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.*

At quid pro tam mirifica memoranda Columna uſque huc prompſimus, cum præter hęc & ſtrictim attacta, multo plura ſuppeterent attingenda? Attamen nè diutiùs in eorum veluti mare magnum, fluctuantem ſermonis noſtri naviculam ultrò tradamus, proſpecto ſculptum in ea, pluſquam Erculeis famoſa columnis, *Non plus ultrà*, ad littus ſubducta navi; remanet ut ſupplices hanc ſic prædivitem Heroinam donis, ut dum tot è Cœlis, ceù Margaritarum lineam, gemmifera traxit, præcipuè charitatis, velit tamquam ignea Columna Dux, luxque fidelium, virtutum ſigna prębens, & exem-

Digitized by Google

exemplar, per hujus mundi desertum ad terram ducere promissionis æternam.

Specimen profectò amoris, cujus est corda trahere, eorumque maximè nectere unionem. Quod generosum opus, egregiè ipsa gessit, cũ ad benevolentiam generosissimi Principis, ceteras virtutes associans, & amorem, quemadmodum in nominibus consimiles, ità, & invicem cordibus, ad perpetuas æternitates sui Magnalia transducunt, quibus Cœlum ipsum flagitamus ut ęviternam per fœstivas, vegetasque prole florentem tribuat progeniem, incolumes per secula servet, & ad vetera nova natorum insignia portet. Quo præmisso fœlicitatis Omine perspectis ipsorum præditis nobili pietate cordibus, religionisque observantia, opusculum hoc, unàque cũ ipso meipsum ut servulum offero, nec non sub eorum præpotenti patrocinio me duco, votisque omnibus corde dico.

E. V.

Obsequentissimus Servus
Fr. Dominicus Riccius Casatinus S. Theol. Mag.

Digitized by Google

AL M. R. P. MAESTRO

FR. DOMENICO RICCI CAFATINO,

Per l'Opere ſue contro il Molinos, e ſi loda preciſamente nella prontezza delle dottrine Tomiſtiche.

IL P. MAESTRO FR. GIACINTO MARIA DE PETRIS
De' Predicatori.

SONETTO

Il mio Guſman per debellar d' Alcide,
Colla face, e col can, moſtraſi armato;
L' uno atterriſce i boſchi col latrato,
L' altra l' Idre creſcenti abbatte, e ancide.

Pari col RICCI ancor, la gloria vide
Colla penna, e col Zelo un Saggio ornato;
L' uno à ſcovare un Drago maſcherato,
L' altra per annerir maſnade infide.

Appreſti ad ambi, omai, le palme Oronte;
Spezza queſti al Molin l' orgoglio inſano,
All' Albigeſe, quei, umilia l' onte.

Ne ſia per ambi il premio anche lontano:
L' uno lampi nel Ciel coll' Aſtro in fronte;
L' altro orni 'l Ciel col Sol d' Aquino in mano.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Amice Lector. Vestræ charitatis expectatio, mei debiti exactio est, ut cum Divo loquar Augustino serm. 33. de verbis Domini tom. 10. Exhibita namque prima parte, absolutio expectabatur operis Hominis Interioris: & hæc debiti exactio est, cum quemadmodum aliquid est perfectum, eo sit bonum, & hoc ex integra ortum habeat causa: malum autem ex quocumque defectu, ut ritè firma statuunt philosophica scita. Dicta quidem ab ipso Deo, ut à Principe emanantia sapientiæ fonte, cujus perfecta sunt opera, estque universis exemplar. Quod & mirabiliter egit ab ipso Orbis exordio, quo neutiquam quievit, quousque cuncta perficeret, completis Cœlis, & Terra, omnique eorumdem ornatu. Undè cum vidit omnia, quæ fecerat, approbavit quod essent valdè bona. Quem peragendi morem prosequens adhuc ut homo perfectè confecit, cum omnia pro salute hominum gerens, confectis illis in Cruce, clamavit, pro jam totius peracta opera, consummatum est.

Ad imitamen ergò tanti Opificis, & Magistri, hoc me pacto, sicut & cætera cuncta, opus est agere, memor itidem illius, de quo ut irrisionis subjecto dictum est, hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare. *Propterea nè ad illius instar verecundus incedam, & ut laude indignus, missa manu ad aratrum, subsidens in ipsa via, pigeat transilire plus ultra, ad ulteriora fas est, imò neeessum me progredi. Verum quia charitas, cujus gratia omnia sunt agenda, filios habet incipientes, proficientes, & perfectos, cum jam aggresso exorsus sim opere, ac in numero incipientium ascriptus, proficiam opus est, ac in classem proficientium me ducam. Quod ut ad exitum perducam, in hac post primam parte operis,*

Dei

Digitized by Google

Dei peragam ope, ut tandem devicta temporum injuria, ad perfectorum ordinem ascendam, complemento in tertia parte statuto. Interim, benigne Lector, patientiam habe in me, quoniam præstante fortuna, omnia reddam tibi.

Hic autem certiorem te facere volo, pro tui sublimioris Sapientiæ progressu, quod nimirum si ad Molinos evertendam molem, alio uti more percupies armorum, alioque feriendi versu Molinicum hostem, consule hunc modo infrascriptum disertissimum, admodumque concinnum Auctorem, nobilisque mihi vinculo amicitiæ junctum, qui & ipse est Reverendissimus Pater Sacræ Theologiæ Doctor D. Jo: Chrysostomus Scarsè Perpetuus Inculcatorum, sub nomine Chrysophani Cardieclepti, Promotor Generalis, in Athlæsi Scholastica Quæstione 2. per totas Difficultates: quo ingeniose Lector, perjucundè conspicies, quod omnes Molinicæ Propositiones, acutiori, expeditoque gladio profligantur more Scholastico, ubi subtilitatem habebis argumentorum, & profunditatem cogitationum, & copiam eruditionum, & elegantiam sermonum, quibus simul ipse auctor allicit, simulque alligat inimicum: lege, & oblectare, & super omnia vale.

CA:

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE

Secundæ operis partis, P. i ndicat paginam N. numerum.

Ex	&	p. 11.n.33.
commonione	communione	p. 15.
ſatra	ſacra	p. 20.n.14.
dandam	dandum	p. 42.n.31.
unue	unde	p. 45.n.39.
Frater	Pater	p. 48.n.48.
iſte	eſſe	p. 56.n. 3.
hominum	hominem	p. 57.n. 7.
egit	eget	p. 60.n.16.
ſitentii	ſilentii	p. 63.n.22.
inſolutibilibus	inſolubilibus	p. 66.n.30.
magnas	magnes	p. 81.n.35.
hominis	hominis	p. 82.n.35.
intueamus	intueamur	p. 90.n.58.
ſed	ſe	p. 96.n.71.
impropriis	improperiis	p. 97.n.72.
veſaniorum	veſaniorem	p. 99.n.76.
devotæque	devotèque	p.100.n.80.
comprehendus	comprehendendus	p.107.n. 2.
conſidecet	condecet	ibidem.
& vita	à vita	p.109.n. 5.
ſalubri	ſalubria	p.115.n. 2.
homicidum	homicidium	p.119.n.12.
e	te	p.120.n.17.
noſmetipſis	noſmetipſos	p.124.n.20.
queit	quit	p.139.n.35.
Sacramentum extremæ unctionis (adde)	per Chriſtum inſtitutum eſſe	p.146.n. 9.
præſtitum	præſtandum	ibidem.
vitæ	viæ	p.152.n. 4.
Democrito	Eraclito	p.171.n.22.
prævioque	præcipuoque	p.182.n. 7.
tenſum	retentura	p.201.n. 1.
tametſi	utpotè	p.215.n. 2.
inter	Infer	p.222.n.22.
innumerum	innumeram	p.226.n.32.
ſi	ei	p.234.n. 7.
lapſus	lapſum	p.254.n.17.
profitivit	profilivit	p.290.n. 6.
quin	quia	p.290.n. 7.
exturgebant.	extergebant	p.114.n. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Trigesima prima Propositio Molinos. *Nessun meditativo esercita le vere virtù interne, quali non hanno da esser conosciute da' sensi, Bisogna perdere le virtù.*

Oppositum ex adverso dictum;

Meditatio, vel Contemplatio secum virtutes habent annexas, hæque sensibus ipsis, ut rationi subjectis attinguntur, cumque perfectivæ sint, toto venandæ sunt, non perdendæ conatu.

1 PRæcelsa præditum fuisse mente, recto cum jure fatemur, qui pro meditativi, aut contemplativi hominis adinveniendo Insigne, Aquilam excogitavit super verticem montis stantem Olimpi, ibique pennis expansis, aciem ad lumen luminum figentem, Solis objectum, quamquam flammiferum, radiosque rabidè jaculans, impavido, utroq; pectore conspicientem. Sapiens Insigne quidem, callidumque commentum, cum eo pacto, quo Aquila super frontem advolata Olimpicum, ab omnibus vacua periculis tempestatum, nubiumque crepitantium, fulminum, Austrorum violentijs, regionumque horrisonis motionibus, atq; tonitruum terribilibus bombis, flagrans amore residet, velut in Regio Throno super apicem montis, nec non ibidem in suum immersa lumen amatum in ipsius inspectione tamquam anima contemplativa beatur, ac instar adorati Numinis præsentia perfrui in tuto posita gaudet.

2 Non dissimili penè jure meditationis, vel contemplationis intentus operibus, studensque profundè, in sublime mentis, seù montis elatus ab universis vitiorum tumultuosis, procellosisque motibus, velut immunis, & liber, in meditationem contemplati introgressus objecti, feliciter ibi degere videtur. Quocirca cum ex vitiorum sic excursionibus, ac impetibus se præstet exemptum, nequit absque virtutum præsidio suam agere vitam. Quonam namque pacto alienus à vanitatibus, non eum tollit ad inania superbia, non elevat ad sublimia ambitio, nisi quia humilitatis est virtute ad ima retentus? Quomodo non eum ad fallacia bona attrahit avaritia, nisi eo quod spiritu fuerit pauper, parvipendatque mundum cum omnibus thesauris suis? Quare non eum afficiet ad suas libido illecebras, nisi quia dono est continentiæ instructus? Qua denique ratione non eum rapiunt ad suas cætera nequitias vitia, nisi quia virtutum est dotibus, armisque munitus, ac perornatus? Non enim ubi Regia virtutum emicat, locum habere possunt flagitia vitiorum. Vt virtuosus ergò agnoscendus est contemplationis, sivè meditationis studio dicatus, ac per consequens,

Digitized by Google

ut mediis perfectus, decoruſque virtutibus, hiſque tam in parte ſuperiori intellectiva, quàm inferiori ſenſitiva decorus, minimè perdendæ, aut omittendæ ſunt illæ, quinimò omni ſtudio, totiſquæ captandæ viribus, expetendæque viſceribus.

3 Et primò præmonentes, quod hic pro eodem ſumendas dicimus, actu ſaltem genericè ſumpto, meditationem, & contemplationem, cum ad idem utraque tendant; tametſi cum aliquantula varietate objectum. Inquit enim D. Th. 2.2. q. 180. a. 3. ad primum. *Quamvis ſecundum Philoſ. 5. de anima omnis operatio intellectus, conſideratio dicatur: ſed contemplatio pertinet ad ipſum ſimplicem intuitum veritatis. Unde idem Ricardus à Sancto Victore lib. de contemplatione cap. 3. dicit, quod contemplatio eſt perſpicax, & liber contuitus animi in res perſpiciendas. Meditatio autem eſt intuitus animi in veritatis inquiſitione occupatus.*

4 Hoc ergò præmiſſo, à Principe virtutum caput agendo, ſtatuendum, comprobandumque eſt, meditativum, ſive contemplativum charitatis veram exercere virtutem. Quod ex Divo Gregorio relato ab Angelico Doctore in præallato 2.2. in corpore articuli primi, ubi ait quod. *Sanctus Pontifex conſtituit vitam contemplativam in charitate Dei, in quantum ſcilicet aliquis ex dilectione Dei inardeſcit ad ejus pulchritudinem conſpiciendam. Et quia unuſquiſque delectatur cum adeptus fuerit id quod amat, ideò vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ eſt in affectu, ex qua etiam amor intenditur.*

5 Ex hoc autem non ſequitur contemplationem actum eſſe formaliter charitatis. Nam formaliter vita contemplativa eſt in intellectu, ſeù quoad ipſam actionis eſſentiam, ut ibidem Divus Thomas, & Cajetanus. Quoniam prædicta vita eſt ipſa contemplatio, quæ eſt actus intellectus. Cauſaliter autem, & terminativè eſt in affectu. Unde quantum ad id quod movet ad exercendam contemplationem, pertinet ad voluntatem, quæ movet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad ſuum actum, qui terminatur ad delectationem, quæ eſt in affectu, ex qua etiam amor intenditur.

6 Item eadem 2.2. a. 7. idem Doctor Angelicus inquit. *Quia ergo vita contemplativa præcipuè conſiſtit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, inde eſt, quod in vita contemplativa non ſolum eſt delectatio ratione ipſius contemplationis, ſed etiam ratione ipſius Divini Amoris.*

7 Divus denuò Gregorius hom. 14. ſuper Ezechielem. dicit: *Quod vita contemplativa calcatis curis omnibus ad videndam faciem ſui Creatoris inardeſcit* (& ibidem) *Vita contemplativa eſt charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, & ſoli deſiderio conditoris inhærere.* Conſtat autem hos actus eſſe charitatis, &c.

8 Idem ex Divo habetur Auguſtino ſuper Pſalmum 145. ubi inter plurima, quæ grandia docet, inquit ad hominem, inferenſque ex meditatione Mundi, Auctoris amorem, *Collige ad teipſum, quid quid tibi foris placebat, quare*

Digitized by Google

quære quem habeat auctorem. Nihil melius in terra, verb. gr. quam hoc, & illud, aurum, argentum, animalia, arbores, amenitates, totam terram cogita, quid melius in Cœlo, Sole, Luna, Syderibus? Totum Cœlum cogita. Omnia ista simul bona valdè, quia fecit Deus omnia bona valdè. Vndique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama Fabricatorem.

9 Præterea pro ejusdem opportunitate, ac executione amoris, minimè prætermittendus est sermo quem idem Magnus Pater super Psalmum 86. habet, quo planè ostendens, quę nam sit vera via perveniendi ad quietem, quæve vera quies, & qualiter exerceat meditativus virtutem charitatis, inducto in meditationum studium intento Regio psalthe, sic inquit ad Fratres. *Intendat charitas vestra. Civitas quædam in isto Psalmo cantata, & commendata est, cujus Cives sumus, in quantum Christiani sumus, & undè peregrinamur, quamdiù mortales sumus, & ad quam tendimus per eius viam, quæ omninò quasi dumetis, & sentibus intercluſa non inveniebatur. Rex ipsius Civitatis se fecit viam, ut ad Civitatem perveniremus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes, donec perveniamus, & suspirantes desiderio cujusdam ineffabilis quietis, quæ habitat in illa Civitate, (de qua quiete dictum, & nobis est promissum hoc, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit) Nam qui desiderat, & si lingua taceat, corde cantat. Qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo. Videte quomodo erant amatores hujus Civitatis ardentes illi ipsi, per quos hæc dicta sunt, per quos nobis commendata sunt, quanto per eos affectu ista cantata sunt. Affectum istum generabat in eis amor Civitatis: amorem autem Civitatis infuderat Spiritus Dei, charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Repletus ergo Spiritu Sancto David, & multa de amore, & desiderio Civitatis hujus voluens secum, tamquam plura intus apud se meditatus erumpit in hæc verba. Fundamenta ejus in montibus Sanctis, &c.* Undè psallens in Cantico 118. auditur sicut pluries alibi. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi, & levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis.* Meditationem innuens, & amorem, dum ad perscrutanda Dei præcepta cor figebat, & mentem.

10 Ex his ergò quæ de charitate dicta sunt, commodè suasum quoque maneret cęteras exercere meditativum virtutes, sive actu, sive habitu cum has omnes connexas insolubili fœdere inter se fore sciatur; propterea charitatis virtute locata, fides ex consequenti, ac inde spes, reliquarumque societas admittenda est in contemplativo virtutum. Nihilominus ad uberius dictum approbandum, alias confirmamus adesse in meditatione, vel contemplatione virtutes, ut præcipuè de virtutibus moralibus D. Th. statuit in ipsa 2. 2. q. 86. a. 2. quo præmisso in Respondeo dicendum quod ad vitam contemplativam potest aliquid pertinere dupliciter, uno modo, essentialitèr, alio modo dispositivè: & quod essentialiter ad prædictam vitam, virtutes istæ non pertinent, eo quod finis contemplativæ vitæ est, con-

Digitized by Google

fideratio veritatis, qui actus non est directè pertinens ad virtutes morales, quarum non est propriè scire, sed agere, Concludit Sanctus Doctor. *Dispositivè autem virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam: impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, & per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ, ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus, & ideò virtutes morales dispositivè ad vitam comtemplativam pertinent. Vndè D. Gregorius in 6. moralium dicit, quod ad contemplativam vitam pertinet ab exteriori actione quiescere.* Et hoc pacto in præallegato ad secundum D.Th. inquit quod Pax ortum habet à virtute morali; *Quia causatur ex justitia, quæ est circa operationes, secundum illud Isaiæ 32. opus justitiæ pax, in quantum scilicet ille, qui ab injuriis aliorum abstinet, subtrahit litigiorum, & tumultuum occasiones, & sic virtutes morales disponunt ad vitam contemplativam; reprimentes passiones, concupiscibilis, vel irascibilis, quæ impediunt puritatem rationis, & serenitatem.*

11 Amplius ostenditur, meditativum, sive contemplativum alias exercere virtutes, sicut esset religionis, humilitatis, & hujusmodi. Eo quod meditatio causa est devotionis, quæ actus est religionis, ex qua humilitatis propriæque dejectionis oritur sensum. Constat enim ex D.Th. 2.2.q.82. ar.3. quod *Devotio est quidam actus voluntatis ad hoc quod homo promptè se tradat ad divinum obsequium, vel famulatum: omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis. Et ideò necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio: Hic autem actus, qui actus præcipuus est voluntatis, pertinet propriè ad Religionem, quæ formaliter virtus est.* Cum igitur meditatio causa sit devotionis, & hæc opus sit religionis, hanc per consequens exercere fatendum est ipsum meditativum. Sicut & pariformiter humilitatis, ut ibidem prosequitur Sanctus Doctor inquiens, quod. *Ad divinum obsequium cui se tradit meditativus, Duplex consideratio inducit. Una quidem, quæ est ex parte ipsius bonitatis divinæ, & beneficiorum ipsius, secundum illud psalmi 22. mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa.* (Ex quo denuò exercitium innuitur charitatis) *Alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur, secundum illud psalm. 120. Levavi oculos meos in montes, undè veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum, & terram, & hæc consideratio, excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subyciat, dum suæ virtuti innitur, quæ humilitatis virtus est;* (ut idem indicat D. Th. 2.2. q. 161. a.1.) *cum aliquis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum suum modum, sicut Abraham dixit ad Dominum Gen. 18. loquar ad Dominum Deum meum cum sim pulvis, & cinis,*

Digitized by Google

cinis, & hoc modo humilitas ponitur virtus.

12 Ex his quę hucusque de præfatis ostensum est virtutibus, absque eo quòd insuper elaboremus, valet ad cœteras argumentum, à prudentia ducto capite, excurrendo ad reliquas; quandoquidem non veras profitendus est habere virtutes, nisi qui prudēs erit, ac rectè de agibilibus agens, sapienterque dirigens ipse fuerit opera sua; quod totum ortum habet ex ipsarum ad invicem connexione virtutum, ut qui una effulgere noscatur, sitque ceù Cœlum astris exornatum, omnibus ditatus. Unde Divus Ambrosius super Lucam cap.6. *Connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes, ut qui unam habet plures habere videatur,* & *D. Augustinus in 6. de Trinitate cap.4. tom.4. Virtutes quæ sunt in animo humano nullo modo separantur ad invicem,* & *D. Gregorius lib.22. Moral. cap.1. Una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta,* & *Tullius in 6. de Tusculanis si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum*; quod si hoc de virtutibus acquisitis, quæ tantum ab illo ut gentili agnoscebantur, asseritur, quid de infusis, ac supernaturalibus fatendum erit?

13 Verumtamen de virtutibus ipsis acquisitis, opus est cum D.Thoma 1.2.quæst.65. art.1. ad primum, advertere, quod quamquam omnium ipsarum, non habeatur aliquando habitus actu, aliqua illarum, vel nonnullis adeptis, haberi tamen dicendum est in potentia proxima, seù propinqua reliquas, quod sat erit ad asseverandam connexionem, vel simultatem: Unde Sanctus Doctor. *Sunt enim quædam virtutes morales, quæ perficiunt hominem, secundum aliquem eminentem statum, sicut magnificentia,* & *magnanimitas,* & *quia exercitium circa materias harum virtutum, non occurrit unicuique communiter, potest aliquis habere virtutes morales, sine hoc quod habitus harum virtutum habeat actu, loquendo de virtutibus acquisitis, sed tamen acquisitis aliis virtutibus, habet istas virtutes in potentia propinqua. Cum enim aliquis per exercitium adeptus est liberalitatem circa mediocres donationes,* & *sumptus, si superveniat ei abundantia pecuniarum, modico exercitio acquiret magnificentiæ habitum, sicut Geometer, modico studio acquirit scientiam alicujus conclusionis, quam numquam consideravit. Illud autem habere dicimur, quod in promptu est ut habeamus, secundum illud Philosophi in 2.Phys. quod parum deest, quasi nihil deesse videtur,* ex quibus habetur quid concludendum pro connexione virtutum acquisitarum, &c.

14 Quod autem à sensibus, aut à potentiis sensitivis, præfatæ suo modo virtutes attingantur, affirmari, & primo videtur ex D. Th. de charitate super epistolam ad Corint.1. cap.2.lect.3. ubi sic inquit. *Est autem Spiritus Sanctus principaliter quidem in cordibus hominum in quibus charitas Dei diffunditur per Spiritum Sanctum, ut dicitur Rom.5. sed secundariò etiam est in membris corporalibus in quantum exequuntur opera charitatis, unde in Psalmo dicitur cor meum,* & *caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

15 Ex quibus perspicuis verbis, quāvis in ipsis mēbris corporalibus aliquam

Digitized by Google

quam virtutum notionem ponere non cogamur, ut infra nu. 19. planum fiet, consequentia tamen traditur pro cœteris potentiis sensitivis, & præsertim pro irascibili, & concupiscibili, ut sub imperio rationis agunt, & voluntatis: eo quod nequeunt ab his moveri, quin suo tamen pacto virtutes earum attingant: & adhuc quia subjectum sunt & ipsæ virtutum, ac inde laude dignæ, aut probitate, vel ut probrosæ, ignominia, quod totum planum apparebit ex his quæ D. Th. de his agit potentiis, & primo 1. part. quæst. 81. art. 3. quo docet, quod dupliciter intelligitur Irascibilis, & Concupiscibilis obedientia ad partem superiorem imperantem. *Uno modo quantum ad rationem, alio modo quantum ad voluntatem. Rationi quidem obediunt irascibilis, & concupiscibilis, quantum ad ipsos suos actus. Cujus ratio est; quia appetitus sensitivus in aliis quidem animalibus, natus est moveri ab æstimativa virtute, sicut ovis æstimans lupum inimicum fugit: loco autem æstimativæ virtutis est in homine vis cogitativa, quæ dicitur à quibusdam ratio particularis, eo quod est collativa intentionum individualium: unde ab ea natus est moveri in homine appetitus sensitivus: Ipsa autem ratio particularis nata est moveri, & dirigi in homine secundũ rationẽ universalem. Unde in Sylligisticis ex universalibus propositionibus concludũtur conclusiones singulares, & ideo patet quod ratio universalis imperat appetitui sensitivo, qui distinguitur per concupiscibilẽ, & irascibilẽ, & hic appetitus est ei obediens, & quia deducere universalia principia in conclusiones singulares, non opus est simplicis intellectus sed rationis, ideo irascibilis, & concupiscibilis, magis dicuntur obedire rationi, quam intellectui. Hoc enim quilibet experiri potest in seipso. Applicando enim aliquas universales considerationes, mitigatur ira, aut timor, aut aliquid hujusmodi, vel etiam instigatur. Voluntati etiam subjacet appetitus sensitivus quantum ad executionem quæ fit per vim motivam. In aliis enim animalibus statim ad appetitum concupiscibilis, & irascibilis sequitur motus, sicut ovis videns lupum statim fugit, quia non est in eis superior appetitus qui repugnet, sed homo non statim movetur secundum appetitum concupiscibilem, vel irascibilem, sed expectatur imperium voluntatis, quod est appetitus superior. In omnibus enim potentiis motivis ordinatis, secundum movens non movet, nisi virtute primi moventis, & hoc modo irascibilis, & concupiscibilis rationi obediunt.*

16 Ex qua præclara D. Thomæ, ac perpensa doctrina, liquidò constat potentias sensitivas, quod est idem, ac sensum, virtutes per potentias superiores exercitas, atque moventes, & imperantes, nonnullo attingere pacto. Quandoquidem si potentiæ ipsæ sensitivæ ex eo, quod in motione porentiis subduntur superioribus, easque ut ab ipsis motę attingunt, sicut Sphæra Sphæram, ut Phyl. ipse exemplificat ex D. Th. relatus, consequens est ut etiam, & virtutes, quibus potentiæ superiores operantur, attingantur, ac suo peculiari modo ideſt sensibiliter, & particulariter à potentiis dignoscantur inferioribus sensitivis: Jam patet has non posse Sphæram sui objecti specificantis exire, cum ad universale noscendum se extendere

Digitized by Google

dere nequeant, ſolum autem ad individuatum, & ſingulare, ut conſtat ex Phyſicis, &c.

17 Quæ præterea virtutum attactio non parum apparet ex poſitione virtutum in potentiis ipſis ſenſitivis, iraſcibili in quam, & concupiſcibili quæ ut motæ dicantur à potentiis ſuperioribus, intellectu videlicet ac voluntate, opus eſt ad hujuſmodi diſponi motionem, qua diſpoſitione idoneam ad ſuperiores conformitatem ſortiantur qua moveantur ad actus. Conformitas autem iſta, ſeu idoneitas ſtare nequit, abſque eo quod ad invicem mutua notione ſuo tamen pacto non gaudeant, inferioris puta ſuperioriſque potentiæ, quod eſt ſenſum ipſum ſuo quo ſibi competit modo, rationem attingat, ac perinde virtutes ejuſdem: his namque ratio actuata, ſeu informata movet, ac ipſa voluntas: ſicut ibidem ipſæ quæ motæ ſunt potentiæ ſenſitivæ, aut imperatæ, virtutibus actuari, ac informari neceſſum eſt, ut perfectè à ſuperioribus moveantur ad actus, quæ moventis, ac moti mutua relatio, quæque præſertim in his oritur potentiis, quæ politica ſubjectione gaudent, ſuntque peccati, virtutiſque ſubjectum, præciſa ipſarum mutua notione, ſubſiſtere nequit.

18 Cujus diſcurſus vis oſtenditur ex eo quod docet Angelicus Magiſter 1.2. quæſt.65. art.6. quo reſolvit iraſcibilem, ſicut & concupiſcibilem ſubjectum eſſe virtutis, quod non contingeret inquit inſpectis his potentiis ſecundùm ſe, cum tamen in quantum participant rationem, per hoc quod natæ ſunt rationi obedire. *Actus enim qui progreditur ab una potentia, ſecundum quod eſt mota ab alia, non poteſt eſſe perfectus, niſi utraque potentia ſit bene diſpoſita ad agendum. In his igitur circa quæ operantur iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſecundum quod ſunt à ratione motę, neceſſe eſt ut aliquis habitus perficiens ad benè agendum ſit non ſolum in ratione, ſed etiam in ipſis potentiis ſenſitivis Iraſcibili ſcilicet, & Concupiſcibili*, (quas in eis virtutes fortitudinem eſſe dicas, & temperantiam) *& quia bona diſpoſitio potentię moventis motę, attenditur ſecundum conformitatem ad potentiam movantem, ideo virtus quæ eſt in iraſcibili, & concupiſcibili, nihil aliud eſt quam quædam habitualis conformitas iſtarum potentiarum ad rationem.*

19 Cum ergo ut prædiximus, inter has potentias inferiores inquam atque ſuperiores quædam mutua relatio conformitatis exurgat, propter ipſarum bonam quam exigunt diſpoſitionem ad agendum, rectè arguitur ſtatuendam fore in illis ad invicem intelligentiam quamdam, ut ità dicam, ſicut communicationem, vel collationem, mutuæ notionis, cum non appareat quo pacto ſubditus, & maximè politicus obediat imperanti domino, & ejus nullatenus agnoſcat imperium, quod tamen verum haberi dicas in ſubjectione reſpectu imperii politici cui ſubditus reſiſtere poteſt, ut Iraſcibilis, & Concupiſcibilis ad imperium rationis; quare conſulto de politico ſubjunctum eſt imperio, cui dumtaxat ſubjacent præfatæ potentiæ, diſcriminantes ipſas à jure, vel ſubjectione dominii deſpotici, cui nullo pacto

Digitized by Google

cto obſiſti poteſt, ſicut eſt corporis reſpectu animæ, dummodo aliunde non obſtet per accidens aliquod impedimentum: ad nutum enim animæ imperantis movebit pedes corpus ad ambulandum, ſi alias infirmitate podagrica non eſſet compeditum: ſicut etiam ad videndum oculis aperiendo liberum exiſtens à cæcitatis ærumna, &c.

20 Ad cujus plenius intellectum, illud item ſciendum eſt; quod ſic præpotenti dominio præſtita obedientia corporis, non eſt reſpectu virium nutritivæ penſanda, ſolum autem ſenſitivæ, ut patet, cum ad nutum animæ ſenſus operantur, non verò vegetativi generis facultates, ut indicat D.Th. 1.2.q.50.art.3.ad 1. ex quo ad rem noſtram, poteſt adhuc argumentum deſumi pro notione ſenſuum, aut potentiarum ſenſitivarum rationi obedientium, quas hac de cauſa appellat D.Th. quodammodo rationales. Ait enim: *Ad primum dicendum, quod vires nutritivæ partis non ſunt natæ obedire imperio rationis, & ideo non ſunt in eis aliqui habitus, ſed vires ſenſitivæ natæ ſunt obedire imperio rationis, & ideo in eis eſſe poſſunt aliqui habitus, nam ſecundum quod obediunt rationi, quodammodo rationales dicuntur, ut in 1. artic. dicitur.*

21 Hoc autem eſſe quodammodo rationale, nequaquam ſtare videtur, cognitionis omni denegato ad Principes potentias, earumque virtutes actu, propterea nuncupantur etiam à D.Th. rationales per participationem, & quod rationali per eſſentiam uniuntur ad brutorum diſcrimen, qua ratione D.Th. præſtare dicit potentias ſenſitivas hominis, potentiis ſenſitivis animalium brutorum, ut 1.2.q.74.art.3. inquit: *Ad primum ergo dicendum quod aliquæ vires ſenſitivæ partis, & ſi ſint communes nobis, & brutis, tamen in nobis habent aliquam excellentiam, & per hunc modum etiam appetitus ſenſitivus in nobis præ aliis animalibus habet quandam excellentiam, ſcilicet quod natus eſt obedire rationi, & quantum ad hoc poteſt eſſe principium actus voluntarii, & per conſequens ſubjectum peccati.*

22 Ex qua Supereminenti virtū humanarū proprietate, earumq; ad celſiorem operandi modum, ut eſt ad rationem, tamquam ad nobiliſſimum Principem obedientia, ac inde principium actus eſſe voluntarii, vel humani; planè ſequitur actactionem in illis eſſe nonnullam virtutum, eo quo ipſis competit ut ſupra num. 16. innuimus operandi pacto; intra genus ſcilicet ſe retinentes objecti ſenſibilis, &c.

23 At quoniam potentiæ partis ſenſitivæ, in duabus diſtinguuntur claſſibus, appetitivis inquam, & apprehenſivis; ſtatuto, & comprobato de notione virtutum pro appetitivis, uti ſunt hucuſque memoratæ, concupiſcibili puta, & iraſcibili. hæſitandum remaneret, ac reſolvendum de apprehenſivis, imaginativa ſcilicet, & cogitativa, & memorativa, & in his adhuc notionem agnoſcimus virtutum aliquam, ſuoque ibidem pacto.

24 Quod primò ſuaderi poteſt ex his quæ D.Th. 1.2. docet quæſt.50. art.3., ubi univerſaliter reſolvit in viribus ſenſitivis eſſe habitus, quod ſic ex-

Digitized by Google

explicat, & confirmat in *Respondeo dicendum, quod vires sensitivæ dupliciter possunt considerari. Uno modo secundum quod operantur ex instintu naturæ. Alio modo secundum quod operantur ex imperio rationis. Secundum igitur quod operantur ex instintu naturæ, sic ordinantur ad unum, sicut & natura, & ideo sicut in potentiis naturalibus non sunt aliqui habitus, ita etiam, nec in potentiis sensitivis, secundum quod ex instintu naturæ operantur. Secundum verò quod oprantur ex imperio rationis sic ad diversa ordinari possunt, & sic possunt in eis esse aliqui habitus, quibus benè, aut malè ad aliquid disponuntur.*

25 Cum igitur adhuc, & ipsæ vires sensitivæ apprehensivæ subsint imperio rationis, necnon ab illo moveantur ad varia peragendum. Consequens est quod adhuc in ipsis nonnulla virtutum statuenda sit notio, vel attactio, eo quo eis competit sensibili pacto. Unde D. Th. ibidem: Ad tertium dicendum, proprios dignoscens habitus in viribus sensitivis appetitivis, rationisque movens imperium, adhuc & in apprehensivis ipsis illos agnoscit, ejusdemque rationis imperium, discriminans eas ab apprehensivis exterioribus, ad quod totum explanandum, sic ait.

26 *Appetitus sensitivus natus est moveri ab appetitu rationali, ut dicitur in 3. de anima, sed vires rationales apprehensivæ natæ sunt accipere à viribus sensitivis: & ideo magis convenit, quod habitus sint in viribus sensitivis appetitivis, quam in viribus apprehensivis, cum in viribus sensitivis appetitivis non sint habitus, nisi secundum quod operantur ex imperio rationis. Quamvis etiam in ipsis interioribus viribus sensitivis apprehensivis possunt poni aliqui habitus, secundum quos homo sit benè memorativus, vel cogitativus, unde etiam Phylosophus dicit cap. 3. de memoria, quod consuetudo multum operatur ad benè memorandam: quia etiam istæ vires moventur ad operandum ex imperio rationis, vires autem sensitivæ exteriores, ut visus, & auditus, & hujusmodi non sunt susceptivæ aliquorum habituum, sed secundum dispositionem suæ naturæ ordinantur ad suos actus determinatos: sicut & membra corporis in quibus non sunt habitus, sed magis in viribus imperantibus motum ipsorum.*

27 Ex quibus non modicè constare videtur, quam jure in potentiis sensitivis apprehensivis interioribus, ponenda sit aliqua in ordine ad virtutes attactio, cum adhuc & ipsæ sicut appetitivæ; subsint ceù Principi, rationis imperio, habitibus ibidem actuentur, nec non à viribus sensitivis exterioribus expertibus omnino cognitionis actu, discriminentur, ut fusè jam cum Angelico est patefactum Magistro.

28 Quod amplius cum eodem perpenditur ex his quæ specificè de præfatis resolvit viribus 1.2 quæst. 56. art. 5. *Quo respondet dicendum, quod in viribus sensitivis apprehensivis interius, ponuntur aliqui habitus, quod patet ex hoc præcipuè quod Phylosophus in libro de memoria: quod in memorando unum post aliud, operatur consuetudo, quæ est quasi quædam natura, nihil est autem habitus consuetudinis, quam habitudo acquisita per consuetudinem, quæ est in modum naturæ: Unde de virtute dicit Tullius in sua Rethorica, quod est habitus in*

Digitized by Google

modum naturæ rationi consentaneus. In homine tamen id quod ex consuetudine acquiritur in memoria, & in aliis viribus sensitivis apprehensivis, non est habitus per se, sed ad aliquid annexum habitibus intellectivæ partis; sed tamen si qui sunt habitus in talibus viribus, virtutes dici non possunt, virtus enim est habitus perfectus, quo non contingit nisi bonum operari. Unde oportet quod virtus sit in illa potentia, quæ est consummativa boni operis, cognitio autem veri non consummatur in viribus sensitivis apprehensivis, sed hujusmodi vires sunt quasi præparatoriæ ad cognitionem intellectivam, & ideo in hujusmodi viribus non sunt virtutes, quibus cognoscitur verum, sed magis in intellectu, vel ratione.

29 Statuit ergo Sanctus Doctor in viribus sensitivis apprehensivis internis, habitus, eo pacto quo per consuetudinem dicuntur acquiri, tametsi virtutes nuncupari nequeant, cum veritas ad quam ordinantur, vel præparant agnoscendi viam, minimè consummetur, seù perficiatur in ipsis, solum autem in intellectu cujus ad illam est tendere, ut ad suum specificum objectum, ad quod cognoscendum sunt vires præparatoriæ, ut dictum est, ex quo clarerè potest quod per hæc omnia quibus ipsæ fulciuntur apprehensivæ vires sensitivæ internæ, virtutes ipsas nonnulla eis condecente notione attingant; utpotè quæ ad ipsas ut præparatoriæ ordinem inservientium dicunt.

30 Quod ulterius non modicè comprobatur, vires ipsas sensitivas apprehensivas interiores conspiciendo, habitu intellectivo, etsi non principaliter, ac primario tamquam Principes indutas, secundario tamen, ac ceù intellectus ancillas. Quod appositè insinuatum habemus ex D. Th. c. 2. quæst. 50. a. 4. Ubi: *Ad tertium dicendum*, (inquit,) *quod quia vires apprehensivæ interius præparant intellectui possibili proprium objectum.* (Phantasmata puta subministrantes, ut ipsemmet Sanctus Doctor infra quæst. 56. art. 5. ad 1. indicat) *ideo ex bona dispositione harum virium, ad quam cooperatur bona dispositio corporis, redditur homo habilis ad intelligendum, & sic habitus intellectivus, secundario potest esse in istis viribus, principaliter autem in intellectu possibili.* His ergo perpensis tàm de appetitivis, quàm apprehensivis potentiis sensitivis interioribus, minimè inficiendi locum remanere videtur, quod percipiantur, à sensibus, modo tamen eis consentaneo, & accomodo.

31 Quod autem ultimò in Molinica propositione superadditur: perdendas scilicet esse virtutes, ut monstruosum quoddam auditu resonare dicamus, imò nil monstruosius quod ab humano possit unquam corde verbum eructari. Cum pro nihilo faciat ornamenta ipsa cœlorum, ac de quibus maximè gloriantur Angeli, orbisque intelligentiæ motrices; quibus ut Sol ipse refulsit Christus Dominus, utque virtutum Dominus, Rex ipse gloriæ meritò ab Angelicis agminibus se dignoscendum ostendit, quibus inquam astra Sanctorum emicant universa, ac tamquam maximis onustis the-

Digitized by Google

theſauris effulſere Doctores: ſponſaque tandem ipſa, nonniſi eis prædi-tata cœli pretioſis monilibus, gemmiſque prænitentibus, gratioſam ſe ſuo divino viro, pulcherrimamque præbet.

32 Quid equidem abſurdius, quam ut perdendum id in comparatione cujus tamquam lutum æſtimandum eſt argentum, nec illi comparandum lapidem pretioſum, aut aurum? quoniam ut clamat Sapiens, Sapientiæ cap.7. omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, totiuſque mundi divitiæ quo nihilo ducendæ ad illud ut verum collatæ univerſi the-ſaurum: *Quoniam tantummodo illæ expetendæ ſunt divitiæ, pretioque dignæ opulentiæ, quæ divites, præditoſque virtutibus faciunt,* Divus Gregorius in-quit homil.14. ſuper Evangelia cap.8. Unde ſublatis illis nequaquam repu-tandi ſumus veras poſſidere divitias, quinimò ſi quas appellare velimus, falſas, atque fictitias, fucatique auri figmenta dicamus, uti ſunt omnia mundanæ fortunæ bona, cum animi dumtaxat ſint vera profectò bona, utque talia æſtimanda, earumque poſſeſſor, Cæteris univerſis omiſſis, omnia ſecum bona cum vulgato illo Phyloſopho portare cenſendus eſſet, nec proinde ab hoſte quidpiam, aut adverſæ fortunæ rapacitate ei rapien-dum. Propterea ſapientiſſimè Salomon, pollicito ſibi à Deo, quidquid ab eo petijſſet, protinus elargiturum, nil aliud ab illo sè dignè cenſuit pe-tendum, quam ſapientiam, indubiè ſanè conſcius, quod hac obtenta, uni-verſa sè conſequenter bona percepturum, cunctaque pariter cum illa pro-ſperè ventura, quæ feliciter, inde fortitus, fortunatiſsimè vixit, ma-gnificèque regnavit, atque florens in omni gloria ſua.

33 Virtus enim eſt illa prętioſa margarita pro qua comparanda liben-tiſſime induſtrius homo negotiator omnia ſua vendit, imò ex pro nihilo facit, pro quæſtu illius. Unde Seneca. *Nulla poſſeſſio, nulla vis auri, vel argenti, pluſquam virtus æſtimanda eſt, eo quod veræ divitiæ ſunt in animo, non in patrimonio, quæ non burſam, ſed mentem locupletant.* O quam ergo falluntur qui copia divitiarum temporalium expleti, beatos ſe reputant, fe-licemque agere vitam, cæcutiunt enim,& pluſquam fortuna ipſa quæ prø ipſis ſuo prodiga effuſo cornu, profusè fudit. *Solæ namque virtutes beatum faciunt*, illarum fallacia inſpecta Macrobius ſubdit, fortunam mundi con-temnens.

34 Præterea per quid amplius,& optimo jure,quam per virtutes homo oſtentare ſe valet.Siquidem eis cœli cælicis prædiratus dotibus,non ſecus ac armis,præfidiiſq;prękintus,contra cuncta adverſantia,invictum,& ineſpu-gnabilem ſe fore lætatur: qua de cauſa Seneca dixit, *non plus adverſum virtutem calamitates, damna, & injuriæ, quam adverſus Solem nubilæ. Vir enim virtuoſus per ſufficientiam vincit blanditias, per patientiam vincit triſtitias, calamitates, &c.* & iterum idem. *Sicut Solis claritas inferiora lumina ob-ſcurat, ſic dolores, anguſtias, moleſtias, & injurias magnitudine ſua virtus elidit; nam acrior eſt virtus ad occupanda pericula, quam crudelitas ad irro-ganda, &c.*

Digitized by Google

35 Cum ergo tam ingentia conferant homini bona virtutes, rectè ut mentium ad ſuperos erectivæ, cordaque ſurſum elevantes perpetuò celebratæ fuerunt. Unde Seneca: *Validiorem omnium, & celſiorem, & ampliorem facit virtus, nam cætera quæ cupiditates noſtras irritant, animum deprimunt, & labefaciunt.* Quod multo prius, & magis, & celſius à Regio Vate intentum, comprobat illud in Pſalmo dicens: *Dextera Domini fecis virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Cujus tam validam vim, maximamque potentiam, Sanctus Maximus Epiſcopus contuitus homilia in die Cinerum ait. *Inane eſt, & vanum quidquid nullius ponderis, aut virtutis firmitate conſiſtit.*

36 Quare optimo jure ducti egerunt priſci temporis Heroes illi ſapientiæ, virtutumque cultores, viriquę famoſi, qui divitiis omnibus, mundique pompis abjectis, quæſtuoſiſsimæ virtutum mercaturæ, totum ſui animum appellerunt, ut Socrates, Ariſtides, Fociones, Platones, Marci, Luciique Annæi Senecæ, aliique quamplures eis priſci Seculi compares, ſicut & noſtri temporis quamplurimi virtutum omnium amatores, firmique ſectatores, ac recto nuncupandi jure Sophones, ſivè Phyloſophi, quod idem reſonat, ac ſapientiæ amatores, de quibus ſivè in ordine naturæ, ſivè gratiæ ut planè notis, ſupervacuum eſt ſeorſim, vel nominatim agere, mentionem, qui nullo labore feſsi, nullo periculo fracti, nullo flexi perpeſſu ab incepto ſiſterunt tanti boni amore. Sapienter equidè, cum ex eo quod virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimũ, optimo ſe cogitatu duxerunt, talia, tantaque pati, ut ad ſic excelſum eminentiæ culmen conſcenderent. Noſcebant enim illum inter hominum claſſes reputandum ut hominem, illumque beatum, qui virtutum ſplendoribus emicat, gemmiſque refulget: quam ob cauſam inter homines excurrens, hominem quærebat ſua lucerna Diogenes, quia tantùm virtute præditum exquirebat, nec non beatum illum, ac tantummodo fore cenſebat, quem virtutum lumine effulgere cernebat, juxta ſuorum dogmata Stoycorum, beatos, virtuosè tautùm viventes opinantium. Non ergo ut homo ſentit, nec agit ut homo, cujus naturalis eſt ad ſcire, virtuteſque cupiditas, has odio habens, eas ab humano fœdere tollit, ac perdendas eſſe reputat: per ipſas namque virtutes diſcriminari optimè cenſetur homo ab animalibus brutis, perque ipſas totius numeri homo dicitur, & ut vulgò, ab omnibus homo quadratus, alias ut non homo, perindeque ut non ens, nullíuſque in humano convictu probitatis, momentique adjudicandus.

37 Quod autem ſtudio meditationis, aut contemplationis incumbens, nomen hominis meritò aſſequatur, haud eſt denegandum, cum ipſe præceteris omnibus virtutes exercere noſcatur; cumque virtus, ut dictum eſt, munus agat ad ſumma hominem elevandi, meditationi dans operam, & contemplationi, hoc præſertim agens, quod ſcilicet alta petat, evoletque per cor altum ad aſtra, ſequitur, quod in ipſo præcipuè debeant

elu-

Digitized by Google

elucere virtutes, quod sublimè indicat D.Gregorius Pontifex in Job c.84. super his verbis. Numquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, &c. In quorum expositione varii agnoscentur virtutum actus, ut charitatis, fidei, spei, cœlestium desiderii, despectionis terrenorum, &c. pro quibus sic loquitur exponendo Sanctus Pontifex. *Hoc loco Aquilæ nomine, subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum comtemplatio figuratur. cunctarum quippè avium visum, acies Aquilæ superat; ità ut Solis radius fixos in se ejus oculis nulla lucis suæ coruscatione reverberans claudat. Ad præceptum ergo Dei elevatur Aquila, dum jussionibus obtemperans* (en actus virtutis obedientiæ) *in supernis suspenditur fidelium vita, quæ & in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens, spe jam de cœlestibus nutritur,* (en actus Spei, & consequenter amoris erga cœlestia, & abjectionis terrenorum) *In arduis nidum ponit: quia habitationem mentis suæ in abjecta, & infima conversatione non construit. Videamus Aquilam nidum spei sibi in arduis construentem, quæ ait, nostra conversatio in cœlis est,* (en amoris actus tendens ad cœlestia, *& rursum, qui corresuscitavit, & confedere nos fecit, in cœlestibus* (en actus fidei erga Christum Dominum sublevantem ad cœlos) *In arduis habet nidum; quia profectò in supernis figit consilium.* (en actus prudentiæ) *Non vult mentem in imadeijcere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare.* (en passim virtutum actus in sequentibus) *Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur, sed ibi erat ubi ardentem jam mentem fixerat,* (en expressus actus amoris) *non illic ubi eum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ iter capere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse: quatenus cuncta quę præterfluunt, sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent, & sic deinceps, &c.*

38 Idemque Sanctus Pontifex in Job cap.26. eosdem actus indicans in contemplativo sic ait. *Electorum mentes, dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ exquirunt: cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio,* (en virtuosa exercitatio) *in conditoris sui spe, & contemplatione requiescit: supernis interseri civibus appetit, ut unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit, grumnam exilii, quam tolerat deplorat, & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat,* & ità ulterius, &c.

39 Divus item Ambrosius libro de Gratia, & Anima in Hexameron; super illud Canticorum 3. referens admirationem animarum de Sponsæ ascensu ad cœlos, inquit. *Desertus hic terræ locus, & incultus videtur, sentibus, & spinis nostrorum obrutus delictorum: mirantes videlicet quomodo anima, quæ antea in inferno derelinquebatur, inhæreat Dei verbo, & ascendat sicut vitis propago in superiora se subrigens, velut fumus natus ex igne, atque*

ab-

Digitized by Google

alta petens, tum præterea bonis operibus flagret. Odor autem ille orationis piæ redolet ſuavitatem, quæ dirigitur ſicut incenſum in conſpectu Dei, &c. In quibus Sancti Doctoris verbis, idæa nobis exprimitur animæ meditantis, & contemplantis, quæ ex imis mundi hujus aſcendens per mentis elevationem ad cœlum, bonis flagrare dicitur operibus, meritiſque virtutum.

40 Idemque Sanctus Antiſtes in Pſalmum 118. Sermone 19. idem inſinuando dicit. *Clamat ergo cor noſtrum, non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, contentuque virtutum, &c.* Et ità profectò meditationibus, contemplationibuſque intentus cujus cor, aut anima clamat ad Deum, ſuam excogitando bonitatem, ſublimiaque myſteria, ſuaſque cum armonico virtutum ſonitu cogitationes aſſociando.

41 Divus tandem Auguſtinus ad eadem dirigens Sermonem 39. ad Fratres in Eremo de vita ſolitaria, & contemplativa, ſic illos huic operam dantibus exhortans ait. *Sumus Fratres in bello reſtringentes, & præcingentes lumbos noſtros, tenenteſq; lucernas ardentes charitatis, juſtitiæ, pacis, tranquillitatis, &c.* & infra ibidem de ſua religione, præfatæ vitæ attendens, & Subdit. *Hæc eſt vinea illa fertilis quam plantavi velut Paterfamilias, quam ſepè paupertatis, charitatis, & obedientiæ, & caſtitatis circumdedi,* & iterum. *Hæc eſt illa paradiſus ameniſſima de qua exeunt flumina ſapientiæ, & veritatis, continentiæ, & caſtitatis, in quam Deus delectatur ſicut in omnibus divitiis, &c.*

42 Idemque Sanctus Doctor de attingentia virtutum à ſenſibus loqui etiam videtur ſuper Pſalmum 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Numquid non ſuffecerat dicere, cor meum exultavit in Deum vivum, niſi addidiſſet, & caro mea? Videamus ergo quomodo in Deum, cor ſimul, & caro hominis exultant. Quomodo niſi ut homo & carne, & corde Deo ſerviat, cor enim exultat in Deum, quando honeſta, & ſancta cogitat, quando religioſa opera, & Deo placita concupiſcit.* (en Sancta, & pia cogitatio, ſeù meditatio cum exercitio virtutum) *Caro autem exultat, quando pudica eſt, quando nullas immundis actibus ſordidatur,* & infra. *Nulla caro exultat in Deum, quæ vivit in vitio, ideo Propheta dicebat: Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum; quia & corde retinebat plenam religionis fidem, & carne ſervabat devotam corporis ſanctitatem, &c.* Ex quibus Sanctorum Patrum erga virtutes admonitionibus, & hortamentis, evidenti ſequela, abjectio infertur illius, quod tam diſſonum humanæ menti auditur, perdendas eſſe virtutes; & ut fallax imo factua repellitur trigeſima prima propoſitio Molinos, videlicet ut ſupra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

Trigesima secunda Propositio Molinos. *Nè avanti, nè dopò la Communione ci vuole altro preparamento, ò ringratiamento (per quelle Anime interne) che starsene nella solita rassegnatione passiva; perche in questa vi è l'amore, che supplisce con modo più perfetto di tutti li altri atti di virtù, che si potrebbero fare, e si fanno nella via ordinaria, che se in questa occasione di Communione vengono moti di humiliatione, petitione, ò ringratiamento, si devono reprimere, ogni volta non si conosca essere impulsi speciali di Dio, altrimente sono impulsi della natura, che non è morta.*

Oppositum è contra dictum.

Ut opportunum dicendum est, atque necessum, præexequiri ad Sacram Communionem, Animæ præparationem, sicut, & posmodum gratiarum actionem: nec non perinde horum ipsorum actuum insurgentes obsequi motiones.

EX altissima profectò causa ut fertur Exodi 3. Deus super thronum flammei Rubi residens, voces emisit inhibentes, necnon simul una præcipientes percurrenti ad ipsû Moysen, nonnisi nudis pedibus ad limina ignei solii accessum haberet. Ut figuram equidem exhiberet, cunctosque admoneret, quod ubi sua divina irradiat in Majestate, ac potestate Majestas, rejectis mundi hujus illecebris, ejusq; fortunæ bonis universis, nonnisi passibus nudis cordis, purique pectoris, valeamus ad ipsam approperare. Quamobrem ad suam indicendam inviolabilem puritatem, dum in vertice Montis Sinai suam ostendebat plenipotentiam, inde undique flammeis fluminibus, tonitruis, tubis, nebulisque altitonans, à longe sub pœna capitis detinebat populum, nè quidem digito extrema montis attingeret, zelotipus, & magnoperè sui throni candoris, intactum eum asservans ab impuri populi illotæ ceu manus attactu: Unde meritò de se conquæstus Isaias Propheta clamabat cum Altissimum vidit super thronum excelsum, & elevatum, væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum; erubescens, quod coram tanti claritate inspectoris, immundam gereret, invisamque spectatoris personam.

Quis ergo ambigit, cuncta jam præfata divinæ simbola majestatis, spectacula præfigurantia fore ejusdem Majestatis Altissimi supet thronum effulgentis Sacramenti Altaris? Hoc enim etiam & ipsum est flammeus Rubus Dei nostri, qui ignis consumens est: ut adhuc & ipsum Mons Sina admirandum; ex quo divinus ipse Legislator, sub specie Sacramentali, flammas

Digitized by Google

mas sui emittit amoris erga se digne recipientes: fulgura verò, ac tonitrua, vibrat, itemque tubis adhuc exterret, atque jaculans vindicis iræ sagittas, neces inferre visum est inflictarum persæpe pœnarum, in audentes ipsum irreverenter assumere. Quare ad ipsum in hoc Evangelico, ac Sacratissimo Throno emicantem, ne item hæc ipsæ flammæ adhuc erumpant iracundæ vindictæ, nonnisi admodum, remisso corde, puraque anima est accedendum, nec non ad eum ut Sponsum animarum, debet illa ut Sponsa viro suo parata, accessum habere, cujusque deinde habito per sui intimam unionem amplexu, ac suimet ut agni immaculati ineffabilis accepta gratia comestionis, maximas effundere pro tanto munere gratias.

1 Ità quo ad primum de apparatu, seù præparatione ad tàm grande mysterium, arguitur cum D. Th. 3. p. quæst. 80 art. 5. In quo dupliciter accepto usu Eucaristici Sacramenti, & ex parte scilicet ipsius Sacramenti, & ex parte sumentis, perutilem fore dicit, quotidianum illius usum, juxta primum accepto sensum, non autem quoad secundum, cum non semper ad illud sit debitè dispositus homo. Unde ad hujus Principis Sacramenti susceptionem præparatio in assumente requiritur, & accurata instructio. Inquit ergo Sanctus Doctor. *Circa usum ipsius Sacramenti duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideo utile est quotidiè ipsum sumere, ut homo quotidiè ejus fructum percipiat.* Unde Ambrosius lib. 4. cap. 6. to. 4. dicit. *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo recipitur ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideo si aliquis se quotidiè ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidiè sumat.* Unde Augustinus in Sermone 28. de verbis Domini tom. 10. cum dixisset. *Accipe quod quotidiè tibi prosit, subiungit, sic vive, ut quotidiè mereatis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus, quotidiè ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque ad illud homo se invenerit præparatum. Unde in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur, quotidiè Eucaristiæ Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

2 Quapropter ut ibidem ad tertium in præcitato D. Th. amorem illa exigit, & timorem, amoré ut exoptetur, timoré ut observetur, quod utiq; nonnisi accessum ad illam eum debito infert apparatu conscientiæ. *Reverentia enim hujus Sacramenti; inquit ipse habet timorem amori conjunctum; ex amore enim provocatur desiderium sumendi; ex timore autem* (qui timor filialis est, utpotè timor reverentiæ ad Deum, ut in 1.2. quæst. 6 art. 4 explicatur) *consurgit humilitas reverendi, & ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidiè sumatur, & quod aliquando abstineatur.* Unde Augustinus dicit in epistola 118. cap. 3. tom. 2. *Si dixerit quispiam non quotidiè*

Digitized by Google

diè accipiendum Eucariſtiam, alius contra, faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neque enim litigaverunt inter ſe Zaccheus, & ille Centurio: Cum alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum; alter dixit, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo; amor tamen, & ſpes, ad quæ ſemper ſcriptura nos provocat, præferuntur timori: Unde & cum Petrus dixiſſet, exi à me Domine, quia homo peccator ſum, reſpondit Jeſus, noli timere.

3 Igitur ſi in aſſumēte Sacramentū Eucariſtiæ, amor exquiritur, ac firma fides, timor, & ſpes, ſtudioſa in eo requiritur ad illud præparatio, accurata diſpoſitio, bonū ſui cordis examen: non enim his neglectis, ſtare poterit ad Chriſtum Dominum præfati auctorem Sacramenti vere amor, non veri filii timor, non veridici fidelis viva fides. firmaq; ſpes: cum nequeant in anima impræparata, atque vecordi, divinæ charitatis amor ardere, non timore tremere filiali pectus, & viſcera, neque perinde ſpes aliqua de fructu ipſius percipere quidquam aut ex illo viva fides exultare in Domino.

4 Item cum Eucariſtiæ Sacramentum inter cætera principatum teneat Sacramenta, ea ratione qua cum majori agendum eſt ſolemnitate, præparatione pariter, & apparatu cordis aſſumendum dicamus, atque accuratiori animi attentione. Quod per extenſum oſtendit D. Th. 3. p. q 83. art. 4. in quo pro convenienti ordine circa ea quæ in hoc Sacramento aguntur ait. *Quod quia in hoc Sacramento totum myſterium noſtræ ſalutis comprehenditur, ideo præ cæteris Sacramentis cum majori ſolemnitate agitur. Et quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt. 4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini, & 18. ante orationem præpara animam tuam. Ideo ante celebrationem hujus myſterii. Primò quidem præmittitur præparatio quędam ad dignè agendum ea, quæ ſequuntur.* Quam præparationem dividit S. D. in quatuor partes, quarum: *Prima eſt laus divina, debet enim primò laudari Deus. Secunda eſt commemoratio præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur divina. Tertia pars commemorat cœleſtem gloriam ad quam tendimus poſt præſentem vitam, & miſeriam. Intermittitur autem in officiis luctuoſis, quæ ad commemorationem miſeriæ pertinent. Quarta autem pars continet orationam quam Sacerdos pro populo facit.* Poſt quæ S. D. fusè agens, & præclarè de omnibus, quæ in tàm præcelſo ſacrificio aguntur, *ultimò autem*, inquit, *tota miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur*, (quod facit pro altera noſtri parte aſſerti) *populo exultante pro ſumptione myſterii, & Sacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & Chriſtus celebrata cœna cum diſcipulis, hymnum dixit Matthæi 26.*

5 Ex quibus omnibus hujus admirandi myſterii, & antecedentibus, & conſequentibus, de quibus longè latèque fuſius in præcitato Doctor Angelicus liquidò ſequitur quàm opportuna ſit ad ejus ſumptionem præparatio, quamque ad tàm pretioſum cibum aſſumendum, accuratus hominis apparatus; ſub ejus namque ſpecie Rex ipſe Regum, dominuſque dominantium

nantium ad hoſpitandum in noſtram dignatur animam venire. Cum autem in ſuas ingrediuntur Regias Reges, quæ pro ipſorum non conſtruuntur magnificentia pompæ? Quoque pro illorum ſplendidiori decore, magnifico apparatu, atque ſpectaculo obviam eis procurrit populorum, Principumque concurſus? Eo magis ergo cum in ſuam intrat ipſorum divinus Princeps, Univerſique conditor, exornanda candore puritatis eſt, charitatis auro fulcienda, cunctarumque præditanda virtutum inſignibus, ut meritò dicatur talis aula Regis; Et verè quidem cum Templum ſit Altiſſimi anima noſtra, ſapientiſſimè aget, ſi ad inſtar ſapientiſſimi illius Regis Iſrael, dit ſſimè ſe myſtice perornabit, ut dignum nuncupetur Altiſſimi Tabernaculum, digneque ei pro ipſa cum Regio Vate dicatur *Sanctum eſt Templum tuum, mirabile in veritate.*

6 Quod propter hujus Sacramẽti excellentiã confirmat D. Th. in præcitato ad quintũ, eo quod hoc Sacramentũ ut omnibus cæteris præſtantius, eminentius præſtat ob maximam Chriſti Domini ejus auctoris continentiã, unde ad ipſum major prærequiritur devotio, majorque populi pietas. Quoniam ut ait ipſe Sanctus Doctor. *In hoc Sacramento, & major devotio requiritur, quam in aliis Sacramentis, (propter hoc quod in hoc Sacramento totus Chriſtus continetur), & etiam communior, quia in hoc Sacramento requiritur devotio totius populi, pro quo ſacrificium offertur, & non ſolum percipientium Sacramentum, ſicut in aliis Sacramentis, & ideo ut Ciprianus dicit in libro de ordinatione Domini. Sacerdos præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo, ſurſum corda, & dum reſpondet plebs, habemus ad Dominum; admoneatur, nihil aliud ſe quam Deum cogitare debere.*

7 En pro tanto myſterio peragendo debita præparatio, cum omnibus hujus mundi curis omiſsis, nihil aliud in cordibus fidelium vigere debeat quam Deum mente complecti, ejuſque cœleſtium myſteriorum devotæ contemplationes. Non enim fas eſt, quod ingrediente cor hominis divino Rege, à ſuo unde ortum eſt principio, ultimoque intento fine, averſum inveniat, converſumque ad terrena, & affectum ad ima, ac perinde quaſi parvi ſuperna pendens, ſervilia, atque deſpicabilia expetens, plebeum in ſe turpiter oſtendat, vilemque enutrire amorem. Haud ſecus ac ut de perverſo quondam populo legitur Hæbraico, qui Manna de Cœlo præſtitum nauſeans, quodque omne in ſe delectamentum habebat dedignando, cæpas, alioſque ruſticos emancipatus cibos ſuſpirabat Ægypti.

8 Præterea ad amplius præfatam ſuadendam præparationem, valeat arguere ex oppoſito, quam ſcilicet graviter peccet, fœdeque delinquat, qui non prævia, vel præciſa illa ad illud aſſumendum accedit. Unde D. Th. ibidem articulo 4. inquit, *quod peccator ſumens corpus Chriſti graviſſimè peccat peccato ſacrilegii, tamquam Sacramenti violator; ſiquidem ad illud dignè ſumendum requiritur fides formata, ac perinde gratia, & charitas, quas nullus in peccato mortali exiſtens habere poteſt.* Unde ſic debet ad illud ſe parare fi-

delis,

Digitized by Google

delis, ut abjecta forma, seù vitii umbra oppositâ, formæ cœlesti, seù lumine gratiæ, virtutumque subinde radius emicans, contrito corde ad illud assumendum accedat. Quod si non tàm perfectè se geret, sicut esset cum contritus accedit, studeat saltem ut attritus, quod adhuc est bene se ad formam gratiæ disponere. Notum est enim quod ex vi Sacramenti ex attrito fit contritus, ac per consequens ab informi, ad esse gratia, & charitate formatum ultrò pertransit.

9 Quoniam autem pacto peccator ad hoc Sacramentum accedens fiat sacrilegii peccato reus, tamquàm Sacramenti violator, explicatur ibidem a D. Th. *Quia ad dignam, & perfectam hujus Sacramenti susceptionem, prærequiritur fides charitate formata, ut arguitur ex rebus ab hoc Sacramento significatis, quarum una est significata, & contenta scilicet ipse Christus, alia significata, sed non contenta, scilicet Corpus Christi mysticum, quod est societas Sanctorum. Quicumque ergo hoc Sacramentum suscipit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, & membris ejus incorporatum, quod quidem fit per fidem formatam, quàm nullus cum peccato mortali potest habere.*

10 Patet igitur quod quicumque imprudens, impudicus, & infrons sordidis amictus vestibus habituum vitiosorum, ad Sacram mensam irreverenter audet accedere, sumitque Magni Regis cibum Regium, & Angelicum, falsitatem in tàm venerabili, & Sacro Convivio committit, ostendendo se cæteris unitum esse justis, & sanctis, qui membra sunt Christi viventia, ac perinde huic ut capiti annexum, cum aliunde per peccatum quod in se adhuc retinet, non ità in rei veritate se habeat: Qua propter ut falsus, & fedifragus, maximo peccato peccat sacrilegii, tamquam impius Sacramenti violator, ac per consequens ut mendax in hac tanti momenti, tamque sanctè tractanda, acriter puniendus, nec non in tenebras mittendus exteriores interorum; ubi tandem ut exemplum omnium sua pœna edoceat, quam maximo studio paratos ad illud nos oportere mysterium attentare accessum.

11 Quamobrem ut in responsione ad secundum ibidem D. Th. inquit *non datur hoc Sacramentum, nisi jam peccato liberatis, unde dicitur Sacramentum vivorum, ac per consequens ad illud benè dispositis, & paratis, formis habituum obstantibus, & oppositis vitiorum, aut actibus ejectis*, quod explicat D. Th. ex discrimine, quod inter Sacramenta pœnitentiæ, & baptismi versatur, & Sacramentum Eucaristiæ. *Illa enim sunt medicinæ purgativæ, hoc verò medicina confortativa: medicina autem ut per artem agitur medicam, quæ datur jam liberatis à febre, ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus: Ita etiam baptismus, & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgativa, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: hoc autem Sacramentum scilicet Eucaristia, est medicina confortativa, quæ non datur nisi jam liberatis à peccato.*

12 Ex qua tàm clara doctrina, jam præsupponi arguitur sumens illud,

Digitized by Google

mundatus, præparatus, rectèque disposítus, atque ut Moyses ejectis terrenorum affectuum calceamentis, nudis pedibus puritatis, ad Rubum illum divini amoris accurrere. Unde qui hoc Sacramentum inepte assumere audet, gravissime peccare dicitur; quoniam ut in præcitato D. Th. inquit articulo 5. *Post peccata contra divinitatem, & humanitatem Christi emissa, primum hoc obtinet locum, gravissimum quippè est inter commissa contra Sacramenta, quæ ad humanitatem pertinent Christi, atque puras peracta creaturas.* Et tremendum auditu est, quod ad secundum subjungit Sanctus Doctor, *Quod scilicet estò fornicator non comparetur Judæ quantum ad criminis quantitatem, comparatur tamen quantum ad hoc scilicet, quod fornicator accipiens Corpus Christi, assimilatur Judæ osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia utrque ex signo charitatis Christum offendit.*

13 Quo quid deterius in anima Christiana? quod totum oritur ex impudentia qua peccator indispositus, & imparatus audet assumere Sacramentaliter Corpus Christi Domini, dignus equidem, ut de facto contingit justo Dei judicio, vt vice Dei, ad eum veniat, & mansionem apud eum sic perverse degentem, faciat Sathanas, ac nequaquam Regia Solis æterni sit ejus, tamquam novelli Judæ Apostatæ cor impium, quinimo solius Principis tenebrarum, ibique diruta cœlestis Hyerusalem Civitate, Babilonis infernalem; ædificet.

14 Ad quæ benè confert id quod ulterius articulo 6. ibidem subsequitur D. Th. agendum à Sacerdote pro digna Eucaristiæ sumptione. *Quod scilicet Sacerdos qui est conscius criminis, occultè monere debet peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, nè ad mensam accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur, cujus evidenti defectu meritò denegatur publicis peccatoribus, vel etiam per aliquod judicium Ecclesiasticum, vel seculare, his etiam petentibus deneganda est Sacra Communio. Unde Ciprianus libro 1. epistola 10. scribit ad quemdam. Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de hystrionibus, & mago illo apud vos constitutus adhuc in artis suæ dedecore perseverans. An talibus Sacra Communio cum cæteris Christianis debeat dari. Puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tàm turpi, & infami contagione fœdetur.*

15 Item pro ipsa inculcanda ad Sacratissimum Christi Corpus dignè sumendum præparatione, cordisque puritate, facit etiam id quod ibidem infra resolvit articulo 7. D. Th. de pollutione nocturna, quæ impedimento esse potest ad tanti Sacramenti dignam perceptionem; Cum ratione suæ causæ peccatum in se mortale annexum habebit; secundum se namque inspecta rationem in se peccati habere nequit, cum hoc pacto voluntaria non sit. Cum ergo id quod impedit ex necessitate hominem à sumptione hujus Sacramenti, sit peccatum mortale, si hoc sibi pollutio nocturna annexum habebit, impedimento procul dubio ad illud homini erit; ut fusè

Digitized by Google

in præ citato D.Th. perpendit. Quod totum oritur ex præparatione, quæ indispensabiliter prærequiritur, animæque munditia pro Sanctissimi Christi Domini Corporis sumptione, quæque cum peccato mortali, nullo supponitur posse compati pacto, sicut incompossibilia in corde sunt gratia, ac ab ipsa exortæ virtutes cum peccato mortali: cum ulla sit conventio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial.

16 Quo circa scitè D. Th. 3. p. quæst. 54. art. 6. resolvit malos ministrantes Sacramenta peccare, eo quod indecenter illa ministrant, nec Sancta, Sanctè, ut conuenit, sed immunde tangere audent, quod est indispositè, & indiscretè Dei Sacra tractare. Imò, & ultro Deum tentare ipsum, ut eos simili vindicta, puniat, ac filios percussit Aaron, eo quod pariformiter ad illos non pertimescunt accedere ad arcam mysticã Sacrosancti Corporis attingendũ, ignem alienum terrenæ concupiscentiæ inverecunde gerentes. Non enim, sereno potest perferre oculo immaculata Christi præsentia, pati à fœda manu, pollutionem, & incontaminabile corpus suum à contaminato attingi Ministro, uti maximè ab immundo suscipi pectore, & quasi denuò à proditore devoratum Apostata Juda, detur canibus panis Angelorum. & quidem si nullatenus ferre nequit, quod peccator enarret justitias ejus, & assumat testamentum ipsius per os suum, utpotè putidum, ac fœculentum, quodque acriter inhibet illi per Psalmistam Psalm. 49. quid erit cum viderit peccatorem assumere ipsummet divinum Corpus, & per os quod veluti sepulchrum est patens, temeraria deglutire impudentia cordis?

17 *Cujus Ministrorum indecentiæ rationem porrigit D. Thoma ibidem*, præmisso Aristotelis principio 2. ethicorum cap. 13. *Quod scilicet aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur modo indebito, seù non secundum quod oportet. Cum ergo conveniens sit ut Sacramentorum Ministri sint justi, quia Ministri debent conformari domino, secundum illud Levitici 19. Sancti estis, quia ego Sanctus sum, & Ecclesiast. 10. secundum Judicem populi, sic, & Ministri ejus. Unde dubium nullum est, quod mali, exhibentes se Dei Ministros, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccant. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccati. (licet Sacramenta secundum se incontaminabilia sint) Consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. Unde D. Dionysius cap. 1. Cœlestis Hyerarchiæ ait, quod malis non est fas, nec tangere simplicia ista Sacramentalia signa, quanto magis igitur illa sumere? & in epistola ad Demophitum dicit. Talis scilicet peccator audax videtur, Sacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur, divina præter divinitatem exequens, & dum putans ignorare, quæ ipse in semetipso cognovit, & decipere estimat falso nomine patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super divina signa Christi formiter enunciare.* Quid contra sacrilegos, fœdosq; ad tantùm Dei mysterium, & ministeriũ accessores ardentius? Idcirco ut prosequitur D. Th. ibidẽ ad primum. *Præexigitur in*

Mi-

Ministro sanctitas justitiæ ut congruat suo ministerio, & ideo incongruè agit, & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

18 Quod est idem ac si imparatus, & sordidus ad illud se intromittat agendum. Et hoc quod de Ministris est dictum, pro monitu valet ibidem ad omnes in Universum fideles, discrimine tantùm habito, quod illi paratos præbere se debent, ac dispositos pro tractando simul, vel inserviendo, nec non sumendo Christi Domini Sacramento Eucaristico, his autem tantummodo pro sumendo; In omnibus tamen utpote pariter Sacr Convivii commensalibus, præparatio præexigitur, condecensque apparatus puritatis, & sanctitatis. Priusquam ergo ad Venerabilis Aræ habeatur accessus pro divino sumendo Corpore Christi Domini nostri, probet homo seipsum, & sic de pane illo edat, & Sacerdos de Calice bibat, ut exhortatur Apostolus. Quoniam in seipsum fidelis ipse reflectere debet, num meritò, vel immeritò præsumptuose, an reverenter, sacrilege, an sacre, ad fontem hauriendum accedit aquæ vivæ, ac vitę, panemque comedendum Angelorum. Quam ob causam S. Synodus Tridentina sessione 13. c. 7. de hac re agendo, his nos admonet verbis. *Cerne quo magis sanctitas, & divinitas, cœlestis hujus Sacramenti piè Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id recipiendum accedat. Certus aliunde morte devorare, non vitam, auctorem indignè degustando vitę, & ut advertit Apostolus, judicium sibi manducare, & bibere, cum indignè illum manducat, & bibit.*

19 At pro ipsius Sacratissimi Corporis, & Sanguinis Christo debita sumptione, ac perinde quo ad illam opportuno apparatu, quis non audit Sanctos clamare Patres; ac pro illius digna perceptione cohortantes? Sanctus enim, & primò Ambrosius libro de Sacramentis in suam efformando orationem, inquit. *O quanta lachrimarum contritione, quanta reverentia, & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate hoc summum mysterium est celebrandum, ubi verum conficitur Corpus Christi; ubi adest præsentia Angelorum, ubi etiam ipse Christus sacrificium est, & Sacerdos, nemo ad hoc dignus est, nisi ipsum dignum effeceris, &c. Unde in figura Levitici 21. dicitur; quicumque habuerit maculam non offerat panem Deo suo, & pro timore ad illius assumptionem Ezechielis 12. panem tuum in conturbatione comede. Glossa. Idest panem Eucaristicum in timore.*

20 Divus item aureusque Joannes Chrisostomus sermone 6. ad populum Antiochenum, concionando fatur. *Cogita quantum adversus proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt; Itaque considera nè tu quoque sis reus corporis, & sanguinis Christi. Illi Sanctissimum Corpus occiderunt, tu verò polluta suscipis anima, post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit, hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi: verum, & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verum, & ipsa re nos suum efficit Corpus. Quo non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne spiritali repletur,*

lin-

Digitized by Google

linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem: hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi Corpus, & una caro. Quis loquitur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis Pastor oves proprio cruore pascit? &c.

21 Sanctus etiam Cyrillus lib. 3. in Joannem cap. 6. ità post multa concludit, & ait. *Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari: & rectè vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia, ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Quare demus operam modo, ut vinculis ejus abruptis, & jugo servitutis peccatorum excusso, in timore Domini serviamus, & ut carnis voluptate per continentiam superata, ad cœlestem gratiam accedamus. &c.*

22 Divus tandem Augustinus tractatu 26. in Joannem, post plurima, sic item & ipse præfatam ad Sacramentum Eucaristicum præparationem inculcat. *Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus: Judicium sibi manducat, & bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? & tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus malè accepit. Videte ergo fratres, panem cœlestem spiritaliter manducare, innocentiam ad Altare apportate. Peccata, & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera: Antequam ad Altare accedatis, attendite quid dicatis, dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum, &c.*

23 Item idem sermone 27. ad Fratres in Eremo, eundem reverentiæ apparatum ad tantum Sacramentum figuris sacris inculcans, nec non historiis, post multa dicit. *Scitis enim Fratres, quod die quadam David venit ad Abimelech Sacerdotem, & ait David esuriens, da mihi aliquid cibi: & respondit, non habeo panes laicales ad manus, sed tantùm panem Sanctum, & ideo dic mihi ò David, sunt mundi pueri tui à mulieribus? & ait, sunt ab heri, & nudius tertius, & sic dedit Sacerdos eis sanctificatum panem. Si ergo interrogavit Sacerdos, utrum servi David mundi essent propter panes propositionis accipiendos; quid facere nos debemus miseri Sacerdotes* (adde omnes Christi fideles) *propter Corpus Domini accipiendum? Si pro figura ità agebatur, quo pacto pro figurato? O' Fratres mei sic, & Sacerdotes paganorum dum offerre debent Diis suis incensa, ab omni malo ut possunt abstinent. Ego Ego jam Episcopus Hypponensis eram, & cum quibusdam Servis Christi ad Æthiopiam perrexi, ut eis Sanctum Christi Evangelium prædicarem, & vidimus ibi multos homines, ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cætera membra æqualia nobis habentes. Inter quos Sacerdotes eorum vidimus uxoratos, tanta tamen abstinentia erant, quod licet uxores Sacerdotes omnes haberent, numquam tamen nisi semel in anno eas tangere volebant, qua die ab omni*

Digitized by Google

ai ſacrificio abſtinebant. Vidimus, & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum tantùm oculum in fronte habentes, quorum Sacerdotes à converſationibus hominum fugiebant, ab omni libidine carnis ſe abſtinebant, nihil ſumebant, niſi metretam aquæ per diem, & ſic contenti manentes dignè Diis ſuis ſacrificium offerebant. O' grandis Chriſtianorum miſeria, ecce Pagani Doctores fidelium facti ſunt, &c.

24 Ex quibus magni Patris Auguſtini documẽtis, ac relatis à ſe inſpectis inter barbaras gentes, potiori jure, vel pacto arguitur, quid à Chriſtianis agendũ erga Sacroſanctum Altaris arcanũ, quod ſi Æthiopicę, ac monſtruoſæ illius regionis populi, ità ſe paraverant ad ſacrificia ſua: quid de fidelibus Deo vero ſacrificantibus dicendum? Deumque verum aſſumentibus? quid de ipſis ut veræ divinitatis populo electo eſt præſumendum? Quo ab eis eſt apparatu cordis ad Sacrum Altare accedendum? quo fieri Sacri Convivii participes, & commenſales? Quod ſi in tanto myſterio peragendo inertes inventi fuerint, nec non in tantæ pietatis opere, ab ipſis infidelibus evicti, meritò clamare poſſemus cum D. Auguſtino. O' grandis Chriſtianorum miſeria, ecce pagani Doctores fidelium facti ſunt.

25 At quid de hominum præſtantia? Dæmones fortaſſe ipſos, vereor nè in hoc excellere, utpote qui, tametſi coacti veritate, credunt, & ad conſpectum tanti myſterii, contremiſcunt, nec vi aliqua in eis obſiſtente divini arcani fulgoribus, illicò tremebundi evaneſcunt. & ità inter illorum plurima ſuper hoc mirifica facta, relatum habeo, & valde mirum eventum anno ab incarnatione Domini 1231. De quodam hæretico qui in ſuis erroribus ſocios habere ſtudens, Fratrem quemdam Ordinis Prædicatorum ad hæreſim trahere toto poſſe, adnitebatur & arte, quem cum videret conſtantiſsimè renitentẽ, dixit ei: Pertinax valde es in fide tua: nec tamen de hac niſi per ſcripta quædam aliquid certius inſpexiſti. Credere autem ſi velis dictis meis, Chriſtum tibi, & matrem ejus, ac Sanctos oculata fide monſtrarem, & evidenter oſtenderem. At bonus Frater hæc audiens, illuſionem dæmonum ſuſpicatus, riſit intra sè, nihilominus tamen volens probare quid eſſet. Non immeritò, inquit, tibi nunc crederem ſi promiſſa duceres ad effectum. Gaviſus hæreticus diem Fratri ſtatuit. Frater verò pixidem cum Sacramento Corporis Chriſti clam ſub Cappa portavit. Duxit ergo Fratrem hæreticus, intra ſpecum cujuſdam montis ad amplum valdè palatium, quod claritate mirabili relucebat. Nec mora: ut ad interiorem partem palatii pervenerunt, viderunt thronos poſitos quaſi ex auro puriſsimo: in quibus Rex fulgore coruſco circundatus erat, & à dextris ejus ſpecioſiſsima Regina pariter ut Sol effulgebat: ex utraque autem parte ſedilia, in quibus Seniores quaſi Patriarchæ, vel velut Apoſtoli reſidebant: aſtante maxima multitudine ſub ſpecie Angelorum; & hi omnes luce Syderea coruſcabant, ut nihil minus quam dæmones putarentur. Hos mox ut vidit hæreticus cadens in faciem ejus adoravit. Dictus autem Frater immotus ſtetit: ſed tan-

Digitized by Google

tanto ſpectaculo vehementer obſtupuit: Inde ad eum converſus hæreticus. Quare, inquit, Filium Dei contuens non adoras? Pronus accedens adora quem vides, & ab ore eius fidei noſtræ ſecreta ſuſcipies. Tunc Frater accedens, protinus extraxit pixidem, & obtulit Reginæ in ſolio reſidenti dicens. Si Regina es Mater Chriſti, ecce Filius tuus, quem ſi ſuſceperis, te Matrem Dei recognoſcam. Cum hac illicò voce, totum illud ſpectaculum, ac phantaſticum concilium evanuit, & prorſus extinto fulgore, tam denſæ tenebræ effuderunt, ut vix Frater cum ductore ſuo ad montis exitum regredi potuerit. Converſus ergo hæreticus, ad fidem rediit, & miram dæmonis aſtutiam ſtupefactus expavit: ac inſuper experimento cognovit quam mirabiliter effulgeat in Sacramento Eucariſtico omnipotentia divina, quamque dignum obſequio illud ad cujus irradiantem intuitum, nec non ſanctum, & terribile nomen, baratra contremiſcunt, univerſumque totum genua flectit adorans.

26 Et hinc de venerabili, tamque mirifico Sacramento, libeat referre illud, quod de apibus fertur illis, quæ miro artificio Eccleſiam confecerunt, & pixidem de ſuorum dulci materia laborum, Sacramento Corporis Chriſti, fortuitò in earum immiſſo alveari. Admirabilem Dei potentiam in ipſis oſtendentes; quod adhuc, & ipſæ Creatorem agnoſcentes, de favis ſuis dulciſſimis, tanto hoſpiti dulciſſimo, Capellulam miræ ſtructuræ, & vas pluſquam aureum, aut omni lapide pretioſo exornatum efficere tamquam magiſtræ noverunt. Ad quod amplius circumvolantes, choroſque in modum phalangarum cœleſtium exeubias celebrantes, in laudem Creatoris ſuſurriis ſuis ſæpius concentus interpolabãt. Mirabilis ſanè Deus in Sanctis ſuis; mirabilior tamen in ferè animulis prædicandus.

27 Hinc pſallere poſſet regius ille Cantor, & præſertim ad homines directis vocibus. Venite, & videte opera Domini, quę poſuit prodigia, ſuper terram: quandoquidem invitantia ea ſunt, ad ipſum Deum piè colendum, nec non magis, magiſque agnoſcendum, ac veluti prędividentia, & prędicentia per os Prophetę Deum ipſum Sacramentatum, pietate ſumma, devotioneque adorandum. Quod quam Deo ſit acceptum, & gratum, inter innumera ſuę magnitudinis argumenta, valeat item de quodam Equite narrare, qui tanta ferebatur erga hoc Sacramentum devotione, ut quotieſcumque Chriſti Corpus elevari, ſivè deferri videret, proſtratus illud adorabat. Contigit ut diè quadam veſtibus pretioſis, Civitatem intraret. Cumque platea in qua equitabat nimium lutoſa, & fimoſa eſſet, ex improviſo obvium habuit Corpus Domini. Quo viſo, modicum intra ſe deliberans ait. Quid modo facies? ſi in tanta ſordium fœditate te proſtraveris, perdita ſunt veſtimenta tua tam pretioſa. Si verò non deſcenderis, ſaluberrimę conſuetudinis tranſgreſſorem ſemper accuſabit te conſcientia tua. Quid plura? Prævaluit in nobili pectore devotio, & illicò expulſis ab illo hæſitantibus animi motibus, de equo proſiliens in lutum ſe miſit,

Digitized by Google

in quo flexis genibus, elevatis manibus, Corpus Christi Domini humillimè adoravit. At quia dulcissimus Dominus noster Iesus Christus, honorantes se, ac venerantes, non solum in futuro remunerare gaudet, verum adhuc in præsenti rehonorare; hoc egit sua potentia, ut totius luti, nec una quidem guttula vestimẽtis equitis adhæreret. Tunc equum Eques cum maxima admiratione reascendit, & amplius in fide confortatus, atque devotione confirmatus, Deum glorificavit.

28 His ergo ad tantum pro reverentia Sacramentum, ac per consequens apparatu, inspectis, fatendum item est, gratiarum prosequendam fore actionem, cum huius admirabilis Sacramenti perceptio, permaximi sit acceptio beneficii divini. Quod enim majus imaginari umquam poterit beneficium, quam Deo ipso ut cibo omne in se delectamentum habente enutriri? Quid sanè dulcius, ac suavius quam ejus Sanguinem ut vivum ebibere nectareum, & sapidissimum? Quid salubrius quam hujus cibi, potusque medicamine? Quid profectò vegetius qnam de lacteo gustare fonte vitę cœlestis? Gratię igitur, & maximę agendæ sunt pro tanti largitate Domini, qui magnificus incomparabili munificentia cœlestis Assuerus, grande nobis effecit, ut grandium exsaturemur cibo, convivium; & quod ultro supra captum humanæ mirandum est mentis, quod seipsum ipsemet Dominus, Rexque Regum, ac Dominantium Imperator, ut agnum parat ad mensam, ad quam uti Sponsus ad nuptias vocari sibi complacet animas nostras: quapropter ad tam ingens Altissimi donum, ingentes agendę sunt gratiarum actiones, quia ut inquit *Angelicus Doctor 2.2.qu.st.106. art.2. Vbi est major gratia ex parte dantis, ibi requiritur major gratiarum actio ex parte recipientis.*

29 De quo ipsemet largitor omnium bonorum, documentum præbuit gratias agendo in multiplicationem panum Ioann.6. Et in ipsius Eucatistici Sacramenti institutione, ubi postquam cenavit cum discipulis suis, subditur. *Et hymno dicto exierunt in montem olivarum Matth.14. & 26.* Ad quod suadendũ D. Augustinus lib.1.cap.16.ait. *Vnde majores gratiæ agendæ sunt; per Christum Dominum nostrum sic docentem, quod faciunt fideles in Ecclesia sacrificio.* Et D. Hieronymus lib.4. cap.32. *Institutum est hoc Sacramentum, ne nos ingrati Deo esse videamur. Vnde Abrahæ post habitam ingentem illam victoriam de quatuor Regibus; occurrit ei Melchisedech, panem, & vinum offerens, in signum gratiarum Altissimo. Geneseis 14. Cujus allegoria videtur in Christo Domino, qui est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & gratias pro nobis agit, ut causa præcipua in Sacrificio Altaris, obtenta de inimicis nostris immensa victoria.*

30 Quam immensam victoriam benè intelligens pro ingenti clade acta de nostris peccatis, quę immania inimica nostra sunt, Sacra Synodus Tridentina dicit. *Huius sacrificii oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata ingentia dimittit*, Ingens ergo

Digitized by Google

go pro tanta noſtrorum hoſtium victoria, in hujus tam excelſi obtenta, myſterii, gratiarum eſt à nobis Deo actio agenda; Ibi namque, quis non aſpicit; divinæ maximè irradiare munificentiæ immenſitatem? quis non miratur quo ibidem pacto, pro noſtra ſalute, ſuorumque elargitione munerum, theſauros ſuæ aperit omnipotentiæ Deus, ſuæque infinitæ bonitatis ad nos erumpit abyſſus, præditandos? Quis inquam, prorſus non obſtupeſcet excogitãdo, quod inter innumera nobis collata dona, illud ibi emicare videtur, quo majus excogitari non poteſt, ſeipſum ſcilicet præbere in cibum, ſeque potabilem? *ò Sacramentum pictatis*, (valeat ergo cum divo clamare Auguſtino tract.26. in Joannem;) *ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis*. Cum in ipſo tot divini amoris, ac pietatis effulgeant indicia; torque bonitatis argumenta.

31 Caſsiodorus in lib. de dilectione Dei reflexũ habens ad tam ingẽtia illius acta pro nobis, alloquens animã ſic ait, de ingratitudine arguendo. *Audi anima mea, & auribus percipe divinam clementiam. Quis abyſſum tam ineffabilis gratiæ conſideravit? quis de fonte tantæ dulcedinis guſtavit, & non amavit? Quare non diffundis in Deum univerſos affectus quos dirigis ad vanitates, & inſanias falſas? Cur queſo diligis aliquid præter illum, qui tàm benignè, tàm miſericorditer à tot miſeriis te redemit? Jugi ſcrutinio, & aſſidua meditatione revolve, qualiter Unigenitus Dei Patris cum eſſet ſplendor, & figura ſubſtantiæ ejus, poſt exinanitionem uſque ad formam ſervi, poſt lachrimas, poſt labores, poſt ſudores, poſt contumelias, poſt flagella, poſt ſputa, poſt livores, poſt coronam ſpineam, pro te affixus in Cruce, quandoque pependit, manus elevabat ad Patrem in ſacrificium veſpertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret. Vide anima mea ne ingrata ſis in tanto cumulo beneficiorum: In gratitudo enim eſt peremptoria ſalutis.* Hæc ille. Verba quidem inſculpenda in omnium cordibus hominum, ut inſpectis divini donis amoris, & præſertim in ſacrificio Corporis ſui, præparẽt ſe, ut condecens eſt ad illud, ac ſine nota ingratitudinis, gratias pro tanto præcipuè munere præcipuas agant.

32 Quod ſi pro Molinos occurras, ſat eſſe pro homine interiori, vel animabus internis, quod in ſua conſueta quieſcant traditione, ſivè dicatione, quam ipſe nuncupat, raſſegnatione paſſiva; Quoniam in iſta viget amor, qui perfectius ſupplet præparationis, gratiarumque actionis opera, quam quod poſſint agere cæteri quicumque virtutum actus, qui fiunt, poſſuntque fieri in via ordinaria. Hunc autem actum primò habitum, ait ipſe, virtualiter in tota vita hominis permanere, ità ut abſque eo, quod alii producantur virtutum actus, vis illius, ſeù virtus ſat eſt ad bonum, ac benemeritum reddendum hominẽ, hoc prorſus aliunde quieſcente, ac imo quoad hoc obdormiente, ab omni labore vacuo, velutq; immunis, ac liber ab alijs producendis actibus, aut agendis operibus, pro meritis apud Deũ lucrandis, eique benevole uniri, nec non in ipſum denique transformari.

Digitized by Google

Et usque huc hanc denegationem extendit actuum, quod adhuc ad rediendas in nihilum potentias ipsas intellectivas se reduxit; ut in primo dictum est capite, & ex subsequentibus constat inferri.

34 At quam admodum aberret homo iste in his sic effictis phantasmatibus, in capite supra 25. numero 8. & sequentibus, non modicè perpensum est: modo autem ne sicco pede penitus prætereamus ab eis adhuc insurgimus. Dicendo, quod ad continuationem alicujus boni actus, sive fidei, vel amoris, seù charitatis, & similium, & præcipuè per totum vitæ curriculum, non exiguum de cœlo necessum est effundi donum, aut percipi beneficium, cum doni opus sit perseverantiæ; sicut extitit in Angelis quo per totam perdurant æternitatem in erga Verbum amore, quo primò ad ipsum se converterunt, & ex quo ab ipso creati fuerunt, quod fuit in secundo, vel tertio eorum creationis instanti, juxta varia Theologorum placita, & in quo confirmati extiterunt in gratia bellantes contra magnum Draconem, nec non victores per totum permanent suæ durationis ævum. Quod item perseverantiæ donum, confirmationisq; in gratia largitum extitit in Beatissima Virgine Dei Genetrice Maria, in qua nec umbra quidē venialis culpæ locum habere potuit, jacetq; sub triumphalibus pedibus ejus æterna pœna serpens antiquus. Et ita suo pacto donum ipsum in Apostolico agmine fatendum est, ex quo confirmavit Ecclesiæ suæ sponsæ Columnas Altissimus. Ad persistendum ergo, & maximè per totius vitæ cursū in actu Sancti amoris, donum opus est perseverantiæ effiagitare de Cœlo.

35 Nunc ergo videndum num vis, seù virtus amoris cui tam confidit, & innititur ipse Molinos, dono sit perseverantiæ munita, ut perdurare dicatur, & tanto tempore, sicut idem asseverat? Quod utique minimè compertum apparet. Cum vita inspecta Molinici quietistæ, ut supra capite præcitato 25. numero 9. & sequentibus, quamplurimæ annotentur in ipsa voluntariæ evagationes, aut aliorsum applicationes mentis; quamplurimi oppositi Sancto amori actus, cum liberas sensui permittat pro suo gustu habenas: ac inter cætera ut ibi annuimus, non sit ei curæ, aut pertimescat, locum dare diabolo, cum dicat, ei non esse obsistentum, aut suis tentamentis opponi; quæ cuncta quam charitatis actui adversentur, plusquam luci obstare tenebras, luce clarius extat. Quonam ergo pacto persistere unquam poterit cum his implicatis hostibus, vis, sivè virtus actus amoris, aut primæ intentionis? Quomodo excepto jam in pectore hospite serpente, aut ipsi fores cordis patefactas exponere, & Ibidem cum ipso simul una agnum hospitari divini amoris?

36 Docet utique D. Th. permanere vim primæ intentionis agentis in processu operis ejus, at hoc est cum in contrarium non obviat oppositus actus. *Ait enim super prima ad Corinthios lect. 4. Quod in omnibus actibus meritoriis, qui ordinantur ad finem rectum, non requiritur quod intentio agentis conjungatur fini, secundum quemlibet actum: sed vis prima quæ movet in-*

Digitized by Google

intentionem manet in toto opere, etiamsi aliquando in aliquo particulari divertat. Et hæc prima vis facit totum opus meritoriuum nisi interrumpatur per contrariam affectionem (Nota) *quæ divertat à fine prædicto ad finem contrarium.* Cum ergò in hoc deficerè convincatur quietista molinicus, ut ex suis patet assertis, interruptam oportet, ut fateatur in se prædictam sui amoris virtutem, ac perindè asserere necesse sit eum, quod antea, & postea Sacri Corporis Christi Communionem, virtutum actus eliciendi sint, humilitatis, gratitudinis, devotionis, gratiarumque actionis, & hujusmodi.

37 Hos autem actus nonnisi Dei nuncupandas esse motiones, vel impulsus, non verò naturæ dicendum est, ex eo quod partes ipsius sunt orationis, ut resolvit D.Th.2.2.q.83. a.17. quæ humiliationis actum in orante requirit sub potenti manu Dei se dato, atque summisso, ejusque immensæ pietatis è fonte gratias expetente, profitendo se cum Abraham Patriarca coram Deo pulverem fore, ac cinerem. Quoniam hoc munus orantis est, & obsecrantis, ut benefactoris flectat animum ad porrigendum beneficè dexteram: hos autem actus tempore fore communionis, nulli dubium est, recogitando coram quo anima fidelis adest; ante quem Regem astat, quid in suo corde recipit, quemque in suo pectore hospitatur, & ita pariter actus exerceri devotionis fatendum est, sicut ex consequenti meditationis, & contemplationis, quas devotionis causas esse, supra cū Divo Thoma statuimus. Ad quos meditationis, & contemplationis actus pro tanto mysterio insinuandos advertens, ait ad fidelem participantem illud, homilia 60. aureus Doctor Sanctus Joannes Chrisostomus. *Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris; quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi Corpus, & una Caro.* Et Divus Augustinus serm.41. de Verbis Domini in Evangelium secundum Joannem cap. 6. *Qui jam manducant Carnem Domini, & bibunt Sanguinem ejus, cogitent quid manducant, & quid bibunt.* Cogitationes autem istas meditationem exprimere Sacrosancti Mysterii, nec non Contemplationem Celsitudinis divinæ bonitatis, procul est omni dubio, ac per consequens devotionem ingerere tamquam illorum, ut dictum est, effectum.

38 Quoad rationem verò petitionis, gratiarumque actionis, inquit in præallegato 2.2. q. 83. a. 17. Divus Thomas, quo peracto eo quod per orationem agitur, & prærequiritur, accessus nempe ad Deum, ad quem orans accedere debet, cum oratio ascensus sit ad Deum, velutque fumus sit aromatum suavissimè redolens in conspectu Domini. *Secundariò requiritur* (subdit Sanctus Doctor) *petitio quæ significatur nomine postulationis. Tertio autem requiritur ratio impetrandi quod petitur, & hoc sumpto ex parte Dei, est eius Sanctitas propter quam petimus exaudiri: sumpto*

verò

verò ex parte petentis est gratiarum actio, &c.

39 Hos autem actus interesse cum anima Christiana ad tam nobilem mensam, regalesque nuptias admittitur, supervacuum est hæsitare, cum tunc, & magis apposite tempus sit acceptabile, (eo quod propior est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, imò & conversis in ipsum ex vi Sacramenti transformantis animam) ipsius excogitare, meditando ineffabilem bonitatem, eiusque sapientiæ, atque scientiæ altitudinem contemplando, nec non deinde infinitam memorando benignitatem, de magnifica suæ beneficentiæ manu gratias efflagitare, gratiasque pro obtentis devoto corde, humiliterque peragere.

40 De quibus agendis actibus gentilibus ipsis lumen insitum fuit, tametsi erga numina falsa, ut de antiquis Romanorum Ritibus, Valerius Maximus refert cap. 1. de cultu Deorum, dicens. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur. Cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: Cum solvendum, gratulatione. Primò enim (ut explicat ibi Oliverius) antequam bella susciperentur, commendabatur exercitus. deinde cum prælium commissum fuerat, votis exposcebatur victoria: postremò victis hostibus, quod votum fuerat, cum gratiarum actione persolvebatur.

41 At præter hos præcipuarum virtutum actus, ò quam salutares insuper ostendit Phylostratus Carpathius Episcopus in Commentario super Canticum Canticorum, cui Canticum David adnectens, sic pro Sacramento Eucaristico inquit. *Rectè Regius ille Vates ita canit. Gustate, & videte, quam suavis est Dominus. Spiritualem, & salutarem escam Corporis, & Sanguinis Iesu Christi gustans fidelis anima, gustum habet, & vinum bonum. Hoc enim vinum sanctè potum, dolores omnes animi sedat, atque componit,* (en actus virtutum in Communione producti) *ebrietatem omnium rerum caducarum tollit, cor exhilarat, atque confirmat, omnesque morbos internos facillimè sanat, ac curat, estque æternæ vitæ salutaris unda, fons, & origo. Rectis corde hæc lætissima esca cœlestis panis, Supersubstantialisque, & salutaris potus, divinam refectionem adfert. Ineffabile, & Cœlestè Convivium est Angelorum choris optabile. Si sapimus, adnitemur per hunc verum panem Christo Iesu, honestate vitæ, & morum integritate semper hærere &c.*

42 Hos igitur actus omnes, impulsus esse Dei, ejusque Divinæ gratiæ motiones, quibus homo dignè, ac devotè se præparat ad tàm grande accedere arcanum, illud quesumendũ, ideoq; pro tam ingenti accepto beneficio gratias agendum, ac pro cæteris ad puritatem, cordisque sanctitatem maximè conferentibus, ut compertũ ab omnibus, nisi insanire velint, est fatendum: non autem motus esse, seù naturę impulsus, ut fallaciter sibi Molinos effingit, & in suo asserto suadere videtur. Vndè ut futilis refutanda est sua trigesima secunda propositio, videlicet ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

Trigesima tertia Propositio Molinos. *Fà male l' Anima, che camina questa via interna, se ne' giorni solenni vuol fare qualche sforzo particolare per haver qualche sentimento devoto, poiche all' Anima interna tutti i giorni sono uguali, tutti feste. E lo stesso si dice de' luoghi sacri, poiche tutti i luoghi à quest' Anime sono uguali.*

Oppositum è contrà dictum.

Opportuna est simpliciter, & absolutè Anima devotio, præsertim autem diebus festis, & solemnibus, locisque sacris.

1 QUam laudabile sit, imò necessum, hominem devoto vivere pectore, ac præcipuè pro Dei cultu devotius exequendo, nec non pro ipsa devotione solemniter agenda, ipsa natura primitus edocere videtur, hominisque innata propensio. Quocirca de quibusdam avibus fertur, quas, teste Plinio, Diomedis appellant, quæ propè littus maris volitantes, ejusque de piscículis se pascentes: Evolant per singulos ferè dies super cujusdam altissimæ Rupis verticem, ubi antrum quoddam velut Templum ingressæ, pio ceù quodam ritu ab ipsa ductæ natura circumvolantes ipsum, pennis prius, in mari leviter madefactis excussis, aquis aspergunt, indicium pœnè dantes cujusdam benedictionis, & cultus, in unum solemni quadam forma collectæ, erga naturæ auctorem exhibitus, eique tributus; à quo esse, eiusque conservationem agnoscunt. Ita ex erudito referente Bercorio habetur, verbo, reverentia lib. 3.

2 Neque dissimiliter ex eodem alibi relatum extat, eventum cuidam homini tranfugæ per desertum erranti, qui in quamdam cavernam ingressus, vidit intus in angulo ejus lucidissimum lumen, nec mora facta, introeuntes illuc aspexit horribiles feras, Leones, Tigrides, Panteras, Ursos, aliaq; monstruosa animalia, quę secundū ordinem circumposita, in lumine tanquam in speculo, nec non quasi Numine colito, cum magna seipsa conspiciebant observantia, seque perpoliebant. Quo notamen videbantur inducere, illisque ferè actibus indicare, lumen illud, (quod postmodum ab eodem homine pro sui ingenti fortuna, ut pretiosissimus carbunculus inventus fuit; ex ipsa natura in angulo ipsius montis excavati compactus) velut Numen ipsis esse, cujusque in præfulgenti conspectu, omni ab eis immunditia rejecta, perpolita in illud, semetipsa intueri, ipsaque

Digitized by Google

ipſaque ab ipſo munda quoque, ac ſpecioſa videri. Pro cujus velut experimento, fore ſcilicet ipſa ab omni criminis quaſi labe immunia, incolumem, & intactum reliquerunt hominem illum, & ut pacificè ingreſſa, ita & pacificè unum poſt unum, peracto propemodum ſacro ritu, regreſſa foras exierunt. Speçimen profectò ab ipſa natura traditum in ſuis adhuc mente, rationeque vacuis, pro locis præcipuis deſignandis, ſolemniiſque agendis, ad Deum ardentiùs, devotiùſque excolendum.

3 Quod proculdubio eo magis aſſeverandum eſt in hominibus. Quodque ut planius appareat, triplici oſtendemus via ipſum, ſicut & rationibus obfirmabimus, & Sanctis Patribus. Primò nimirum per Gentiles. Secundò per Judeos. Tertiò per Chriſtianos. Appprobatus, namque fuit uſus dierum feſtorum, atque ſolemnium, & recolitus à Gentilibus ipſis. Quoniam quamquam ipſi juxtà ſuos errores, falſo applicaverint objecto cultum, non autem vero Deo: Feſta tamen ſolemniter peragebant, Templa ædificabant, Thura ibi fundebant, ſecrificia offerebant, Ceremonias, rituſque ſervabant. Propterea variis effectis Numinibus, variis erectis Templis, Ariſque dicatis, per dierum, menſiumque circuitum ſolemnia celebrabant. Unde Varro in ultimo volumine rerum divinarum narrat. Quod Romani prima die Januarii feſtum Jani agebant, Janus verò fuit quidam qui regnavit in partibus illis ubi Roma eſt ipſa, à quo mons Janiculus dictus eſt. Et ex dictis Ovidii de feſtis colligitur, quod eodem menſe celebrabant feſtum Minervæ, quæ erat nuncupata Dea bellorum. Et quod in Februario feſto habebant Deæ Felicitatis, & feſtum Fauni, quem Deum montium appellabant. In Martio feſtum Martis, Dei bellorum agebant. In Aprili feſtum Fortunæ, quam Deam dicebant eſſe bonorum eventuum, ſeù rerum ſecundarum, ex quo illud prodiit à colentibus ipſam, Te facimus Fortuna Deam, Cęloq; locamus. In Mayo feſtum Deæ Floræ, quam putabant miniſtram eſſe Veneris, & poteſtatem ſuper flores habere, & hilaritati fovere Veris. Cum is eis, & alia feſta erant, de quibus canebat Tibullus.

Luce Sacra requieſcat humus, requieſcat Arator,
Et grave ſuſpenſo vomere, ceſſet opus.

Undè Seneca ad Lucilium. Feſtis maximè diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illas omnis turba procubuit. Deque illo magno Rege Tamerlano, refertur, quod primum diem Januarii colere conſueſcens, jubebat, ut magnus Templi Sacerdos, nomen ipſius Regis, aurea lamina inſculptum, coram omni convocato populo, ad ſonum Tubæ alta voce proferret. ad cujus ſonitum, & vocem, populi protinus in genua procumbentes adorarent, ſuperbiam denuò monſtrantes ſuperbiſſimi illius memorabilis in ſacra pagina

Digitized by Google

gina relati, famosi Nabuccodonosor Regis Babilonis.

4 Secundò ostenditur, usum fæstorum approbatum esse per Judæos. Ipsis enim fæsta custodienda frequenter ipse Deus præcepit. Ut Levitici 19. *Sabbata mea custodite, ego Dominus Deus vester*. Et cap. 26. *Ego Dominus Deus vester, custodite Sabbata mea, & pavete ad Sanctuarium meum*. Et Exodi 16. de Manna colligendo dixit. *Sex diebus colligite, in die autem septima Sabbatum est Domini, idcirco non invenietis*. Et Hyeremiæ 17. *Sanctificate diem Sabbati, sicut præcepi Patribus vestris*. Et Isaiæ 6. *Omnem custodientem Sabbatum, nè polluat illud, & tenentem fœdus meum adducam in Montem Sanctum meum, & lætificabo in Domo orationis meæ*. Et Ezechiel. 20. *Ego Dominus Deus vester in præceptis meis ambulate, & mandata mea custodite, & facite ea, & Sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me, & vos, & sciatis quia ego sum Dominus Deus vester.*

5 Pro declaratione tamen hujus nominis, Sabbatum, sciendum est, quod aliter denominantur dies à Gentilibus, aliter a Judæis, aliter à Christianis. Gentiles enim denominant dies à Planetis, ex quo dicit Albertus Magnus in suo introductorio in Astronomia. Quod sapientibus Ægyptiis, & Chaldeis visum est, quod Luna denominaretur in prima hora diei Lunæ. Jdeo diem illam voluerunt denominare ab ipsa Luna. Et quod Mars denominaretur in prima hora diei Martis. Et Mercurius in prima hora Mercurij. Et Juppiter in prima hora diei Jovis. Et Venus in prima hora diei Veneris. Et Saturnus in prima hora diei Sabbati. Et Sol in prima hora diei Dominicæ: Et sic secundum prædictos septem Planetas, septem dies hebdomadæ nominabant.

6 Hebræi denominant dies, dicentes. Prima Sabbati, scilicet Dominica die, quasi die prima post Sabbatum. Juxta illud Vespere autem Sabbati, quę lucescit in prima Sabbati, & sequentem diem dicunt, secunda Sabbati, & sic per ordinem alios, tertia Sabbati, & cætera, usque ad septimum diem, quem appellant Sabbatum. Quod secundum Magistrum in historia Scolastica, & Damascenum interpretatur requies, eo quod illa die requievit Dominus ab omni opere quod patrarat, ut habetur Gen. 2. Quandoque etiam apud Hæbreos, tota hebdomada dicitur Sabbatum, juxtà illud Lucæ 18. Jejuno bis in Sabbato. Septimum tamen diem proprie dicunt Sabbatum quem ipsi sanctificant, & ultra quem alias solemnitates observant.

7 Christiani autem denominant dies, dicentes, diem Dominicum, de cujus successione ad diem Sabbati in ipsum permutati, modo plenius infra numero 9. diem sequentem, secundam feriam, alium tertiam, alium quartam, alium quintam, alium sextam, & sequentem, diem Sabbati.

8 Tertio ostendimus approbatum usum festorum per Christianos. Nam Sancta Mater Ecclesia statuit sub præcepto aliquos dies à Fidelibus celebrandos, qui ponuntur pro majori parte de Conse. di. 3. c. pro-

Digitized by Google

nunciandum, & extra de fer. in c. Conquæſtus. Hi ſunt. Omnes dies Dominici per totum annum, Nativitas Domini, Sancti Stephani, Joannis, Evangeliſtæ, Innocentium, Silveſtri, Circumciſio Domini, Epiphania; tres dies Reſurrectionis, Aſcenſio Domini, Pentecoſtes, cum duobus diebus ſequentibus. Quatuor ſolemnitates principales Beatæ Mariæ Virginis, ſciliçet Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, & Aſſumptionis ejus. Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, Sancti Laurentii, Dedicationis Sancti Michaelis, Omnium Sanctorum, & Sancti Martini. Celebrandæ ſunt etiam illæ fæſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi, cum ſuo Clero, populo indixerint celebrandas. Inſuper de Conſecr. di. 3. in Cap. Crucis. Statuit Euſebius, quod fæſtum Crucis in tertia die Maii ſolemniter celebretur. In Clementina verò. Si Deum. De reliquiis, & veneratione Sanctorum mandatur, celebrari fæſtum Corporis Chriſti. Sunt, & alia fæſta per conſuetudinem totius Eccleſiæ introductæ ſicut Sancti Nicolai, Sancti Antonii Abbatis, & quædam alia, quæ ſecundum morem Patriæ celebranda ſunt. Religioſus itaque, laudabiliſque apparet Sanctorum fæſtorum uſus, & quia ut devotionem in cordibus fidelium, ad augeat ſacra ſibi vendicet Ædes, dieſque præcipuos pro ſolemnitate ipſorum celebriori agenda, rectè, ſcitèque homo in deſignatis, ſacriſque locis, diebuſque ſolemnibus, majori adnititur devotione ferri erga Deum, ac perinde in ipſum intenſiori deflagrare amore.

9 Quare autem Sabbatum mutatum ſit in Dominicam; & cur alia fæſta ſint ſuperaddita. Quoad primũ: Reſponder Alexander de Ales in 3. volumine Summæ. Quod hoc factum eſt juſtè, & ſanctè propter tria. Primo propter declarationem myſteriorum. Secundo propter excluſionem errorum, Tertia propter multitudinem privilegiorum.

10 Primo ratio eſt propter declarationem myſteriorum. Nam deſignatio ſeptimæ diei eſt purè cerimonialis, & omnes cerimoniæ veteris legis, umbra erant, & figuræ legis gratię, & Evangelii: Unde ſecundum Auguſtinum in 4. ſuper Geneſim ad litteram; Dici probabiliter poteſt, obſervandum Sabbatum Judæis fuiſſe præceptum in umbra futuri, quę ſpiritualem requiem ſignificabat: Cujus quietis ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, qui non niſi quando voluit paſſus eſt, in ſepulturę ſuę myſterium conſummavit. Cum ergo per ſepulturam Chriſti, figura ſit adimpleta: non eſt amplius neceſſarium, diem Sabbati cuſtodire: Quinimo ſolemnizare ideſt in Sabbato fæſtum faeere more Judęorum prohibitum eſt, & peccatum. Quapropter D. Gregorius de Conſec. di. 3. c. pervenit, ait, *Pervenit ad me, quoſdam perverſi ſpiritus homines, prava inter vos aliqua, & ſanctæ fidei adverſa ſeminaſſe; ità ut in die Sabbati aliquid operari prohibèrent: quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerimus, qui veniens diem Sabbatum, atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Qui enim mori ſe, & reſurgere ſimulat, haberi vult in veneratione*

Du-

Dominicum diem. Et quia populum Judaizzare compellit, ut exteriorem ritum legis revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum.

11 Secunda ratio quare non servatur Sabbatum, sed mutatum est in Dominicam, est propter exclusionem errorum. Nam Gentiles Dominica die consueverant colere, & adorare Solem: ut itaque ab hoc errore retraheretur populus Christianus; Sancta Mater Ecclesia statuit diem Dominicum sanctificandum.

12 Tertia ratio quare Sabbatum mutatum est in Dominicam: est propter multitudinem privilegiorum. Vt enim dicitur in 75. dist. in cap. quod die Dominico. Dies Dominica tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quidquid ad nos ut insigne est constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem, & mors interitum, & vita cœpit principium. Et de Consecr. di. 3. cap. Sabbato, dicitur: Diem Dominicam ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solum in Pascha celebramus: verum etiam per singulas quosque hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus.

13 Colliguntur autem duodecim privilegia diei Dominicæ. Primum est quia fuit prima omnium dierum. Secundum quia erit ultimus dies præsentis vitæ in Seculi hujus fine. Tertium est, quia illam nulla præcessit nox. Quartum quia, nulla ei nox subsequetur. Quintum quia in illa creavit Deus Cœlum, & Terram. Sextum quia in ea omnes Angeli à Deo creati sunt: & boni in cœlo glorificati fuere, & mali de cœlo expulsi. Septimum quia secundum Orosium in die illa, prima præcepta data sunt filiis Israel. Octavum quia in illa incarnatus est Christus. Nam ut testatur Magister historiarum. Et die qua dixit Deus, fiat lux, visitavit nos oriens ex alto, & Christus incarnatus est, in hujus mysterium, & figuram datum fuit Manna in Dominica die; sicut ait Origenes super Exodum. Nonum quia in die Dominica Christus destructis inferni claustris, captivam ducens captivitatem, ac Sanctorum animas de Limbo eripiens, triumphaliter surrexit à mortuis. Decimum in Dominica die erit resurrectio mortuorum, & reddet Deus unicuique juxta opera sua. Undecimum quia in die Dominica Spiritus Sanctus in linguis igneis missus est in Apostolos. Duodecimum quia in die Dominica erit initium, & continuatio sine fine laudum Dei, & Domini nostri Jesu Christi in æternum in cœlis: Ex quibus omnibus tam præcipuæ, tamque pretiosæ diei prærogativis, planè infertur, debitam fore in homine, cum peragit illam, ingentiorem devotionem, ardentioresque erga Deum ejus institutorem, amoris actus eliciendi opportunitatem habere.

14 Quoad aliud verò dubium de fæstorum additione, cur videlicet superaddita sunt ultra diem Dominicum alia fæsta. Triplex assignari ratio potest, Prima pro aliquorum errore confutando, Secunda pro gra-

Digitized by Google

titudinis actibus agendis. Tertia pro ipsorum imitatione Sanctorum. Prima est ergo ratio, superaddita esse festa Sanctorum, ut confutaretur error eorum qui dixerunt. Ante diem Judicii animas Sanctorum non conscendere cœlum. Ad ostendendum ergo quod tales mentiuntur, statuit Ecclesia Sanctorum suffragia, & patrocinia in eorum solemnitatibus implorari, prædicans, & contestans illos in cœlo regnare cum Christo. Adhuc etiam errorem eliminandum cantat Ecclesia, Gaudent in cœlis animę Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti.

15 Quod etiam colligi potest ex dictis scripturæ, atque Sanctorum Doctorum. Nam Lucæ 23. Christus dixit Latroni: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Et Glossa super illud verbum Lucę 21. *Pueri mei mecum sunt in Cubiculo, ait, Pueri sunt Apostoli, qui sunt in ęterna requie.* Et D. Gregorius in 4. Dialog. *Justorum animę mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur.* Et extra de celebratione missarum, Cap. cum Marthæ dicitur. *De Sanctis omnibus sentiendũ est, quod non indigeant orationibus nostris, pro eo quod cum sint perfectè beati, omnia eis succedunt ad votum.* Et extra de baptismo, & ejus effectu; Cap. debitum, scribitur sic. *Judęus seipsum baptizans si continuo decessisset ad patriam protinus evolasset.* Et de pœnal. dis. 7. Cap. qui egerit dicitur. *Quicumque benè post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit: post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit; ad requiem vadit, & regno Dei non privabitur.* Ex quibus idem ut supra pro nostro arguitur asserto, quod homo in Sanctorum celebrandis solemniis, sicut & in ipsis dicatis Ædibus, ferventiores debet actus devotionis elicere, nec non speciatim erga Deum, mirabilem in sanctis suis, animo ferri.

16 Secundo dicimus superaddita esse festa Sanctorum, propter gratitudinis opera agenda. Nam ex debito gratitudinis commemorare debemus beneficia nobis collata, sicut sunt beneficia Nativitatis, Passionis, Ascensionis, & consimilium festivitatum. In solemnitatibus etiam Beatę Marię Virginis, feriandum est, atque concelebrandum propter summas perfectiones quas in se habuit; nec non propter innumeras gratias quas ipsa intercedente suscipimus. Cęteras verò solemnitates Sanctorum quas statuit Ecclesia Catholica celebrari, observare insuper obligamur, quia, & ipsi impetrant pro nobis misericordiam Dei. Unde David in psalmo, ait, *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi, in montes ideſt in Sanctos.* Urgentiores ergo debet homo in his Sanctorum festivitatibus, locisque festos dies agentibus, actus producere devotionis, vique intentiori, atque conatu actus fidei, spei, atque charitatis habere.

17 Tertia tandem ratio quare ultra diem Dominicam superaddita sunt festa Sanctorum, est propter imitationem, ut scilicèt in eorum solemnitatibus illorum gesta recolentes, conemur eos quo ad possumus imitari: Ideò D. Augustinus in serm. de Martyribus ait. *Quotiescumque Fra-*

Digitized by Google

tres Cariſſimi Sanctorũ Martyrũ ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedẽtibus, ſperemus à Domino conſequi temporalia beneficia: ut ipſos Martyres imitãdo accipere mereamur æterna: Ab eis enim in veritate Sanctorum Martyrũ feſtiva gaudia celebrantur, qui ipſorũ Martyrũ exempla ſequuntur. Solemnitates enim Martyrũ, exhortationes martyriorũ ſunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cũ Sanctis, & tribulationes Mundi nolumus ſuſtinere cũ ipſis. Qui enim Sanctos Martyres, vel in quantum potuerit noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit peruenire. Ex quibus idem, de quo ſupra, ſequitur teneri videlicet hominem in diebus his ſolemnibus, præcipuis ſe gerere devotionis actibus.

18 Sed ut complectamur in hoc fidelitatis, pietatiſque negotio, tam hominem interiorem, quàm exteriorem. Corde ad ipſos homo tenetur actus, ore, & opere. Corde inquam ſunt primò ipſa ſanctificanda fæſta, ut ſcilicet unuſquiſque memor ſit Dei, & beneficiorum eius. Nam in præcepto ſolo de ſanctificatione Sabbati poſitum eſt hoc verbum, memento, ad denotandum quod tali die ad ſpiritualium contemplationem animus, ſit revocandus: Hinc Iſidorus ait. *Purgandus eſt primò animus, atque à temporalium rerum cogitationibus ſegregandus, ut puta acies cordis ad Deum verè, & ſimpliciter dirigatur.* Secundò ſunt ore fæſta etiam ſanctificanda: ut ſcilicet in ipſis oremus, & laudemus Deum, ſibique de ſuſceptis beneficii gratias referamus. *Unde de conſec. diſ. 3. cap. Jejunia, dicitur. Die Dominica nihil aliud agendum eſt niſi Deo vacandum. Nulla operatio in illa die ſancta agatur, ſed tantum Hymnis, Pſalmis, & Canticis Spiritualibus dies illa tranſigatur.* De quo fusè infra cap. 34. Tertio demùm, opere, fæſta ſanctificanda ſunt; viſitando Eccleſias, audiendo divina, ſacrificiis intereſſe miſſarum, eleemoſinas faciendo, & huiuſmodi devotionis, pietatiſq; operibus inſiſtendo. Sed heu, væ mundo à ſcandalis, benè quidam, Apoſtolicum munus agens exclamavit. Quoniam tunc, & maximè vice bonorum operum, ad prava, & inania ardentiores quam uſquam Chriſtiani procumbentes, ludieris, ludis, ludiiſque viri attendunt; nec non commeſſationibus, ac ebrietatibus obruti, ad obſcæna inde, ac ferè brutalia, vacui poſtmodum ratione prorumpere compelluntur. Mulieres adhuc & ipſæ tempus, diemque devotionis, in diſſolutionis agendis curis convertentes, haud aliò ſtudent, tempuſque conſumunt, quam ad vanitates ſe parare, ac pompas, hiſque decertare ad invicem, nec non eis ſpectatorum allicere corda. At munus de obiurgationibus iſtis verbum Dei prædicantibus remittentes.

19 Ad rem redeuntes ut ſupra, noſtrã confirmamus huc uſque dicta de præcipua devotione animæ in feſtivis, ſolemnibuſque diebus, lociſque ſacris, cum D. Th. 1. 2. q. 162. a. 4. in quo pro utroque rationem ſuggerit. Ut nempe Deus, qui Princeps eſt primarius, opifexque Univerſi, ac perinde præcipuò ab homine recognoſcendus honore, expoſcit, ut ipſi pro

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ indicio dignitatis, præcipua addicetur habitatio, quæ templum erit erectum, veluti Regium Palatium ſuo nomine conſtructum, ubi diſcriminatim, à cæteris huius orbis Magnatibus, ac Principibus, nec non cunctorum ſeorſum hominum turba, eius excolatur divina Maieſtas, ibique devotiùs, concretius, humiliuſque ad ipſum ſe ducat homo adorandum. Quapropter etiam ſpecialia deputanda ſunt tempora, ut in ipſis ſtudioſiùs, attentiùs, cordeque puriori erga ſuum Creatorem, ac Dominum homo ſe habeat, ab ipſo inde aliquid petendo, ipſique pro gratiis gratias agendo conceſſis, nec non per conſequens ergà ſummam eius, infinitamque bonitatem, actus eliciendo amoris.

20 Sic ergò in præcitato S.D. inquit *in Reſp. dicendum quod totus exterior cultus Dei, ad hoc præcipuè ordinatur, ut homines Deum in reverentiam habeant. Habet autem hoc humanus affectus, ut ea quæ communia ſunt, & non diſtincta ab aliis, minus revereantur, ea verò quæ habent aliquam excellentiæ diſtinctionem, ab aliis magis admirentur, & revereantur. Et inde etiam hominum conſuetudo inolevit, ut Reges, & Principes quos oportet in reverentiam haberi à ſubditis, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes poſſideant, & propter hoc oportuit, ut aliqua ſpecialia tempora, & ſpeciale Tabernaculum, & ſpecialia vaſa, & ſpeciales Miniſtri ad cultum Dei ordinentur, ut per hoc animi hominum ad maiorem Dei reverentiam* (& conſequenter devotionē) *adducerentur. Similiter etiam ſtatus veteris legis, inſtitutus erat ad ſignificandum myſterium Chriſti, oportet autem eſſe aliquid determinatum id, per quod aliquid figurari debet, ut ſcilicet eius aliquam ſimilitudinem repreſentet, & ideo oportuit aliqua ſpecialia obſervari in his, quę pertinent ad cultum Dei.*

21 Quæ utique cuncta, ad ſpecialia loca planum eſt, pertinere, ac tempora, dieſque feſtos indicare, Ædeſque ſacras pro Dei cultu conſtructas, atque dicatas, & hoc nonniſi cauſa amplioris ipſius honoris, peculiariſque hominum devotionis, cum eis præcipuè temporibus, lociſque peraptis adnitendum ſit, Deum, in quo vivimus, movemur, & ſumus, quique dat nobis vitam, inſpirationem, & omnia, ut ait Apoſtolus in actibus 17. recognoſcamus ut noſtrum ſupremum Dominum, ſummumque bonum, primarium noſtri eſſe principium, atque ultimum finem.

22 Quod item confirmatur ex eodem D.Th. ibid. *Ad Primum dicendum quod ſcilicet cultus Dei duo reſpicit, & Deum qui colitur, & homines colentes. Ipſe igitur Deus, qui colitur, nullo corporali loco clauditur, unde propter ipſum non oportuit ſpeciale Tabernaculum fieri, aut Templum, ſed homines ipſum colentes corporales ſunt, & propter eos oportuit ſpeciale Tabernaculum, aut Templum inſtitui ad cultum propter duo. Primò quidem, ut ad huiuſmodi locum convenientes cum hac cogitatione, quod deputaretur ad colendum Deum, cum maiori reverentia accederent. Secundo ut per diſpoſitionem*

Digitized by Google

nem talis Templi, vel Tabernaculi significarentur aliqua pertinentia ad excellentiam divinitatis, vel humanitatis Christi. Et hoc est quod Salomon dixit 3. Regum. 8. Si Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi tibi? Et postea subdit. Sint oculi tui aperti super domum hanc de qua dixisti, erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel. Ex quo patet quod domus Sanctuarii non est instituta ad hoc, quod Deum capiat, quasi localiter inhabitantem, sed ad hoc quod nomen Dei inhabitet ibi, ideſt ut notitia Dei ibi manifestetur per aliqua, quæ ibi fiebant, vel dicebantur, & quod propter reverentiam loci, orationes ibi fierent magis exaudibiles ex devotione orantium.

23 Patet ergò quàm maximè in locis præcipuè sacris populi vigere debeat cum pietate devotio, quamque in eis erga Deum exprimenda sit suorum fidelitas populorum, & reverentia. Propter ipsum etenim ut summum Dominum agnoscendum, verum, solumque Deum, tametsi non comprehendendum, vel concludennum, aut capiendum, erectæ sunt sacræ Ædes, atque Altaria constructa. Vnde pro nobis sic dirigendis, & ad suum famulatum instruendis, imò agendis, instituisse Deum credendum est, Templa, ut dicitur Maccab. 2. cap. 5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit.*

24 Quod idem dicendum est pro solemnitatibus, seù fæstis institutis ad hominum urgendam devotionem, eorumque, ut amplius sursum corda erga Deum eleventur. De quo benè figuræ militant, ostendentes, ut figuratum nostræ devotionis debitum, animique prædicentes, in opportunis, & maximè solemnitatum temporibus vegetiores, & ardentiores charitatis, cæteroſque recognitionis actus. Quandoquidem ea de causa instituta traduntur in sacris litteris, præcipuis fęsta temporibus, ut videlicet Populus Dei beneficiis inspectis, gratiisque ingentibus elargitis, ipsum devotiori corde veneretur, eumque ut sui benefactorem vivaciori recognoscat affectu, eique gratias agendo, infinitam eius clementiæ bonitatem flagrantiori agnoscat amore. Memorantur enim beneficia, ad beneficiatum erga benefactorem gratum agendum, eique se memorem, devotum, gratiosum, obstrictum, exhibendumque fidelem. Ita ex D. Th in præcitato 1.2.qu.10. art.4. Ad decimum dicendum ubi de institutione loquēdo solēnitatū pro beneficijs à Deo acceptis recolendis ac pro illis præcipuè laudandus, inquit. *Quod in veteri lege erant septem solemnitates temporales, & una continua, ut potest colligi num. 28. & 29. Erat enim quasi continuum fæstum, quia quotidiè mane, & vespere immolabatur agnus, & per illud continuum fæstum jugis sacrificii, representabatur perpetuitas divinæ beatitudinis. Fæstorum autem temporalium, primum erat, quod iterabatur qualibet septimana, & hæc erat solemnitas Sabbati, quod celebrabatur in memoriam creationis rerum. Alia autem solemnitas iterabatur quolibet men-*

se-

Digitized by Google

se, scilicet festum Neomeniæ, quod celebrabatur ad commemorandum, opus divinæ gubernationis. Nam hæc inferiora præcipuè variantur secundum motum Lunæ, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum Idolatrarum cultum, qui in tali tempore Lunæ sacrificabant.

25 *Hæc duo beneficia sunt communia, toti humano generi, ideo frequentius iterabatur. Alia verò quinque festa celebrabantur semel in anno, & recolebantur in eis beneficia specialiter illi populo exhibita. Celebrabatur enim festum Phase, primo mense ad commemorandum liberationis beneficium ex Ægypto. Celebrabatur festum Pentecostes post quinquaginta dies, ad recolendum beneficium legis datæ. Alia verò tria festa celebrabantur in mense septimo qui quasi totus apud eos erat solemnis, sicut, & septimus dies. In prima enim die mensis septimi erat festum Tubarum ad memoriam liberationis Isaac quando Abraham invenit Arietem cornibus hærentem, quem representabant per cornua quibus buccinabant. Erat autem festum Tubarum, quasi quædam invitatio ut præpararent se ad sequens festum, quod celebrabatur decimo, & hoc erat festum Expiationis in memoriam illius beneficii, quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione Vituli ad preces Moysi. Post hoc autem celebrabatur festum Scenophagiæ, ideſt Tabernaculorum septem diebus, ad commemorandum beneficium divinæ protectionis, & deductionis per desertum, ubi in Tabernāculis habitaverunt. Vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, ideſt citrum, & lignum densarum frondium, ideſt myrthum, quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de Torrente, quæ diu retinent suum virorum, & hæc inveniuntur in Terra promissionis, ad significandum quod per aridam terram deserti eos deduxerat Deus ad terram deliciosam. Octavo autem die celebrabatur aliud festum, scilicet cœtus, atque collectæ, in quo colligebantur à populo, ea quæ erant necessaria ad expensas cultus divini, & significabatur adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis.*

26 Quæ autem prædictarum solemnium festivitatum injuncta Oratio? Non alia quidem, quam pro illius populi in ipsis celebrandis excitanda devotione, ac majori erga Deum observantia, nec non gratitudinis actibus perurgendis. Miranda namque memorantur cœlitus acta, beneficia recoluntur, ac dona de generosa Dei manu percepta, ut magis, magisque ad ipsum homo piè affectus, gratia beneficii obstrictus, toto corde recurrat. & hæc pro litterali prædictorum festorum sensu, primoque intellectu.

27 Pro figurali autem ratione, sivè sensu ipsorum, eadem stat pro fine causa, ad Deum scilicet sursum corda trahendi, eosdemque fere virtutum actus agendi. Quoniam ut prosequitur ibidem D. Th. *Per juge sacrificium agni significatur perpetuitas Christi, qui est agnus Dei, secundum illud hebræorum ultimo. Jesus Christus heri, & hodie; ipse, & in secula. Per Sabbatum autem significatur spiritualis requies nobis data per Christum, ut habetur ad*

Ha-

Digitized by Google

Hæbr.4. Per Neomeniam autem, quæ eſt intenſio novæ Lunæ, ſignificatur illuminatio primitivæ Eccleſiæ per Chriſtum eo prædicante, & miracula faciente. Per fœſtum autem Pentecoſtes, ſignificatur deſcenſus Spiritus Sancti in Apoſtolos. Per fœſtum autem Tubarum ſignificatur prædicatio Apoſtolorum. Per fœſtum autem Expiationis, ſignificatur emendatio à peccatis populi Chriſtiani. Per fœſtum autem Tabernaculorum, peregrinatio in hoc mundo in quo ambulamus in virtutibus proficiendo. Per ſœſtum autem Cœtus, atque Collectæ, ſignificatur congregatio fidelium in Regno Cœlorum, ideo illud fœſtum dicebatur Sanctiſſimam eſſe. Et hæc tria fœſta erant continua ad invicem, quia oportet, expiatis à vitiis proficere in virtute, quouſque perveniant ad Dei viſionem, ut dicitur in Pſal. &c.

28 Ejuſmodi autem fœſtiva ſolemnia ad ampliorem populi excitandam devotionem, nemo ambiget eſſe, cum propter hoc in eis acta magnalia recolantur, ultimata verò ut ad ultimum omnium, Principemque finem ad ipſius Dei gloriam, & honorem; Illinc enim exurgit majus erga Deum eorumdem conditorem, debitum obſervantiæ, gratitudinis, devotionis, ardentioriſque ex conſequenti amoris. Nec ullo pacto imaginandum eſt, ea Deum decreviſſe fœſta, ad ſibi ſuæmet munera pietatis, ac providentiæ memoranda; fatuum planè hoc foret phantaſiari de Deo; benè tamen ad ſuorum corda fidelium fortius evocanda, ut immenſæ largitatis ſuæ dona, devotioribus animi ſenſibus, atque amplioribus affectus actibus agnoſcant.

29 Pro quibus ſic inſpiciendis munerlbus de cœlo præſtitis, eadem 1. 2. q. 100. a. 5. proſequitur D. Th. *Ad ſecundum dicendum, quod omnes ſolemnitates veteris legis ſunt inſtitutæ ad commemorationem alicujus beneficii divini, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati, & ſimiliter propter hoc omnia ſacrificia offerebantur. Inter omnia autem beneficia Dei commemoranda, primum, & præcipuum erat beneficium creationis, quod commemoratur in commemoratione Sabbati. Vnde Exôdi 20. per rationem hujus præcepti ponitur. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, &c. & requievit in die ſeptimo. Inter omnia autem futura beneficia, quæ erant præfiguranda præcipuum, & finale erat, quies mentis in Deo, vel in præſenti per gratiam* (à qua valdè longè ſe habet quies quam ſibi effingit Molinos) *vel in futuro per gloriam, quæ etiam figurabatur per obſervationem Sabbati. Vnde dicitur Iſaiæ 58. Si averteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaberis Sabbatum delicatum, & Sanctum Domino glorioſum. Hæc enim beneficia primò, & principaliter ſunt in mente hominum, maximè fidelium: aliæ verò ſolemnitates celebrantur propter aliqua particularia beneficia temporaliter tranſeuntia, ſicut celebratio Pbaſe, propter beneficium liberationis ex Ægypto, & propter futuram paſſionem Chriſti, quæ temporaliter tranſivit, inducens nos in quietem Sabbati ſpiritualis, & ideo prætermiſſis omnibus aliis ſolemnitatibus, & ſacrificiis, de ſo-*

Digitized by Google

lo Sabbato ſiebat mentio inter præcepta Decalogi.

30 Ex his ita recolitis beneficiis planum fit gratiarum conſequi actiones, ſicut & populi quoque devotionem, ipſamque præcipuam propter ipſorum præcipuam beneficiorum mentionem: Non enim ſtare videtur, (niſi ingrati admodum animi, & immemoris monſtruoſique cordis,) exponi beneficium beneficiato, abſque eo quod ad gratias benefactori erumpat agendas, ipſique vi benificii motus, dovoto ſe corde voveat, & quoad ejus fieri poterit, exhibeat ut ſervus ad famulatum. Vnde ut 2.Reg.cap.7. legitur. *Audiens David revelationem quàm Deus fecerat Nathan Prophetæ de Regni ſui duratione, gratias egit valde humiliter, & devotè.* Et Dan.3. *devotè, & pulchre exoluerunt Dei laudes illi tres pueri de fornacis incendio liberati.* Et Lucæ 17. *Vnus illorum decem Leproſorum ad mandatum Domini mundatorum, regreſſus eſt, & cecidit humiliter in faciem ante pedes ejus, gratias agens.* Et Rom.1. *Apoſtolus pro beneficiis fratribus collatis, gratias devotè agebat.* Cum ergo pro recolendis beneficiis nobis elargitis, inſtituta ſint fœſta, & ſolemnia, ad gratias Deo agendas excitari fatendum eſt fidelem, & ad fervidiorum ſimul erga illum amorem, atque devotionem: non enim ex corde reputandus eſt aliquis ſuo benefactori gratias agere, niſi cum adhuc illi devotus eſt, affectuque eumdem ſe profitetur perardenti amore.

30 Item pro ipſamet inculcanda præcipua devotione diebus fæſtivis, injunctam fore novimus, ut dictum eſt, Sabbati ſanctificationem, ad quam in nova lege ſucceſſit obſervantia diei Dominicæ, cujus inſtitutio ad magis Deo vacandum, eſt acta, eique devotius ſeipſum homo offerat in holocauſtum, nec non perinde ut ejus ſupremum Dominum, Creatorem, ac proviſorem adoret. Æquum eſt enim non ſolum ad opportuna corporis, dare operam, verùm etiam animæ, imò & potiſſimum, cum ſicut ad laborandum pro corpore inſtitutæ ſunt dies appellatæ laboris: ita & pro anima ut ſuo Domino vacet, dies fæſti. Quod utique conſtitutionis opus, omnes præfatos actus includit orationis, devotionis, gratiarumque actionis, &c. vti pariter eorumdem exercitium in locis hac de cauſa præſertim extructis, Templa ſcilicet, Oratoria, &c.

31 Quod amplius per extenſũ habetur ex D.Th.2.2.q.122.a.3.quo de tertio reſolvendo præcepto Decalogi. *Reſpondet dicendum. Quod remotis, impedimentis veræ religionis per primum, & ſecundum præceptum Decalogi conſequens fuit ut tertium præceptum poneretur per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet cultum Deo exhibere: ſicut autem in ſcriptura divina traditur nobis cultus interior ſub aliquibus corporalium rerum ſimilitudinibus, ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorum cultum qui conſiſtit in oratione, & devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus Sancti impulſu, ſeù inſtinctu, præceptum legis dandam fuit de exteriori cultu ſecundum*

Digitized by Google

aliquod sensibile signum. (Notanda hæc quia præcipuè conferunt pro capitibus, ac dictis 27. & 30.) *Et quia præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima, & communia legis principia, ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii, quod pertinet ad homines scilicet ad representandum opus creationis mundi, à quo requievisse dicitur Deus septima die, in cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacandum Deo, & ideo Exodi 20. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbati, assignatur ratio, quia sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & in septima die requievit.*

32 Quod ulterius explicat. *Ad primum dicendum, quod Præceptum de sanctificatione Sabbati, litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem ceremoniale. Morale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis. Ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni somnus, & aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo, & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali, sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus, in signum creationis mundi, sic est præceptum ceremoniale.*

33 *Præterea in responsione ad Tertium dicendum, quod in observantia Sabbati duo sunt consideranda quorum unum est sicut finis, & hoc est ut homo vacet rebus divinis, quod significet in hoc quod dicit, memento ut diē Sabbati sanctifices. Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quę divino cultui applicantur. Aliud autem est cessatio operum, quæ significātur cum subditur, septima die Domini Dei tui, non facies omne opus, quod intelligitur de opere servili, ut Levitici 23.*

34 *Huic autem observantiæ Sabbati, ut idem ibidem ad quartum. Successit in novæ lege observantia diei Dominicę, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani, ut magis putā vacet iste divinis, ut supra etiam dictum est, sed hoc non ita rigorose sicut in veteri lege: Conceduntur enim quædam opera in die Dominica, quæ olim prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia hujusmodi; & etiam facilius propter necessitatem in aliquibus operibus prohibitis dispensatur, quod nullatenus permittebatur in veteri lege, quia hæc erat figuralis, figura namque pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico prętirire oportet, opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore.*

35 Ex quibus omnibus planè liquet quam opportuna sit populo Christiano devotio diebus præcipuè fæstis, lociſque sacris, cum ad devotè orandum, instituta sint illa, & constructa, sicut figuræ ostendunt, & figurata ut supra jam diximus. Fæstivitates enim quæ ab Ecclesia insti-

Digitized by Google

tutæ ſunt, ad Dei gloriam primariò, & laudem ordinatæ ſunt, ut ſcilicet homo omiſſis exterioribus, ſeu ſecularibus negotiis, ad Dominum Deum ſuum ſe conferat, ut per devotionem, orationem, divinorumque myſteriorum contemplationem, ſeipſum ad illum rapiat, eique perſtringat, nec non de commiſſis, excurſis diebus pœnitens erratis, tunc dolendo reducat. Ita quippè ipſum feſtivitates expoſcunt, devotione ferventiorem, boniſque operibus uberiorem.

36 Quod ſi congrua ratione uti velimus ad hæc ipſa ſuadenda; Ipſa natura indicare videtur in quibuſdam arboribus, quæ ut refertur ab erudito Bereono verbo, fæſtum, Ac ſi virtutem, aut lætitiam fæſtorum in ſe ſentirent, ſolent foliis, floribus, & fructibus plus ſolito circumfluere, & abundare, ſicut de aliquibus Nucibus compertum eſt, quod aridæ, & ſiccæ uſque ad fæſtum S. Joannis Baptiſtæ perdurantes, nullum virorum vultum oſtendunt, aut jubilum aliquod, deinde florentes, ac frugiferæ noſcuntur habere, unde cæteris virorem, fructuſque emittentibus plantis, eas faciem protendere ariditate hyemalem, atque ſervare, ſepius eſt obſervatum. At ubi ad vigiliam fæſtivitatis Sancti Præcurſoris attingunt, quadam occulta, mirabilique virtute, folia, flores, & fructus copiosè producunt, haſque plurimas inveniri teſtatur idem auctor de illis ita referens variis in locis, ſicut etiam Gervaſius lib. de ociis Imperialibus de quadam exemplificat, quę in Provincia apud Villade Variolis in Aquenſi Diæceſi temporibus illis reperiebatur.

36 His ergo Nucibus ad morale naturale reducto, aſſimilandos dicamus homines, quia ſcilicet dato, & non conceſſo, quod antea aridi fuerint, & ſicci virore gratiæ, foliiſque, ac floribus honeſtatis, nec non, & fructibus bonorum operum per adverſa vitia denudati invenirentur: Cum tamen divina accedit fæſtivitas, Sanctorumque ſolemnitas aliqua, illicò ſe virtutibus ſe induere debent, ac denuò foliis honeſtatis ſi amictos oſtendere, floribus bonorum morum hilares effici, necnon odore bonæ famæ ſuaves, bonorumque fructibus operum fęcundos exponi: ita ut nedum exterius in corpore ſplendidè, ac perornatè ſe gerant, ſed adhuc, & potiori jure, intus in anima, non tantum ſub oculis hominum pomposè ſe jactent, verum etiam, & eo magis in Dei conſpectu, non ſolum denique phyſice per pulchre apud mundum apparere ſe ſtudeant, ſed inſuper, & maximè moraliter apud cęlum, ſub cujus oculi contuitu vera exultat oſtentatio, & vera gloria. Vnde de Judith 16. dicitur. *Quod ipſa erat diebus feſtis procedens in gloria magna.*

38 Amplius argumentum ſumi poteſt ex Principum, magnatumque magnificis ritibus, quod quemadmodum iſti in diebus fæſtis, ac ſolemnioribus conſueſcunt lautiori ciborum delectari apparatu, veſtibus apparere prętioſioribus, vultus oſtendere populis lætiores, necnon armonicis oblectari jucundioribus canticis. Sic in fæſtis ſpiritualibus epu-

laudum

landum est lautius, dulcius, & sapidius per devotionem, & Eucaristiæ sumptionem, eleemosynarum elargitionem, aliorumque bonorum operum ostentationem. *Unde Devotoron. 16. Epulaberis in festivitate tua. Et Tobiæ 2. quod cum esset dies festus Domini, factum est prandium bonum in domo Tobiæ.* Vestiendum est etiam pulchrius, atque mundius, per mundam, & honestam conversationem, Eccl. 43. *A Luna signum diei festi.* Luna inquit, idest pulchritudo conversationis, de qua potest illud intelligi, quod sit pulchra ut Luna. Exultandum est quoque lętius, & jucundius per spirituale gaudium. 2. Reg. 8. *Fecit Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo lætantes, & alacri corde.* Canendum est adhuc, & altius per Dei laudem, & gratiarum actiones, necnon per confessionem, & orationem frugiferum in gratia habere colloquium. *Joan. 7. In die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, & 12. Ascenderunt, ut adorarent in die festo.*

39 Ex quibus patet vacandum esse in diebus festivis, ut in tempore præcipuè designato, bonis operibus, seque tunc, & præcipuè devotius se fidelis Christianus gerere debet, ac perinde à pravis abstinere actionibus. Festiva namque tempora, dies debent esse festivæ, & exultationis, dies innocentiæ, & justificationis, diesque misericordiæ, atque devotionis. Lętitiæ quidem quia festiva, & exultantia. Innocentiæ, & justificationis, coaptando se Christianus innocentiæ Christi, qui est Agnus immaculatus, & immolatus, quo pacto ejus gratia obtenta justificatur, & ad eius instar candidus efficitur, ac speciosus. Misericordiæ tandem, atque devotionis: Eo quia nihil injustum, vel crudele debet in illis committi diebus, ut constat per ipsorum verba crudelium Judæorum, qui scilicet in die festo Christum, quem aliàs occidere decreverant, metuerunt hoc agere, ne forte tumultus fieret in populo, ut dicitur Matth. 26. & Marci 14 idest nè scandalum fieret in populo, quia videlicet magnum scandalum est apud omnes, quando in festivitatibus, quæ præsertim colenda sunt, & honoranda tempora, mala patrantur, vel inhumana, & sęva; cum potius festivis in diebus, ac temporibus Deo specialiter dicatis, indulgentiæ fas est esse, ac miserationis opera, quia tunc potissimum in signum majoris devotionis debet indigentibus homines subvenire, & indulgere peccantibus, ac delinquentibus. Unve Lucæ 23. dicitur, *quod Judaicus populus necesse habebat dimittere unum vinctum in die festo.* In summa cum in diebus festis, ac temporibus opus sit animæ, Deo præcipuè vacare, eique tunc maximè obsequentem se exhibere, devotamque gerere voluntatem, ac per consequens, ut supremo universorum Domino, fidelem se præbere ancillam, eique deinde opera cuncta tunc præcipuè sunt, ut magis congrua, apposita, ac opportuna condecentia, quæ ut jam dictum est, bonitatem in se potioris devotionis exprimunt, sicut & innocentiæ, pietatis, nec non lętitiæ, & exultationis.

40 Et

Digitized by Google

40 Et ità simili pacto de locis fatendum est Deo dicatis, & sacris, ubi fideles congrediuntur, ut intentius orationibus vacantes intentiori, ut fas est devotione intendant Altissimo, qui idcircò præsertim talem sibi dicavit Ædem, Domumque locavit. Ibi enim fugiendo invidi Draconis insidias, ejusque ut ex Orei faucibus erepta, tamquam in solitudinem advolet anima Christiana. Quod ipse Deus videtur ei spondere dicens Exodi 81. *Constituam tibi locum in quo fugere debeas.* Et Oseæ 2. collocutionem orationis ibidem fundendæ annuens inquit. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*: Verùm cum ad locum ducat eam sanctum, & pium, utpotè Dei Templum, quod Sanctum est, ut ait Apostolus ad Cor. 3. Sanctè se in eo fidelis gerere debet, nulloque ipsum fædare afflatu, Sanctum enim nonnisi Sancta decentia sunt, & accomoda; quapropter ipse Dominus ad populum admonens ait; *Sancti estote quia ego Sanctus sum*; qua ratione Ministri sacris initiati ordinibus peccato infecti mortali, ministrantes sic fæculenti Sacramenta, graviter peccant, eo quod sancta non sanctè tractant, neque ad instar Sacramentorum auctoris, qui innocens, & immaculatus est se gerunt. Vnde de Juda 1. Maccab. cap. 4. dicitur, *quod pro mundandis Sanctis, elegit Sacerdotes sine macula, & voluntatem habentes in lege Dei.* Et cap. 10. *de Jonata fratre ejus, quod in Arce Syon collocavit viros, qui legem facerent.*

41 At quæres, si tàm pro devotione, & oratione opportunus est locus Sacer, quomodo intelligitur illud Pauli Apostoli, primæ ad Timoth. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira, & disceptatione; similiter, & mulieres, &c.* Ad hoc respondet D. Th. super dictum locum lectione secunda, estque idem, quod sentiunt cæteri Doctores. *Quod scilicet Apostolus in eo quod dicit: Volo viros, &c. Tria exigit à viris in orando. Primò, quod oratio sit assidua. Secundò Pura. Tertiò quieta. Assidua in omni tempore, & in omni loco. E dicit volo; quia bonum est, quod homo oret. Et ego Doctor volo viros orare in omni loco: non in Hyerusalem tantùm ut Judæi: nec in Monte Garisim ut Samaritani.* Joan. 4. *In omni loco potest homo spiritualiter, & mentaliter orare.* Sophon. 2 *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes Insulæ gentium, &c. Sed quomodo Dominus reprehendit Pharisæos stantes in angulis.* Matth. 6. *Respondeo. Oratio mentalis ubique potest fieri; sed signa orationis exterius non debent fieri in omni loco: quia homo non debet singularis apparere in exterioribus, & propter hoc potest haberi inanis gloria.*

42 Sed quare nunc sunt factę Ecclesiæ? *Respondeo. Non quod locus sit de necessitate orationis: sed ad bene esse ejus, quia oratio requirit solitudinem, & quietem*, (de qua autem sit sermo quiete, modo infra cum eodem D. Th. videbimus num. 44.) & benè dictum est locum Sacrum, vel Ecclesiam ad bene esse orationis exquiri, non absolutè, & simpliciter;

sed

Digitized by Google

sed quia ibi præcipuè viget cum devotione oratio, & hac de causa, opportuna diximus esse loca Sacra, sicut & solemnia tempora, fusèque cum ipso D. Th. perpendimus. Qui expositionem prosequens præcitatæ Pauli Apostoli Epistolæ, & resoluto primo ex tribus à viris exactis, orationem scilicet debere esse assiduam, transit ad secundum, quod est, quod sit pura, & hoc pacto.

43 *Item pura. Ideo dicit, levantes, &c. Augustinus; Quod exterius orando agimus, facimus ut affectus noster interius excitetur. Genuflexiones enim, & huiusmodi non sunt per se acceptæ Deo: sed quia per hæc tamquam per humilitatis signa homo interius humiliatur: sicut elevatio manus significat elevationem cordis. Tren.3. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlo. Levantes, &c. ideſt orantes cum devotione cordis.* Job.8. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus, & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ, &c.*

44 *Item quieta, & ponit duo. Primo scilicet ut mens sit sine ira, quæ animum inquietat ad inferendum nocumentum proximo, à qua oportet liberum esse animum orantis.* Eccleſiast. 28. *Homo homini servat iram, & à Deo quærit medelam. Item liber debet esse homo à disceptatione: quod potest intelligi dupliciter. Uno modo secundùm Gloſſam, ut non disceptemus contra Deum increduli verbis ejus, & murmurando contra ejus ordinationem. Rom.9. O' homo tu quis es ut respondeas Deo, &c. Item contra proximum ut non rumpamus pacem eum eo, quod fit per disceptationem. Pax enim est necessaria oranti. Matth.8. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint fiet illis à Patre meo, &c.*

45 Cum his Doctoris Angelici dilucidis commentis, non videtur omittendum, quod speciatim adnotat D. Ambrosius, rationem afferens, quare dixit Apostolus in præallato ad Timotheum, volo autem viros orare in omni loco. *Qua ratione viros dixit? utique communis ratio est, & mulieribus, & viris. Quod non invenio, nisi fortè Sanctus Apostolus, ideo viros dixit, ne mulieres usurparent, & malè intelligerent in omni loco, & inciperent ubique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.* Qua delicata reflexione, Sanctus Antistes annuit, quam admodum pro majori devotione conferant, ac sapienter, & optimè ordinata sint, & ut præcipua designata loca, Ædesque Sacræ, quæ ob sui opportunitatem, & commodum, maximè faciunt pro intensiori devotione orationis, ejusque magis intentæ mentis ad Deum; qui pietatis, cultusque divini actus cum solitudinem exigant, & quietem, ut supra cum D. Th. dictum est, vix exequi in Ecclesia ferè possunt, divinus ait Ambrosius, propter mulieres quas ut clamosas, & loquaces sustinere non possumus.

46 D. Item Augustinus pro diebus fæstis, locisque sacris excolendis,

ac

ac ut magis magisque in illis intendat ad Altissimum Creatorem, Redemptoremque suum homo. Serm.1. super Psalm.41. sic ait. *Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster à mortuis resurrexit, quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus, dantes scilicet diei hunc honorem, & reverentiam, propter spem resurrectionis, quam habemus in illa, &c.*

47 Et infra ibidem Serm.2. *Rectè facta Ecclesia colunt, qui se Ecclesiæ filios recognoscunt. Hæc enim Mater credentium est, quæ natos à morte regenerat salutem. Hæc est post Synagogam quidem vocata, sed ante Synagogam promissa. Hæc enim jam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eva, ita ex Christi corpore, & vulnera redempta crevit Ecclesia. Hæc intra Arcam diluvio exundante servata, Crucis beneficium, & Baptismatis mysterium præsignavit. Hanc Sara sterilis, & desperata in senectute, unico pignore fœcundata præcinit, quod Ecclesia unicum idest dilectissimum Deo populum seculi jam senectute progenuit. Hæc est Regina illa de qua ad dominum dicitur, Astitit Regina à dextris tuis investitu deaurato circumdata varietate, idest diversarum circumdata pretioso decore virtutum. Hæc est illa Regina, quæ venit à partibus Æthiopiæ audire sapientiam Salomonis, &c.*

48 Et infra Serm.4. *Quando festivitates colimus Fratres carissimi, diligenter debemus attendere, & totis viribus laborare,* (en expressus pro majori devotione animæ nisus) *ut quod in Templis, vel Altaribus visibiliter colimus, in nobis invisibiliter compleatur.* (Cujus veluti rationem subdens ait infra ibidem.) *Quoniam qui nec castitatem custodit in corpore, nec puritatem tenet in mente, quoties sancta solemnitates adveniunt, in corpore videtur habere gaudium, in corde non celebrat nisi luctum, &c.* Ita & alibi pro dignè celebrandis solemnitatibus, locisque sacris excolendis Magnus Frater Augustinus.

49 Pro quorum amplius observantia, quam plurima pro, & contra, extiterunt exempla, de punitis scilicet inobservantibus, sicut è contra recognitis observantibus. Illorum enim, aliqua seligendo; De quadam muliere fertur quæ procax, & vana, vice devotionis in omni ferè die festo, in ducendis consueverat choreis, cæteriscque hujusmodi levitatibus. Quadam die, justo Dei judicio, de manu cujusdam juvenis saltatoris, sic præter modum, & impetuosè baculus elapsus est, quod percussa graviter in capite prædicta muliere, illicò in terram corruens obiit. Quo miserabili inspecto casu perterriti omnes, corpus ad domum propriam detulerunt, & in feretro posuerunt. At quid horribilius accidit? Advenientibus deinde ad funebrem Clericis canticum: Ecce Taurus nigerrimus, imò dæmon horrendus, formidabiles mugitus emittens, ergaque

Digitized by Google

que feretrum accurrens unà illud cum corpore dejecit, illudque insuper cornibus dissipans, iteratis impulsibus membratim, frustratimque confodit: ita ut visceribus hinc inde dispersis, fætor intolerabilis effunderetur. Fugientibus ergo cunctis, cadaver laceratum usque ad crastinum, solum est relictum, quousque evaporato fætore, proximi ejus intrare possent ad corpus, & sublatum extra Cimiterium sepelire. En quam pœnam, quodque supplicium negligentibus imminere cœlum admonet, debitam dierum solemnium observantiam negligentibus.

50 De quo item aliud admirabile legitur de quodam Venatore, atque strenuò Equite, qui taliter venationibus erat intentus, quod nullo, neque Dominico, vel festo die missam audiret, sed valde mane ad campos excurrens venationi vacabat. Arguebat autem eum frequenter uxor sua Deo devota, & ille ut muliebres monitus reputans nihilfaciebat. Accidit autem ut ipsa uxor post multos editos partus, puerum pareret abortivum habentem caput venatici canis pendentibus auribus, & porrectis. Confusa ergo, & exterrita matre, multisque astantibus nobilibus matronis, consilium fuit omnium, ut terra citius partus obrutus regeretur. At veniente de venatione viro ejus, cum primum domum ingressus est, quæsivit quis puer esset quem editum habuisset. Dissimulantibus autem omnibus cum pudore, inflat ille detracto gladio ut ei partus ostendatur. Quapropter timore compulsa mater, extrahi de terra jubet prolem, triste spectaculum, & monstruosum, dicens, exprobando, marito. Ecce quam man festo prodigio insipientiam tuam vindicavit Omnipotens, cui nullum honorem diebus sacris: nullam reverentiam ejus Sacramentis præbuisti, sed magis ludis venationum, indiscretis temporibus instituisti: Hæc ut vidit ille correxit se, & pœnitentiam egit de commissis. Documenta posteris dando, qua observantia, quaque attenta devotione colendi sint dies festi, ac solemnia Sanctæ Matris Ecclesiæ veneranda.

51 At ut cætera omittam exempla, quæ suppeterent, & permulta, referam solum tandem de quodam Pistore, qui semper die Dominico farinam conspergebat, & fermentabat, de qua nocte sequenti panes decoquebat, eo fine ut sequenti die venderet recentes. Quos dum vice quadam mane feriæ secundæ extraheret de clibano, unum de illis panibus frangens, illico rivus sanguinis, qui totum panem madefecit, effluxit. Expavit ille, & panem cruentatum frustratim comminuens, per singulas fracturas cruorem stillare vidit. Alios etiam omnes panes similiter cruentatos invenit, quos panes per octo dies, rubore, nec non timore detentos, apud se occultavit: sed mercenarii hoc ad publicam notitiam perduxerunt Episcopi, in conspectu cujus allatus unus ex illis panibus, sic esse conspexit. Et ut dignosceretur ex discrimine prodigium divini Judicii, erant alii panes in clibano positi, qui post crepusculum diei Dominicæ fuerant fermentati, & impositi, qui cum extraherentur, & fran-

Digitized by Google

gerentur nil prodigiosi habentes in sua naturali qualitate, ad usum hominum vendebantur. Primi verò per Monasteria, & Ecclesias in monimentum facinoris de transgressione diei festi, atque neglectu, ad terrorem hominum diligenter servabantur.

52 His de negligentibus observantiam dierum solemnium, relatis, atque festorum, quamque Deus paruipendentes illam, puniat, deque illata vindicet injuria, Æquum est ut itidem aliqua pro eamdem obsequentibus ducamus. Pro quorum commendanda devotione, de quodam Rege Danorum fertur; quod erga tres Reges, qui Stella duce ab Oriente Hierosolymam venerunt, & Christo nato munera obtulerunt, magna devotione fervens, ad eorum visenda corpora die ipsorum festo, Coloniam ubi illa solemni ritu servantur, magno eum comitatu adiit, atque tres Coronas aureas mirabili fabrefacta artificio eis obtulit, Ac insuper pro ingentioris expressione devotionis multa millia aureorum pauperibus, Ecclesiisque distribuit: quadam autem nocte cum ad propria remearet, & membra sopori dedisset. Ecce in somnis vidit tres Reges suos Advocatos, & Patronos, ac eis quas obtulerat Coronas in capitibus gerentes, cumque ingenti lumine ad se propius accedere, quos & singulos audivit ad se talia singulariter dicere. Primus ergo, qui & senior esse videbatur, sic ait, Frater mi feliciter venisti, sed felicius ad propria remeabis. Alter dixit. Frater mi multa tribuisti: sed tecum plura reportabis. Tertius similiter ait. Frater mi, fidem ostendisti: sed expletis vigintitribus annis jugiter in cęlestibus nobiscum regnabis. Primus igitur offerens ei pixidem plenam auro, dixit: Accipe thesaurum sapientiæ per quam subjectum populum justè judicabis; quia honor Regis judicium diligit. Secundus pixidem cum myrrha obtulit ei dicens: Accipe myrrham pęnitentię, per quam carnis motus illicitos refrenabis: quia optimè regnat, qui seipsum benè regit. Non enim alios benè regere, aut coercere potest, qui seipsum non coercet. Tertius præbuit ei pixidem plenam thure dicens: Accipe thus devotionis devotæ clementiæ, per quam miseros relevabis, quia sicut ros herbam irrigat ut crescat, sic dulcis clementia Regis usque ad sydera provehit, & exaltat. Cumque Rex de magnitudine visionis miraretur, subito excitatus est, & pixides quas illi tres Reges obtulerunt, juxta se collocatas reperit, qui donum Dei lætus accepit, & ad propria rediens, & omnia quæ in somnis audierat, quo ad vixit devotissimè adimplevit, & expleto termino supradicto, Regna cęlestia meruit possidere. Exemplum virtutis, & maximę devotionis universæ genti derelinquens, qua devotione, quoque cordis amore attendendum sit ad Sanctorum festa, diebusque solemnibus.

53 Ita simili pacto de quodam Sacerdote Religioso narratur: quod tàm devotus erat ad Christi Domini festa solemnia, ut his suis diebus ad-

ve-

Digitized by Google

venientibus, ante ipsorum imagines, & simulacra sedendo, ac devotè conspiciendo orabat, gemebat, assiduisque suspiciis, ex præcordis ortis lagrimas effundebat, quod ab initio festivitatis usque ad finem firmiter, & constanter agebat. Hic idem tàm devotè erga Beatæ Virginis festa ferebatur, quod in qualibet ejus festivitate, mille recitabat majori, qua poterat humillimi servuli ejus, Ave Maria. Tam devotus præcipuè ad festum omnium Sanctorum, quod antea per integram hebdomadam jejuniis, aliisque pœnitentiæ operibus ad illud universum festum, sedula se devotione parabat. Tam devotus insuper extitit in sacrificio missæ, quod non modicè molestum ei erat si minister, aut alia persona staret ubi faciem ejus videre posset; quia de oculis ejus rivi lachrimarum ubertim fluebant, quibus genas suas affluenter inundando irrigabat, quod ipse mundo celare cupiebat. Præfatus ergo sic devotus Frater erga Sanctos, in die omnium Sanctorum migravit ad Dominum. Qui post aliquot dies apparuit cuidam devoto Fratri in somnis, pulcher admodum, & speciosus, ingentibus undique luminibus emicans, indicans se jam Sanctorum Collegiis feliciter associatum. Quo videbatur omnes ad sui imitationem invitare fideles, ut simul una eum ipso devotione erga Sanctos, eorumque festa ferventes, una deinde secum, cumque Sanctis omnibus, diem festum in æternum mereantur agere, lætarique in cœlis.

54 **Cum his aliisque quampluribus, quæ supererent exempla pro urgenda in diebus festis, atque solemnibus majori devotione, non omittendum, quod fertur de quadam nobili Virgine, ac ferè puella, quæ cum maxima quam habebat erga Beatam Virginem Dei Matrem devotione, diu ipsam exoravit, ut sibi dignaretur ostendere filium suum. Cui tandem complacere dignata Regina cœlorum, Vigilia Nativitatis Domini, cum ferventius tunc in saccellum sola ingressa Virgo devota oraret, seque ad tam solemnem diem festum, puriori quo posset corde parare, satagens: Apparuit ei alma Virgo Regina, ingentibus irradians æternis cœli luminibus, nec non agminibus vallata Angelorum, Astrisque coronata, filium suum unigenitum in manibus tenens, sic alloquuta Virginem devotam dixit: Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ inexplicabili gaudio plena, amplexata divinum puerum, insatiabili amore osculabatur. Cui Puer ait. Diligis me? Et illa, omnino. Suspirando respondit. Et ille. Quantum? Tunc illa ex imo pectoris, plusquam cor meum, subjunxit. Et Jesus iterum inquirens ait. Quantum plus corde tuo diligis me? Et illa ex intimis emisso suspirio. Nescio dicere, confessa est, sed cor meum loquitur, & forte cum Petro. Tu scis Domine quia, & quantum amo te: quo dicto, illicò cor ejus præ amore scissum est. Tunc B. Virgo Maria accepta anima ejus inter concentus Angelorum deduxit in cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit,**

rit, & Virginem mortuam invenientes, inenarrabili odore sunt repleti: sed & Fratres prædicatores qui aderant, cor ejus saperientes, sciſſum invenerunt, & in eo scriptum aureis litteris velut, in tabulis sculptis. Diligo plusquam me, quia tu creasti, redemisti, dotasti me. Ecce fructus ex præcipuis in diebus fæstis, & solemnibus, devotionibus. Addiscant ergo fideles omnes, hisque, aliisque passim hujusmodi præclaris exemplis, incendantur, ut dierum fæstiva solemnia ardentiori qua valent devotione percolere, ac ipsa magis magisque adniti, præcipuis celebrare actibus, operibusque pietatis.

55 His ergo de diebus fæstis, & solemnibus delibatis, ratio exposcit ut nonnulla etiam de locis adducamus sacris, quamque, & ipsa præcipuam à fidelibus observantiam exigant. Pro qua legitur de quodam devoto Sacerdote, qui missę sacrificio peracto, cum in orando gratias deinde Deo ageret, vidit retrò Altare Diabolum scribentem in pergameno longissimo. Cumque pergamenum ei deficeret cępit cum dentibus ampliare modo sutorum, ut majorem posset recipere scripturam. Ad quem accedens Sacerdos in virtute Jesu Christi Diabolo præcepit, ut coram populo diceret, quod ibi scripsisset. Respondit Dęmon: Hic scripsi omnia peccata, mendacia, detractiones, aspectus impudicos, cogitationes inde significatas immundas, vanitates, & omnia facinora populi tui, quæ hodie in ista Ecclesia commiserunt, quia hęc facta in Ecclesiis valdè Deum offendunt, & lętificant nos inimicos Dei. Tunc Sacerdos assumpto pergameno, & peccatis lectis populo nunciavit, & acriter admonuit. Ad cuius monitionem exterriti, contriti ad pedes ejus cucurrerunt confitentes peccata sua, quorum devotissimè confessione completa, tota illa scriptura fuit de pergameno delera, in signum deletionis peccatorum. Et sic Dęmon confusus recessit. Quo facto indicatur, quam speciatim devotionem exquirat locus sacer, quamque præsertim ex consequenti cum itidem dies fęstus accedit, vel solemnia celebrantur.

56 Pro eadem indevotione arguenda de quibusdam Clericis exemplum fertur: quod in Ecclesia sortiter, & clamorosè, non devotè cantantibus, ac voces tumultuosas in sublime tollentibus, easque variis reflectentibus intermediis, modisque indebitis: homo quidam religiosus, qui fortè tunc adfuit, vidit quemdam dęmonem in eminenti Ecclesię loco stantem, saccum magnum, & oblongum in manu tenere, qui cantantium voces dextera latius extensa capiebat, atque in eumdem saccum mittebat. Illis autem expleto cantu inter se gloriantibus, tamquam qui benè, & fortiter ceciniſsent, Deumque laudassent. Respondit ille qui vidit visionem. Benè quidem cantastis, sed saccum plenum cantastis. Mirantibus illis, & interrogantibus cur hoc diceret: visionem eis ex-

Digitized by Google

expoſuit. Admonens de incongruo quem adhibebant modum laudandi Deum, & devotionem quam magis commodam perquirit Eccleſia, ipſi improprio more exercentes, inviſam imò efficiebant apud illam, & exoſam.

57 Sic his conſimile narratur de quodam monacho, qui dono nobiliſſimæ vocis exultans, virtutem ejus in obſequium Dei exercere prætermittens; quin potius propriam gloriam ambiens, minimè devotus ſacra cantica ſolemnizando canebat. Et ita ut conſueverat in quadam feſtivitate, prophanus egit: quod ubi à cæteris Fratribus graviter, ac devotè decantabatur, ipſe tinnulos modulos flexibilitate acutiſſimę formando vocis, ſolita laſcivia decantaret. Finita ſic acta muſica, ut à quo merces irreligioſi cantus ſperanda eſſet intelligeretur, tàm ipſi, quàm cęteris ibidem circuſtantibus, apparuit Demunculus quidam teter, & fuſcus ſub ſpecie Æthipuli, qui manibus plaudens, & miro modo cachinnans exclamavit dicens. O' bene, ò bene cantavit: optimè cantatum eſt. Deridendo ophanum illum muſicum monachum, qui tam inaniter, & indevotè ſuam extollendo, & intorquendo vocem, ſeraficum ſe reputabat Orphæum apud omnes haberi.

58 Denique cæteris quampluribus hujuſmodi omiſſis caſibus, pro noſtri complemento capitis, dictique ſit, quod terribile auditu traditur de quodá etiam monacho vocem item habentem ſuaviſſimam. Qui cum in Vigilia Paſchæ Cereum benediceret, & voce dulciſſima ejuſdem benedictionis melodia reſonaret in auribus omnium, ut muſica in convivio baccanalium]. Benedicto Cereo, aliorſum translatus nuſquam amplius comparuit, & neſcitur uſque in hodiernum diem à quo raptus fuerit, vel in quem locum depoſitus. Putandum tamen, (ſubdit auctor hoc referens à quo cæteros omnes ſumpſi ſupra relatos caſus, ab ipſomet in libris de vitis Patrum adductos) quod Angelus Domini eum non aſſumpſit, quoniam qui vitam ejus noverant, tale ſibi teſtimonium non dederunt. Magis ergo timetur, quod cauſa raptus ejus, fuerit vitium ſubortæ elationis, non autem meritum devotionis. En quomodo ad aliorum exemplum, ac documentum, vindicem ſe aliquoties Deus oſtendit, cum nimium devotionis defectum inſpexerit, exceſſumque perinde in loco ſibi Sacro dicato, contemptricis ejus indevotionis, ac temerarii modi agendi.

59 Quam autem demum in vera cordis devotione ſibi complaceat, illud adnotandum geſtum in quadam celebri Canonicorum Eccleſia, in qua, die cujuſdam Sancti feſtivo, cantantibus imò diſcantantibus illis, quia inordinata methodo, ac ulla devotione, & obſervantia pſallentibus, cum Symbolum fidei, Credo, ſub ſilentio dicere debuerunt. Vox cęleſtis omnibus audientibus intonuit. Nullus exauditur niſi raucus. Stupefacti ergo omnes adverterunt deſpectum quendam

dam cum voce lugubri, & absona in angulo constitisse: nec aliquis ambigebat eum super quem vox descenderat, extitisse. Inde intelligentes, ac omnibus intellectum posteris dantes, quantum Deus in devotione cordis delectetur, quantumque hac sibi tantummodo gaudeat obsequente, & præsertim cum in sua exercetur Ecclesia, nec non diebus festis, cumque sua peraguntur festiva solemnia.

60 Ex quibus omnibus, & perpensis, ut plenè suadentibus, & convincentibus tàm pro homine interiore, quàm exteriore apparet, quod ut fallax est depellenda trigesima tertia propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

Trigesima tertia Propositio Molinos. *Il ringraziare Iddio con la lingua, e con parole, non è per l'anime interne, le quali devono starsene zitte, senza metter nessuno impedimento a Dio, che operi in loro, e quanto più si rassegnano in Dio, sperimentano il non poter dire il Pater noster.*

Oppositum ex adverso dictum.

Tàm corde, quàm ore opportunum est orare, Deoque gratias agere, pro ab ipso beneficiis acceptis, & hoc ipsi maximè obsequens, non autem obex.

1 APex Ingeniorum Augustinus mundi architectonicem contemplatus, cum plurimis elogiis possit eam decorare, unico contentus, appellavit, carmen. Qua quæso de causa? Quid enim mundo cum carmine? quid orbi cum voce? cum exiguo metro, quid immensæ moli similitudinis intendit? occurret aliquis, & scite inquiet. Comparavit & meritò Augustinus cum carmine mundum: quoniam sicut carmen mensuram in se habet, pondus, & numerum: mensuram quidem, congrua percurrens proportione pedum: numerum in suis dactilis, spondæis, choræisque: pondus autem in valore, gravitate que verborum: haud secus orbis qui à divino fabrefactus artifice in numero, pondere, & mensura, ut idem inquit Architector. Sap. XI. Benè nomine Carminis nuncupandus orbis est ipse. Quippè qui mensuram habet in substantia qua constat: numerum in specie, pondus in ordine: fautor est hujus sensi Doctor Angelicus 1. p. q. 5. & 9. 45. a. 7. ubi de constitutione mundi eloquens ait. *Quod ejus mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem*: Optimè itaque ut carmen mundus est reputandus; rectèque hoc pacto ab Augustino appellatus.

2 At si proprius ad rem præloqui velimus. Carmen appellavit mundum Augustinus: quoniam cum carmen non sit aliud quam quædam laus, verborum phaleris, & lenociniis inclusa, ut Græcorum, latinorumque poemata canendo testantur. Mundum appellat carmen Augustinus, quia totus quantus est, divinæ bonitatis, laus quædam est. Lustrate cælestes Orbes, explorate terrestres oras, media inter spatia peragrate, nihil invenietis, quod à divinis laudibus sit feriatum: ut plane per os Regii Psallentis in quampluribus suis canticis est audire. Unde

de Basilius. *Universa creatura suum deprædicat Auctorem.* Et Nanzianzenus. *Magnus divinæ Majestatis præco est mundus.* Et Hieronymus. *Totus mundus una vox Christi est.* Totus ergo mundus concentum unum armonicum ad laudes Dei resonat, agnoscitque tot ceu linguis, quot in se bona retinet, quasi gratias agens, suum primum Opificem.

3 Igitur si totum universum in laudibus, gratiisque ferè agendis, pro divino Conditore immoratur, cur homo qui microcosmos dictus, quidã mole parvulus mundus est, virtute magnus, in morem carminis adhuc, & ipse, in laudibus, gratiisque agendis suum erga Creatorem, non se geret? Item ergo ad universi imitamen debet ipse, nè dum cordis ore interno, verum etiam externo sensus, cum videlicet opportunum erit, aut ex ipsius orantis opportunitate censeatur efficiendum. Quod optimè confirmatum video ex D. Th. 2. 2. q. 83. a. 12. *Ubi num oratio debeat esse vocalis. Resolvit & primò cum Psalm. 3. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Et inde præfacta distintione orationis, in communem, & singularem. Primam inquit, debere iste vocalem, quia innotescere debet omni populo, atque per Ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur. Alteram autem, quę scilicet à singulari persona offertur, necesse non est esse vocalem; adjungitur tamen vox tali orationi, triplici ratiõne.*

4 *Primò quidem ad excitandum interiorẽ devotionem, qua mens orantis elevatur in Deum, quia per exteriora signa, sivè vocum, sivè etiam aliquorum factorũ movetur mens hominis secundum apprehensionem, & per consequens secundum affectionẽ. Vnde Augustin. dicit ad Probam epist. 121. c. 9. Quod verbis, & aliis signis ad augendum desiderii Sanctum, nos ipsos acrius excitamus; & ideo in singula i oratione, tantum est vocibus, & hujusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est à talibus signis cessandum, quod præcipuè contingit in his, quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata. Vnde Psalmo 29. dicebat Regius Vates. Tibi dixit cor meum, exquisit te facies mea, & de Anna legitur 1. Reg. 1. quod loquebatur in corde suo.*

5 *Secnudò adjungitur vocalis oratio; quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat, secundum illud totum, quod ex Deo habet, idest non solum mente, sed etiam corpore, quod præcipuè competit orationi, secundum quod est satisfactoria. Vnde dicitur Oseæ ultimò. Omnem auferiniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Servire namque debemus delectione qua ipsum diligamus ex tota nostra anima, mente, omnibusque viribus nostris.*

6 *Tertiò adjungitur oratio vocalis ex quadam redundantia ab anima in corpus, & vehementi affectione, secundum illud Psalmi 15. Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea. Et illud 83, Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

7 Ex

Digitized by Google

7 Ex multiplici ergo capite, orationē fas esse fore vocalē, dicimus cū D. Th. ac per consequens gratiarum actionem, quæ una ex partibus orationis est, ut ex ipsemet Angelico Magist. addiscimus ead. 2. 2 q. 83. a. 17. quo de partibus orationis agens, scribit cum Apost. 1. ad Timoth. 2. *Obsecro igitur, primum omniū fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarumq; actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et hic ex his Apostolicis verbis vellem ut molinicę quietis sectatores adverterent, quoq; cum Apostolus ad esse coram Deo, tot actus exquirit virtuosos in homine, quomodo ipsi præcisis omnium virtutum actibus, denudatisque potentiis, imò in nihilum penè redactis, valeant coram Deo immorari, & ita in conspectu illius qui non vult hominum in conspectu ejus vacuum apparere, vacuos virtutum prorsus operibus, quæque ut munera tributanda sunt Altissimo, quiescere?

8 Nos autem prosequentes ad nostrum confirmandum dictum, suademus insuper ipsum cum ipso D. Th. eadem 2. 2. q. 91. a. 1. quo ad probandum, Deum esse ore laudandum adducit in *Psalm.* 61. *Regium Vatem canentem. Labiis exultationis laudabit os meum.* Et hoc tum ratione nostri, ut scilicer nos ipsos provocemus, & excitemus in bonum: tum aliorum ut videlicet alios audientes, ad illud pariter inducamus. Quoniam ut ibi explicat S. D. & probat. *Quod nempe verbis, alia ratione utimur ad Deum, & alia ratione ad hominem. Ad hominem enim utimur verbis, ut conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere, nisi verbis nostris ei exprimamus, & ideo laude oris ad hominem utimur, ut vel ei, vel aliis innotescat, & bonam opinionem de laudato habemus, ut per hoc, & ipsum qui laudatur ad meliora provocemus, & alios, apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reverentiam, & imitationem ipsius inducamus, sed ad Deum verbis utimur, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus, sed ut nos ipsos, & alios audientes ad ejus reverentiam inducamus, & ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipsius, secundum illud Psalmi 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Et in quantum homo per divinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his, quæ sunt contra Deum, secundum illud Isaiæ 48. Laude mea infrenabo te, ne intereas. Prodest etiam laus oris ad hoc, quod aliorum affectus provocetur in Deum, unde dicitur in Psalmo 33. Semper laus ejus in ore meo, & postea subditur. Audiant mansueti, & lætentur, magnificate Dñum mecum.* Non est autē qui ambigat, laudes divinas gratiarū in se involuere actiones, imò, & propter à Deo percepta bona effundi, nec non & per ejus recogitata magnalia,

Digitized by Google

atque mirabilia opera, ut idem S. D. in præcitato subdit in responsione ad primum, ad secundum, & tertium.

9 *Ad primum quidem pro occursu ad illud in contrarium adductum per Eccles.43. Quod Deus major est omni laude, ergo non debetur ei laus, sed aliquid majus laude. Ad primum ergo dicendum,* (inquit S. D.) *Quod de Deo dupliciter possumus loqui. Vno modo, quantum ad ejus essentiam, & sic cum sit incomprehensibilis, & ineffabilis. Major est omni laude. Debetur autem ei secundum hanc comparationem, reverentia, & latriæ honos, unde & in Psalmo 64. Secundum translationem Hieronymi dicitur. Tibi silet laus Deus, quantum ad primum, & Tibi reddetur votum, quantum ad secundum. Alio modo secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur, & secundum hoc debetur laus Deo. Vnde dicitur Isaiæ 63. Misericordiarum Domini recordabor: Laudem Domini annunciabo super omnibus, quæ reddidit mihi Dominus: Et Dionysius dicit 1. cap. de divin. Nomin. Omnem Sanctum Theologorum hymnum, ideſt divinam laudem invenies ad beatos ibearchiæ, ideſt divinitatis processus, manifestativè, & laudativè Dei nominationes dividentem.*

10 *Ad secundum contendens, laudem Dei in corde potius vigere, quam ore, cum Deus mente magis quam ore colatur. Vnde ipsemet Dominus Matthei 5. Contra quosdam inducit illud Isaiæ. populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Ad quod benè occurrit S. D. docendo. Quod laus oris inutilis est laudanti si sit sine laude cordis. Tunc enim loquitur Deo laudem, dum magnalia ejus recogitat cum affectu.* (en gratiarum actio in Dei laude inclusa) *Valet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, & ad provocandum alios ad Dei laudem, ut dictum est.* Ex quo ad tertium dicitur: *Quod Deum non laudamus propter utilitatem suam, sed propter utilitatem nostram.* Quæ utique, & affectum in nobis excitatum defert, & beneficia refert elargita, ut in responsione ad primum cum Isaia 63. relatum est.

11 Cohærenter ad hæc in secundo ejusdem quæstionis resolvit articulo D. Th. assumendos esse cantus in divinis, ut scilicet animi magis ad devotionem provocentur. *Qua ratione Beatus Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi cantus instituit, ut Augustinus refert lib. 9. Confess.* Et utitur D. T. pro argumento, sed contra ad oppositas in contrarium objectiones articuli. In quo *Respondet dicendum, quod sicut dictum est. Laus vocalis ad hoc necessaria est, ut affectus hominis provocentur in Deum, & ideo quæcumque ad hoc utilia esse possunt in divinas laudes congruenter assumuntur. Manifestum est autem, quod secundum diversas Melodias sonorum; animi hominum diversimodè disponuntur, ut patet per Phylosophum in 8. Politicorum, & per Boetium in Prologo Musica: & ideo salubriter fuit institutum, ut in divinis laudibus cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. Vnde Augustinus dicit in 10. confessionum. Ad-*

ducor,

Digitized by Google

ducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Et de seipso dicit in 9. Confess. Flevi in hymnis, & canticis tuis suavi sonantis Ecclesiæ tuæ, vocibus commotus acriter.

12 Quod si dicas id est à fidelibus assumendum in Ecclesia Dei, quod pertinet ad cultum divinum: sed ad cultum divinum pertinet id quod spirituale est, non autem corporale, cum in illo sit genere, non autem isto, ergo non debemus in divinis laudibus cantibus corporalibus uti; sed solum spiritualibus. Ad hoc argumentum quod est primum in ordine. *Respondet D. Th. dicendum esse, quod cantica spiritualia possunt dici non solum ea quæ interius canuntur spiritu, sed etiam ea quæ exterius ore cantantur, in quantum per hujusmodi cantica spiritualis devotio provocatur.*

13 Quod item sentire se annuit D. Ambrosius, insuperq; fideles ad pacem, mutuamq; dilectionem, & honestatē exhortans, *in Hexameron lib. 3. de die tertio sic fatur. Omnes se invicem diligant, omnes se invicem foveant, & quasi unum corpus diversa se membra sustentent: quos non mortiferi cantus, & acromata scenicorum, quæ mentem emolliant ad amores: sed concentus Ecclesiæ, & consona circa Dei laudes populi vox, & pia vota delectent.*

14 Hæc autem quæ militant contra quoq; Molinos asserta num. 27. & 30. Similibusq; adducta sup. c. 22., arguunt itid. pro gratiarum actionibus agendis corde non solū, sed adhuc ore: Cum enim canimus laudādo Deum, pro ejus ineffabili, & immēsa bonitatis magnitudine hoc agimus, vel pro gratiis, donisque ab eo perceptis ut à summo omnium provisore, Principeq; benefactore, irradiante ut sol infinitæ amplitudinis, sive mare magnū de quo ut inundante, bona sine ullo delectu super homines, vel discrimine profluunt. Estq; ut constat ex prędictis provocativū opus ipsū canticorum laudantium, & impulsivum ad cor erga Deum inflammandum, devotumque præbendum. Ex quo perinde ad ardentius stimulamur orandum, maximèque per orationem Dominicam, qua Deum obsecramus, ut suorum bonorum quibus semper, & ad semper indigemus, alimenta porrigat, panemque det ut noster Pater familias quotidianum.

15 Admodum ergo ut absonum auditu est, quod in his homo clauso oris ostio tacere debeat, cum prorsus contra sit rationem, omnisque devotionis, & orationis universam pietatem, quæ in orando cor altum exigit, atque in Deum erectum, ac insuper ad illud vividius excitandum, linguam ipsam admovere corpoream, verba formando vocalia, nec non in armonicos adhuc explicare concentus. *Unde Maccab. 1. dicitur. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipsi.* Quod est solemniter, & festive, cum interna cordis lætitia festum agere, & cum exter-

Digitized by Google

na oris, & linguæ in hymnis, & canticis. Et ipsa Beata Virgo Maria ut cœli cum devotionis exemplar, ac divna orationis magistra, auditis laudibus quas ei tribuit Elisabeth. Benedicta tu, &c. In vocibus prorupit directo corde, oreque ad cœlum magnificantibus Deum, atque laudantibus pro beneficiis sibi, totique mundo collatis. Actus equidem digni tam præcelsæ heroidis, quæ utpotè cunctis, & heroicè exornatæ virtutibus, illam ex consequenti gratitudinis exercere debebat.

16 De cujus virtutis gradibus agens *Angelicus Doctor 22. q. 107. a. 2. in corp. inquit. Quod in virtute gratitudinis. Primum est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundum est quod laudet, & gratias agat: Tertium est quod retribuat pro loco, & tempore secundum suam facultatem.* Quam autem excellenter Beatissima Virgo præfatos gradus ascendens, & corde, & ore perfecerit, nostris haud egit amplificis verbis. Sat sit in eis ipsam idæasse fidelibus, quo viscerum sensu teneantur Dei recolere beneficia, ipsum perpetuo laudare, eique gratias agere, ac pro viribus opportunitate data retribuere: At quia nequeunt unum pro mille, cum Regio Vate clamet unusquisque. *Quid retribuam Domino pro omnibus retribuit mihi?* Ex quo ingratitudinis patefit infanda vitii deformitas, quæ ut opposita, & è regione gratitudini posita magis apparet, D. Th. in præcitato ostendit inquiens. *Quod primus gradus ingratitudinis est, ut homo beneficium non retribuat: secundus est ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse: Tertium, & gravissimum est, quod non recognoscat sivè per oblivionem, sivè quocumque alio modo.*

17 Quam turpiter in hoc peccent qui tacentes exquirunt homines ad profitenda Dei beneficia gratias ei agendo, valeat id quod de tali crimine censet Angelicus Doct. asseverans, illud esse gravissimum. Quod fortè ut monstruosius indixisset, si ad suas perveniisset aures assertum, homines virtutes gratitudinis, aut aliarum actus agentes, obicem ferre Deo, ut operetur in eis, imò in eorumdem ad ipsum dicatione, impotentes effici ad ipsam recitandam orationem Dominicam. Tinniunt aures in his obtundentibus auditis absurdis: quod inquam ad tam miserandum inducatur homo, ac deplorabile signum, ut penè jam damnatus pœnis gehennalibus inferni, auxiliis ipsis congruis, & sufficientibus orbus, impotens ultimò fiat ad orandum, & à Deo cujus ope perpetuò vivimus, movemur, & sumus, gratias minimè valeat efflagitare, neque de perceptis aptus ad agendas. Valde namque Deus ipse delectatur cum ad cœlorum instar corda nostra, oraque laudantia, ejus gloriam, gratiasque denarrant, gratiasque deinde maximas agentia, ut ad plus ultra merita excrescendo, ad ulteriora percipienda dona digni efficiamur, ac magis incendamur erga ipsum amore. *Quod benè ille in Gerasenorum regione sanatus à dæmonibus designat,* (ut adnotat D. Gregorius Pontifex lib. 16. moralium in Job. c. 13.) *qui vult abire cum Jesu, sed ei à Magistro salutis di-*

Digitized by Google

dicitur: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus. Amanti enim adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur.

18 O quam scitè D. Augustinus divina memorans à se percepta munera, summè succensus amore Deum laudat, ipsique gratias agit, atque ad hæc eadem pietatis opera, cunctos exhortando fideles, *super illud Psalmi, Repleatur os meum laude*, sic Deum alloquitur tamquam amicum, ipsum in utraque recolendo fortuna. *Laudare te Deus meus debeo, tàm in prosperis, quia consolasti me, quàm in adversis, quia castigasti: Anteqnam essem, quia me fecisti, cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia indulsisti: cum in adversis essem, quia adjuvisti: cum perseverassem, quia coronasti. In omnibus igitur debemus gratias agere, & in prosperis, & in adversis, similes Phylomenæ, quę noctu, diuque indefesse cantare solet. Et ita Apostolus 1. ad Thessal. 5. semper inquit gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Quod utique nè dum mente, & intrinsecus per hominem interiorem, sed etiam ore, sine extrinsecus per hominem agendum est exteriorem. *Quia sicut dicit Chrysostomus super Mattheum homilia 23. Optima beneficiorum custos est ipsa memoria eorumdem, & perpetua confessio gratiarum.* Confessio autem non solum cordis videtur sonare verbum, verum etiam oris, sic enim magis ad gratias excitatur homo devotè agendas, magisque ad ulterius à Deo ampliora dona percipiendum se dignum facit, atque disponit.

19 Taciturnitas autem ad illa memoranda, vel recognoscenda incidit in illud Psalmi; *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea.* Quoniam ingratus, & taciturnus senescit in malis, & animæ soliditatem tacendo computrescere facit, quæ aliunde in gratiis Deo agendis continuè virescere debet, & repubescere. Quapropter Isaiæ 62 commonemur. *Qui reminiscimini Deum nè taceatis, & nedetis silentium ei:* Quo verò pacto debeatur ipsi silentium jam supra num. 9 perpensum est cum D Th. divoque Hieronymo. At alio versum, officiosam ambit ipse de suis vicissitudinem bonis elargitis, quod est memores nos esse illorum, ac pro illis maximè obstrictos, gratias in perpetuum agere. Vnde ipsemet volens ut liberatio filiorum Israel de Ægypto numquam excideret ab eorum memoria, ac pro tanto eis acto beneficio, gratias omni tempore agerent, ait *Exodi 13. Erit signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, ut lex Domini semper sit in ore tuo.* Quam Dei paternam, piamque mentem exequens, eique benè obsequens sapientissimus Moyses cecinit cum populo, mirabiliter mari rubro transacto. *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est, &c.* De quo tam Altissimo debito recolendi opere, centies in sacris litteris insculpta describuntur exempla. Idemque Deus cum in terris postmodum inter homines homo factus visus est, & cum hominibus conversatus, sicut docuit, pluries egit, ut in pa-

Digitized by Google

panum patuit multiplicatione, in Lazari reſuſcitatione, & in Eucariſtiæ inſtitutione. Sed inſuper qui Surdos fecit audire, & mutos loqui, ut cæteri ad ſui ſimilitudinem agerent, & præſertim ejus primarii Commilitones Apoſtolici Heroes, tamquam cœlicæ flammæ excurrerent inter homines, orbemque ignito ſuccenderent Evangelico verbo, ſub ſpecie flammantium linguarum miſit ſuper eos Spiritum Sanctum.

20 Et hinc ut manifeſtum infertur, nullum animam impedimentum Deo apponere, cum lingua, verbiſque vocalibus in Dei gratiarum actionibus immoratur, ſeque ſic orando excitat cum opus fuerit ad bonum: imo hoc ſe pacto exercens, promptior efficitur ad divinum obſequendum impulſum, nec non ardentius in Dei amore ſuccendi, ac ejus expeditius obtemperare mandatis. Ad quid enim linguas infantium fecit ille diſertas? Ad quid os mutorum aperuit? Ad quidue totum ferè vocem voluit Angelum præcurſorem Joannem Baptiſtam? Vnde ſeipſum iſte vocem ſe appellari clamando aſſerebat. Ego vox clamantis. Cooperatur ergo Dei gratiæ, non autem illam impedit homo, vocem ad illius laudem, gratiarumque actionem emittens. Quocirca Regius Pſalthes. *Ad ipſum ore meo clamavi, & exultavi ſub lingua mea.* Et alibi. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Et rurſus. *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.* Et tandem pro utraque loquela cordis, & oris. *Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Qua ratione Apoſtolus ad Romanos 10. pro fidelibus inculcanda coſtantia in fidei ſaluberrima confeſſione ait. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

21 Dei donum eſt ergo voce, oreque ejus gratias ſic fateri, & agnoſcere, ejuſque lumen efferre veritatis, bonitatiſque pietatem. Pro cujus divini Spiritus, ſeu Altiſſimi doni perceptione, praxim in ſe teſtatur divinus canendo Vates cum inquit. *Os meum aperui, & affraxi Spiritum.* Percipitur autem Spiritus Sancti donum, Cordibuſque diffunditur ejus charitas, non ſolum cordis os aperiendo, verum etiam corporis, utroque concentum ceù facere in Dei laudibus enunciandis, eique gratiis agendis, atq; immenſæ bonitatis reſonanda magnificentia. Stultum igitur, ac prorſus inſulſum eſt dicere, impedimenta prædicta fore tam ſancta, & pia fideliū opera operationi qua Deus agit in animam noſtrā, eique, (quod informius dictu eſt) quo magis illa ſe dicat eo amplius impotentem fieri probatur ad ipſam recitandam orationem Dominicam.

22 At hos qui ore, voceque ad orandum, gratiaſque Deo agendum orbos eſſe oportere contendunt, ſimiles dicamus quibuſdam Æthiopiæ monſtris quæ ore carere dicuntur, & ſolo victitari odore, quæve quamvis formam habeant humanam, vocem tamen ullamenus habere noſcuntur. Ita ad rem de ore, voceque carentibus quoad uſum de-

Digitized by Google

debitę loquutionis, qui in hoc deficientes, ac vanitatis tantùm odore, hujsque mundi figmentis miseri viventes, nequeunt eloqui; verè illis addictis Idolis, quæ os habent, & non loquuntur. Facti planè abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, ut de illis prophetica vox Oseæ in 10. loquitur. Non advertentes, quod si benè cessit Isaiæ Prophetæ ex eo quod silvit, & clamavit inquiens, væ mihi quia tacui, purgata fortiri labia per Seraphicum calculum: minimè sic pertinacibus evenire pro certò habeant, ipsis; quoniam gehennali quinimò calculo exusti, væ nobis quia intempestivè tacendo, peccavimus, ad clamores damnati exclamabunt perditionis æternæ. Et ibi experimento, sub impotentia etiam auxilii sufficientis denegati, probabunt, quam futile fuerit sic hominem opinari, impotentem ad orationem ipsam proferre Dominicam; Ac item per non posse tale chimericum; sed asseveratum ab ipsis, quam indignos se præstiterint inter Dei filios enumerari, eumque ut Patrem habere, ac per consequens ad ejus ascribi gloriæ hæreditatem. Non enim fas est participem fieri, Regni illius Dei qui æternaliter, & per essentiam verbum ipsum est, ipsumque intelligere, Arpocratis efficti Numinis Sitentii adoratorem, digitumque ori suo intempestivè, & inepte ponentem.

23 Hinc Philo Græcus Carpathius Episcopus in Commentario super Canticum, ingentem Dei exponens amorem, sponsam alloquens ingratos arguens à nomine sumpto exordio, Jesu, ita ceù divino afflatus Spiritu fatur. *Dum divina Scriptura unguentum effusum vocat nomen Jesu Christi, immensam ipsius misericordiam, atque pietatem erga nos ostendit. Tunc enim verè fuit effusum cum ipse se se nostra mortalitate contexit, ut nos sua immortalitate donaret: tunc se se totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, cum pro nobis mori, vel crudelissimè non recusavit. Hoc est nomen illud effusum, hic summa charitas, hic ardentissimus amor Creatoris ad Creaturam. Quale fuit quæso, & quantum est hoc nomen suavissimum, mellifluum; planèque cœleste, ac salutare? Lætare Mater Ecclesia, tanti nominis, tamque salutaris suavitate referta. Exulta Sponsa divinissimo hoc unguento perfusa. Erumpe in gratiarum actiones: age jam dives, & clama. Unguentum effusum nomen tuum, dilecte mi, unguentum effusum nomen tuum clementissime mi, quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

24 Et infra post multa de amore, pietateque divina, subdit. *Parum profuerat benignissimè creasse, nisi nos clementissimè redemisset Deus, quam nobilis facta est Creatura rationalis, postquam summum Deum auctorem omnium suę mortalitatis meruit habere participem? ut jure dicere jam possit: Deus homo, & homo Deus, quis audiens non totus inflammetur? quis intelligens non inardescat in illum redamandum, colendumque Sanctissimè? Ingratissimus ille prorsus, planèque lapideus, & omnis humanitatis expers, qui talem, ac tantum Creatorem, & Redemptorem sunm non studiosissimè veneratur, & colit.* Idem immediate.

25 Rex

25 *Rex cœlestis immensæ charitatis ardore victus, & ineffabili magnitudine suæ bonitatis, ad mortalia, & dolorifica voluntariè accessit: utque nos sua immortalitate dotaret, nostra est mortalitate vestitus, nusquam nos deferens, nullibi destituens, sed ubique fovens, ac tuens: ait enim; Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Seculi. O' incomparabilem vim amoris, ô summam bonitatem, ô infinitam sapientiam. Quid te Domine movit ad hominem creandum? quod rursus ad eumdem redimendum? Solus amor. Hæc quæso parumper animadvertite ingrati, hæc cogitate superbi, hæc meditamini avari. Videte Carnales, an major vis amoris esse possit, quam Domini nostri Jesu Christi erga nos fuit, extatque quotidiè, & durat æterna. Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens, Creator omnium, ac rector, summa Sapientia, cui cœlum sedes, & terra scabellum pedum ejus, qui cuncta pugillo virtutis suæ continet, nullius egens, amore victus hominis è cœlo descendit, uterum Virginis ingressus, humanitatem nostram assumpsit, factus perfectus homo, idemque mortalis, qui semper increatus est, & immortalis factus passibilis, qui semper est immutabilis, ut nos à sempiterna morte redimeret. Nos tamen immemores, nos ingrati, atque superbi, tot, ac tanta, tamque immensa summi Dei beneficia, & sempiterna, facile obliviscimur, atque negligimus? O' miseri, planèque calamitosi quicumque Christianorum non hæc assiduè recordantur, eorumque auctorem Deum ipsum, non sanctissimè colunt, ac prædicant.* Idemque subsequens.

26 *Christus* Jesus *universam suam pro amore nostri despexit dignitatem, æternum illud imperium, (ut ita loquamur) exutus, & potestatem, egentissimus rerum humanarum pro nobis factus, formam servi accipiens, à Scribis, & Pharisæis, Herodeque contemptus, atque despectus, illusus, & consputus, flagellis tortus, & inter peccatores tandem crudelissimè occisus, eorumque simillimus falsissimè judicatus. O' immensam immortalis Regis, & conditoris omnium erga mortalem servum charitatem. O' ingratissimum genus humanum, quod talem, ac tantùm Redemptorem tuum non ardentissimè redamas, & colis, pro eoque non unam mortem, sed mille libentissimè non desideras: quandoquidem hi felicissimè semper obeunt, qui pro Deo voluntariè pati non detrectant, &c.* Quid plura pro ad beneficia divina gratiis agendis? quid pro ingratitudinis ad illa crimine detestando?

27 Quod autem non solum mentis ore interno teneatur homo ad gratitudinis actus erga divinã munificentiam, ejusque oppositum objurgandum ingratitudinis vitium, sed ulterius externo sæpe numero profitendam, ex eodem audio præcitato Philone post multa ibidem ita dicente: *Sancta quæque anima indissolubili Sanctitatis vinculo, sponso Christo* Jesu *copulata permanere studet, illique soli semper adhærere deprecatur, & supplicat: nec ullo temporis puncto de eo sanctè loqui, cogitari prudenter, meditariq; desistit.* En oris, & cordis condecens animæ sanctæ assidua confessio, ac erga divinum benefactorem opportuna gratiarum actio, perceptorumque

Digitized by Google

rumque, ab ipso bonorum grata reminiscentia, necnon devota cordis, & firma meditatio.

28 Hos verò insupet actus, ullius impedimenti fore, aut aliquam facere obsistentiam divinæ operationi, ex ipsomet confirmatur prælato Doctore ibidem, ubi de apertione nostri pectoris per manus amoris acta, pro ingressu Sponsi cęlestis, sic inquit. *Pessulum ostii cęlesti Sponso reseramus: cum depulsis illecebris vitiorum, atque luxuriæ, in amorem Jesu Christi nos totos expandimus: nihil Sponso venienti obsistimus* (nota) *sed illi soli aperimus, ipsumque nobiscum perpetuò inhabitare rogamus clamantes: Mane nobiscum Domine quoniam advesperascit.*

29 Et hinc falsitas item Molinicæ positionis ex dictis ejusdem supra relati Doctoris pro nobis apparet. Nimirum, quod quo magis Deo ipsi accedimus, ita quod ei prorsus innixi, nostrum esse, seù velle dicemus, eo magis, haud quaquam impotentes, quinimo potentes, & validiores efficimur ad orandum, Deumque implorandum, sic ergo de mansione Dei nobiscum depræcata, subsequens ait ipse Doctor. *Et quoniam dum in hac mortali carne sumus, non id perfectè statim facere possumus* (*nemo enim, ut dicitur, repentè fit summus*) *adnitendum est in dies, ut hoc quam maximè consequamur: nullique alii quam Deo nostro placere studeamus, & quamquam interdum dum magis ac magis Sponso ipsi appropinquare contendimus,* (en accessus ad Deum, eique nostri esse magis, magisq; interna dicatio) *is longius abire nobis videatur, haud tamen omittendum est unquam, quin illum ipsum studiosissimè perquiramus, inclamemus, deprecemur.* (ecce manifesta vis, & intensior ad orandum) *Tunc enim maximè nobis præstò aderit, cum longissimè abscessisse timebitur: fingit enim se longius ire, ut rogetur intensius, studiosius inquiratur, diligentius conservetur.* Quid luculentius pro denegando Dei in nobis operibus impedimento, imò & pro ipsius ut potius operemur, & exoremus confirmando concursu? Non ergo ut somniat Molinos impotentes ad orādum efficimur, dum Deo magis unimur, eique nostrum velle remittimus; cum ex hoc quin potius fortiores agnoscamur ad tàm pium opus, & ad ipsum Deum ut verè filii Patrem nostrum invocandum digniores.

30 Horum verò cordis, orisque operum, ò quam præcelsus Magister extitit Seraphicus Heros ille Patriarcha Franciscus, qui Christi Domini Crucifixi, alter ego, divinique amoris cęlica flamma, quoties in vocibus erumpens excruciati amantis, cor ejus verba eructabat, ad satis effringenda tametsi corda lapidea, per fortitudinē illius ignis qui ut fluvius igneus egredi videbatur de ore ejus. Experimento hoc præcipuè probavit inter innumeros, quidam nobilis, & prædives Civitatis Assisij nomine Bernardus, qui, ut ex actibus traditur ipsius Beatissimi Patriarchæ, experiri volens prædicti sanctitatem Sancti, (& hoc ab initio institutionis sui ordinis) Invitavit eum ut illa nocte in domo sua quiesceret,

Digitized by Google

& Sancto Franciſco humiliter annuente, fecit ille parari lectum in ſua propria camera in qua jugiter de nocte lampas ardebat. Sanctus autem Franciſcus ut intravit in cameram, ad occultum ſervandum donum, quod in ſe habebat Sanctitatis, & gratiæ, ſtatim ſe in lectum projecit oſtendens ſe velle dormire. At præfatus Eques qui eum invitavit, poſuit in corde ſuo, latenter illum obſervare de nocte, & quid fortè ageret. Unde uſus eſt tali cautela, quod cum aliquantulum in ſuo lecto quieviſſet, finxit ſe altè dormire, & profundiſſimè ſtertere. Sanctus ergo Franciſcus cum putaret illum profundè dormire, media nocte ſurgit de lecto, & elevata facie in cælum, nec non & oculis, manibuſque ad Deum, totus intentus, & ferventer ignitus, devotiſſimè orans dicebat: Deus meus, & omnia, Deus meus, & omnia. Et hæc verba cum tantis ingeminabat lachrimis, quod uſque ad Matutinum aliud non proferebat, quam Deus meus, & omnia. Eques autem lampade ibi lucente cuncta videns, & prædicta verba diligenter, ac Sancti devotionem vigili obſervatione perpendens, à Spiritu Sancto accenſus, & fortè miniſterialiter ab igne qui propinquus illi aderat Seraphici hoſpitis, ſtatim manefacto advocat Sanctum Franciſcum, & ait: Frater Franciſce ego penitus propoſui relinquere mundum, & ſequi te ad quæcumque manda veris. Quod illicò cum ingenti ipſius Sancti gaudio egit, abrenuncians mundo, & omnibus pompis ejus, venditis omnibus quæ habebat, datiſque pauperibus; quæ mutatio dexteræ excelſi in tanto viro, miniſterio effecta fuit flammantium Divi Franciſci vocum, cujus ignitum orationis eloquium, & corde reſonans intus, & extra per vocem, incendere valuit animum hominis, qui demerſus opibus, pompis, illecebriſq; mundi ceu laqueis inſolubilibus devinctus, illique implexus, perarduum videbatur ab eo poſſe disjungi. In quo præclaro facinore ipſe primitus Sanctus Pater extitit Magiſter, & id temporis cum Pater ipſius moleſtè ferens ejus, in pauperes profuſam charitatem, illum ad Aſſiſinatem Epiſcopum duxit: ut coram ipſo hæreditatis jure cederet: qui relictis item veſtibus, patri conceſſit omnia, ſubjungens ſe deinceps poſſe poriori titulo dicturum: Pater noſter qui es in cælis.

31 In hujus ergo Heroici viri factis egregiis, ſicut & æquè Sanctorum omnium affinibus, velut in ſpeculis ad imitandum expoſitis, vellem ſe conſpiceret quieriſta Molinicus, quoniam ex veritatis aſpectu præſtitæ experrectus, affixo in ipſam oculo mentis, averſoque à ſuis indè effictis idolis, abjectis erroribus, non amplius mutus in Deo gratiis pro bonis ab eo perceptis agendis, quinimo mutatus in virum alterum, ut tuba reſonans vocem extolleret in reddendis, & in orando clamaret: nec non quo Deo conjunctior, magiſque dicatus, eo ardentior, & fortior ad Dominicam orationem habendam, aut enunciandum Pater noſter. Pro qua majori converſione ad Deum in profitendis ejus laudibus orando, gra-

Digitized by Google

gratia ſque agendo, ut ex intimiori ad ipſum exorta unione, ſivè omnimoda ſuimet ipſi traditione, ſicut appoſita, ita & venuſta eſt Angelici Magiſtri doctrina quam tradit 1.p. q.108.a.6. ubi de gradibus ordinum agens Angelorum, primum ordinem dicit eſſe Primatum, uti ſunt Seraphim, Cherubim, & Throni, & in hoc ordine ſupereminentes eſſe Seraphim, qui, (ut S.D.ait) *excelluut in hoc quod eſt omnium ſupremum, ſcilicet Deo ipſi uniri.* De his autem ardentioribus, ſupremiſque cęli ſpiritibus, intenſius Deo unitis, voces concinentes audivit Iſaias Propheta cap.6. atque clamantes alter ad alterum, & dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Quo excelſo myſterio non incongruè datur intelligi, quod quo major eſt cum Deo affinitas, eique dicatio animæ, eo amplius ad eructandum intenditur iſta ad illum laudibus efferendum, ac perinde ejus Sanctiratem, gloriamque corde, oreque enarrandam, eique gratias ſummè agendas.

32 Ad quas denique, præceſque fundendas exhortans D. Auguſtinus Serm.3. de verbis Apoſtoli tom.10. inquit. *Converſi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei quantum poteſt parvitas noſtra, maximas, atque uberes gratias agamus, precantes toto animo ſingularem manſuetudinem ejus, ut preces noſtras in beneplacito ſuo exaudire dignetur, inimicum quoque à noſtris actibus, & cogitationibus ſua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, ſpirituales cogitationes concedat, & ad beatitudinem ſuam perducat.*

33 Nec putandum quod D. Auguſtinus, non intendat prædictas præces oretenus fieri, ita quod obmutescens anima ſiſtere dicatur coram Deo, ſileatque in ei gratiis agendis. Quoniam ut aperte ab ipſius met Doctoris verbis habetur, ore quoque fundendæ ſunt, vocibuſque exprimendæ. Sic enim ait pauliſper ante de victoria loquendo ſupra carnem obtenta per Jeſum Chriſtum ab anima. *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Ergo cum Cæperis laborare pugnans contra concupiſcentias carnis, ſpiritu ambula, ſpiritu invoca, donum Dei quære, & ſi lex in membris repugnat legi mentis tuæ ex parte inferiori, ideſt à carne captivum te tenet ſub lege peccati, & hoc emendabitur, & hoc tranſiet in jura victoriæ. Tu tantum clama,* (nota) *Tu tantum invoca oportet ſemper orare, & non deficere, invoca omnino, invoca adjutorium. Adhuc te loquente dicit: ecce adſum. Intellige, & audi dicentem animæ tuæ. Salus tua ego ſum. Cum ergo lex carnis repugnare cæperit legi mentis, & captivum te ducere in lege peccati, quæ eſt in membris tuis, orando dic, confitendo dic. Miſer ego homo. Quid eſt enim aliud homo? quid eſt homo, niſi quod memor ejus? dic, miſer ego homo, quia niſi veniſſet filius hominis, periiſſet homo. Exclama in anguſtiis, quis me liberabit de corpore mortis hujus, &c. Unde maximas agamus gratias, &c.*

Digitized by Google

Quæ Sancti Doctoris verba manifeſtam eſprimere oris etiam loquutionem, nè dum cordis; ſeù Spiritus, luce clarius extat.

34 Eodem denique ſenſu loquitur in quampluribus alibi locis, cum de oratione agit, gratiiſque Deo agendis, præſertim autem Feria 5. poſt 2. Dominicam in quadrageſima, de Scala Jacob. Serm. 1. to. 10. quo in fine ſic alloquitur. *Nos verò Fratres, qui omnia quæ in veteri teſtamento figurata ſunt, in novo teſtamento videmus eſſe completa, quantas poſſumus, Deo gratias referamus, qui nobis nullis præcedentibus meritis tanta præſtare dignatus eſt, toties viribus cum ipſius adjutorio laborantes, ut hæc tanta, & tanta beneficia non nobis judicium pariant, ſed profectum. Quinimò ita ſpiritaliter ſtudeamus vivere, & bonis operibus ſemper inſiſtere, ut cum ad nos caſtos, ſobrios, miſericordes, & pios, judicii dies advenerit, non cum impiis, & peccatoribus puniamur, ſed cum juſtis, & Deum timentibus pervenire, ad æternam beatitudinem mereamur præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto.*

Et hinc ut fragilis, & frivola everſa remanet Trigeſima quarta propoſitio Molinos, videlicet ut ſupra, &c.



CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

Trigesimaquinta propositio Molinos. *Le Anime di questa via interna non conviene, che faccino operationi anche virtuose di propria elezzione, & attività, altrimente non sarebbero morte: nè devono fare atti d'amore verso la Madonna, li Santi, l'Umanità di Christo, perche essendo questi oggetti sensibili, tal'è l'amore verso di loro.*

Oppositum è contra dictum.

Condecens est homini liberum virtuosis actibus exercere arbitrium; Itemque erga Deiparam Virginem, nec non cæteros Sanctos, Christique Domini humanitatem, actus elicere tenetur sancti amoris.

1 ET tu cum Minerva forti manum move, perantiquum extat adagium, & ipsum ad excitandos bellatores omnes ad strenuè pugnandum, nec non suam pro victoria captanda exercere dexteritatem. Imò & ad homines universos vox oraculi clamat, cum unicuique pro sui consequutione finis, manum admovere sit opus, viribusque totis sui posse adniti. Quo circa simul una objurgare videtur inertes, clamor ipse Apollinis, qui otio, desidiaque languescentes, manum adhuc extendere tædet eos ad bona sibi quærenda, expectantes veluti Pulli Corvorum cum pennis recenter nati albescunt, aperto ad cœlum ore ab illo escam ut vivant, hos inspiciens irridendo sapientia divina, loquitur in Proverbiis cap. 19. sub figura torpentis hominis dicens: *Abscondit piger manum suam sub ascella nec ad os suum applicat eam.* Et infra c. 22. ostendens ipsum præ ignavia ridicule trepidantem, ita loquentem indicat. *Dicit piger Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Et c. 26. eumdem quoque abjectè trementem. *Dicit piger, Leo est in via, & leæna in itineribus, sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Quapropter objurgans ad illum excitandum subdit idem de cœlo Sapiens cap. 6. *Usquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.* Ita de ignavis, & inertibus, eisque inclamans divinum inquit Oraculum, cujus æternæ salutis vocibus, salubria nobis dantur admonita, quam exosus sit apud Deum,

Digitized by Google

Deum, inoperoſus, & piger; quique tedio lapſus marceſcere facultatem activitatis propriæ facit ſuper otii ſtratum: quamque è contra perinde dilectus, omnique coram illo gratia prædulcis, pervigil, ac operoſus, quique minimè ſua neglecta virtute, operariam eam efficit, omnique inertia remotam. Quod præſertim in virtutibus dicendum eſt, exercendis, alias vitioſum imò foret tale munus agendi, ac per conſequens ipſa quiete deterius. Præcipuè autem in virtutum, donorumque Principe virtute, ut eſt ipſa charitas, exercita ſervanda eſt facultas hominis, & activitas, quod eſt ipſum Deum ut objectum Princeps amare; deinde ut ſecunda in ordine, Chriſtum Dominum ut hominem, Sanctiſſimam ejus Virginem Matrem; demumque cæteros omnes Sanctos; hoc enim pacto charitatis amor expoſcit, ſic ordo ejuſdem.

2 Ad confirmandum autem primum noſtri puntum aſſerti, firmiter dicendum eſt, quod homo, cujus ſumma rerum eſt virtuosè vivere, ne iners aſpiciatur à Deo, ac in foro quem hujus orbis inhabitat otioſus inveniatur ab illo, operari virtute fultus excogitet, atque nitatur; ſic enim ut homo vivere comprobatur, nec non ut ſimilis in dono intelligentiæ ſuo conditori, ſimplicitateſque ſubſtantiis, actuoſus exiſtit. Quod & maximè pro ſibi meritis opportunis ad captandam gloriæ coronam, opus eſt illi, cum minimè coronari ſe reputet illa, niſi, legitimè operando certaverit, quod eſt virtutibus inſtrui, ac illas ceu arma tractando, ſtricto enſe, adverſus inferum hoſtem Cerberum, mundum inquam, carnem, atque diabolum, vitia cuncta excitantes, ſtrenuè pugnare. Et hoc nonniſi per ſuum liberum fieri valet arbitrium, cum ita de ratione ſit meriti, quod tale neutiquam erit, quam cum liberum erit, ac voluntarium, divino tamen Dei auxilio fretum, quo ipſum à Deo liberum, movetur arbitrium ad agendum.

3 Quod ex D. Th. confirmatum extat 1.2.quæſt.114.a.4. quo principium operandi proximum indicat, hominiſque ſub illo voluntarium, actum, quem per idem principium, quod eſt charitas, virtuosè agit, meritumque lucratur, quod præciſo dicto principio, nullatenus eſt ab ipſo obtinendum, quantumlibet in bonis ſe exerceat operibus, tranſeatque perignem ipſum, & aquam, omneque quod poſſidet elargiatur pauperibus, ut Apoſtolus ad Cor. ait. Ut ergo docet D. Th. in præcitato. *Ex duobus humanus actus rationem merendi ſortitur. Primò quidem, & principaliter ex divina ordinatione, ſecundum quod actus dicitur eſſe meritorius illius boni ad quod homo divinitus ordinatur. Secundò verò ex parte liberi arbitrii, in quantum ſcilicet homo habet præ cæteris Creaturis, ut per ſe agat voluntariè agens. Et quantum ad utrumque principalitas meriti penès charitatem conſiſtit. Primò enim conſiderandum eſt, quod vita æterna in Dei fruitione conſiſtit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni, eſt proprius actus charitatis per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur*

Digitized by Google

tur ad hunc finem, secundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate, & ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur. Similiter etiam manifestum est, quod id quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus. Unde etiam secundum quod ad orationem meriti requiritur quod sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur.

4 Cum igitur homo utpotè creatura intellectiva ad beatitudinem veram, seù Dei fruitionem in seipso ordinetur, sicut, & Angelus, cum quo in hoc maximè convenit, opus est ut actus virtuosos eliciat, hosque ex vi sui liberi arbitrii, cum ita de ratione sit meriti. quod ipsi ut merenti attribuitur homini, divini auxilii præsuppositio adjuvamine; quod tantum abest tollere libertatem, quin potius tribuere ipsam, eique fovere noscatur, utpotè à prima libertatis causa ortum habentem, quæ sicut ad omne se extendit ens ut universalissima causa, ita & ad modos ejus, liberum puta sive contingentem, & necessarium, ut authumat in Theologicis Schola Thomistica, divina perscrutans auxilia, Deique ad nostros actus concursus. Necessum est igitur homini virtuosè agere, & in hoc suam impendere liberam facultatem arbitrii, quod à Deo benè fovetur cum ei suum præstat auxilium, ordinatos enim nos ipse statuit tamquam nostrum ultimum finem ad vitam æternam: sicut item præter hanc ad suum præcipuum, ac proprium quamcumque creaturam, quæ vitæ non est capax æternæ. Cumque ad vitam æternam passibus percurramus cordis, non autem corporis, virtutum ergo fulcimento opus est præmuniri pro ejus consequutione, ac perinde ad ejus mediis actibus adeptione, hisque per consequens ex intimis nostræ liberæ facultatis, seù activitatis exortis, divino semper suffragante quo elevantur auxilio, ut dictum est.

5 Quod amplius ex hominis activitate, seù activa potentia suadetur, inspecta tamen ista ut exigente pro sui ultimo complemento, vel actu perfici virtutibus, de quarum ratione est, habitus esse operativos: ut ostendit D.Th. 1.2.qu.55.a.2. ex illo Phylosophi in 2.Ethic. *Quod virtus uniuscujusque rei est, quæ opus ejus bonum reddit. Et ratione qua virtus importat quandam perfectionem potentiæ. Unde cum dupliciter sit potentia, scilicet potentia ad esse, & potentia ad agere. Utriusque potentiæ perfectio, virtus vocatur: sed potentia ad esse se tenet ex parte materiæ, quæ est ejus potentia: potentia autem ad agere se tenet ex parte formæ, quæ est principium agendi, eo quod unumquodque agit in quantum est actu; In constitutionem autem hominis, corpus se tenet sicut materia, anima verò sicut forma. Et quantum quidem ad corpus homo communicat cum aliis animalibus, & similiter quantum ad vires, quæ sunt animæ, & corpori communes: Solæ autem illæ vires, quæ sunt propriæ animæ, scilicet rationales, sunt hominis tantùm: & ideo virtus humana de qua loquimur, non potest pertinere ad*

cor-

Digitized by Google

corpus, sed tantùm ad id quod est proprium animæ: Unde virtus humanæ non importat ordinem ad esse, sed tantùm ad agere, & ideo de ratione virtutis humanæ est, quod sit habitus operativus. Et in responsione ad secundum dicendum, quod virtus quæ est ad esse, non est propria hominis, sed solum virtus, quæ est ad opera rationis, quæ sunt propria hominis. Et in responsione ad tertium dicendum, quod cum Dei substantia sit ejus actio, summa assimilatio hominis ad Deùm, est secundum aliquam operationem. Unde felicitas, sive beatitudo per quam homo Deo maximè conformatur, quæ est finis humanæ vitæ, in operatione consistit.

6 Ex quibus liquidò constat quam congruat homini in virtuosis operibus suam regere vitam, ejusque activitatem, cum perfectum oporteat fore ipsum in sua potentia, seù facultate agente, eamque virtutibus, quæ vires operativæ sunt, hominique præcipuæ, quive animal est ad opera rationis addictum, hisq; quibus maximè ad Deum ipsum assimilationem ostentat, exornare. Ad hoc enim fortitus est ab auctore potentias ad agendum propensas, hasque viribus, dotibusque præditari virtutum, alias frustranea ipsarum munera forent, sicut item de formis omnibus, creaturis exhibitis, alibi dictum est.

7 Cohærenter ad hæc loquitur infra idem Doctor ipsa 1.2.quæst.56. a.1. *Virtutem inquiens in Animæ fore potentiam sicut in subjecto. Ex eo scilicet quod habitus operativus est potentiam perficiens, ordinatusque ad optimum, quod operatio ipsa est, vel aliquid ex illa resultans. Virtus enim ex ipsa ratione virtutis, cum potentiæ perfectionem importet, & perfectio debeat esse in eo cujus est perfectio, subjectari perinde sequitur in animæ potentia. Cumque insuper ordinetur ad optimum, quod est ejus finis, & hic vel operatio ipsa est, vel aliquid ad extra per operationem consecutum, ut artefactum. Virtutem humanam in animæ potentiam esse sicut in subjecto infertur, & in eo propter virtuosam operationem ad quam, ut ad sui optimum, finemque ordinatur.* Quid enim foret anima nostra, quid ejus facultates præcisis ab eis virtutibus, earumque operibus? Quid ergo per consequens homo virtutibus denudatus, virtuosaque perinde vita non vivens? Haud equidem brutis ipsis dissimilis, ac non perinde agens ut homo, comparandus Jumentis erit, eisque profectò similis factus.

8 Quod bene insinuatum habeo ex D.Th. in præcitato. *Ad primum dicendum; quod vivere dupliciter sumitur, quandoque enim dicitur vivere, ipsum esse viventis, & sic pertinet ad essentiam animæ, quæ est vivendi principium. Alio modo dicitur vivere, operatio viventis, & sic virtute rectè vivitur, in quantum per eam aliquis rectè operatur.* Cum igitur homo, ut homo est, formaliter vivere debeat, quod est idem, ac vivere secundum rationem, ut in hoc à brutis, quæ vita tantùm animali vivere noscuntur, discriminari dicatur, vitam ex consequenti opus est hominem agere virtuosam. Quod sicut ad ejus perfectionem facit,

& per

Digitized by Google

& per consequens ad bonitatem, cum bonus ipse minimè sit reputandus, uti neque perfectus, si virtutibus denegatis, sublatisque bonis operibus, velit agere vitam, ut idem D. Th. in præcitato. *Ad secundum dicendum, quod bonum, vel est finis, vel in ordine ad finem dicitur, & ideò cum bonum operantis consistat in operatione, hoc etiam ipsum, quod virtus operantem bonum facit, refertur ad operationem.*

9 Et in hac fructus activitatis hominis residet, sicut ab ipsa exoptatus expectatur, præcipuè ex ejus sublimioribus, nobilibusque viribus, uti sunt ampliores, sivè intellectivę. Alias ut planta sterilis, & inepta, excidendus è vita per manus divini erit Agricolæ, ac in ignem gehennæ mittendus; iniquè namque terram orbis occuparet illius, vitamque ageret infrugiferam, & inertem. Unde optimè ex ipsa hominis operatione bonitatem ejus arguit Angelicus Doctor, edoctus ex eò quod Christus Dominus admonuit Matthæi 7. & 12. *Ex fructu cognoscitur arbor, & ex operibus homines: Unde ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quandoquidem ut arbor non alia de causa vitam dicitur agere suam, nec excoli fine, quam propter fructuum retributionem. Sic homo simili pacto degit ad suas directus operationes, & hac rectas, & laudabiles: quod si secus scelestas eligeret, ac vitiosas, viceque uvarum vilesceret in labruscas, non secius, ac arbor inops, & arida excidendus erit, & ut vita indignus, morte dignus, in ignem mittendus.

10 Quod explanando simul, & confirmando ostendit D. Th. 1. 2. quæst. 10. art. 1. nempè: *Quod nomen fructus à corporalibus, ad spiritualia est translatum. Dicitur autem in corporalibus id quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, & quandam in se suavitatem habet, qui quidem fructus ad duo comparari potest, scilicet ad arborem producentem ipsum, & ad hominem qui fructum ex arbore adipiscitur. Secundùm hoc, nomen fructus in rebus spiritualibus, dupliciter accipere possumus. Uno modo ut dicatur fructus hominis id quod homo adipiscitur: non autem omne id quod adipiscitur homo habet rationem fructus, sed id quod est ultimum delectationem habens. Habet enim homo agrum, & arborem, quæ fructus non dicuntur, sed solum id quod est ultimum, quod scilicet ex agro, & arbore, homo intendit habere, & secundùm hoc fructus hominis, dicitur ultimus finis hominis, quo debet frui. Si autem dicatur fructus hominis, id quod ex homine producitur, sic sibi actus hominis fructus dicuntur, operatio enim est actus secundus operantis, & delectationem habet, si sit conveniens operanti* (nota convenientiam quæ non competit nisi actui virtuoso, qui veram, non fictam, ut actus vitiosus, homini confert) *si igitur operatio hominis procedat ab homine secundùm facultatem suæ rationis, sic dicitur esse fructus rationis:* (nota etiam actum virtuosum hominis ex propria facultate, seu electione, aut activitate factum) *Si verò procedat ab homine secundùm altiorem virtutem, quæ est virtus Spiritus Sancti, sic dicitur esse operatio hominis fru-*

fructus Spiritus Sancti, quasi cujusdam divini seminis, dicitur enim Joan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.

11 En quomodo ex homine tamquam ex planta fructus oriuntur, & hi ejusdem sunt ipsæ operationes, quæ vel sunt à ratione secundum vim naturalem obortæ: vel ab eadem vi superioris fulta virtutis; primò modo rationis nuncupandę, sunt fructus: secundò verò modo fructus Spiritus Sancti, quasi de cœlesti semine nati. Sublatis autem harum omnium operationum fructibus, loquendo tamen de convenientibus homini, utì sunt honestæ, ac virtuosæ, quid de ipso reputandum? quid prætio habendum? quid quæso censendum? haud equidem aliud, quam de planta in genere morali arida, ac frustranea, & per consequens ut impie terram in qua degit occupante, succidenda: ignique tradenda.

12 Quonam autem pacto operatio, finis habeat rationem, aut in ea per sui fructum delectetur homo, doctrinam præbet D. Th. in præcitato. *Ad secundum dicendum, quod voluntatem in aliquo propter se delectari, potest intelligi dupliciter. Uno modo, secundum quod ly, propter, dicat causam finalem, & sic propter sè non delectatur aliquis, nisi in ultimo fine. Alio modo secundum quod designat causam formalem, & sic propter sè aliquis potest delectari in omni eo quod est delectabile secundum suam formam; sicut patet in eo, quod infirmus delectatur in sanitate propter sè, sicut in fine, in medicina autem suavi, non sicut in fine, sed sicut in habente saporem delectabilem; in medicina autem austera, nullo modo propter sè, sed solum propter aliud. Sic igitur dicendum est, quod in Deo delectari debet homo propter sè, sicut propter ultimum finem: in actibus autem virtuosis, non sicut propter finem, sed propter honestatem quam continet delectabile in virtuosis. Unde Ambrosius dicit, quod opera virtutum dicuntur fructus, quia suos possessores sancta, & sincera delectatione reficiunt.*

13 Sic ergo dicimus appellandos esse actus secundos, aut operationes hominis fructus eius, seu fines. Quod realiter in idem incidit, ac illos ut fines intermedios agnoscere, sivè proximos, non autem ultimos, quo sensu resonat illud, unumquodque propter suam esse operationem. Quod proculdubio constat ut manifestum, quoniam præstituere operationem ipsam ut finem simpliciter ultimum, peccatum mortale foret, & prava intentio, utpotè in creaturam ultimò fixa, velutquè ei numini inhærens: patet enim actum secundum hominis, seu operationem rem fore creatam, ac per consequens ad esse finem illius simpliciter ultimum ineptam.

14 Horum itaque operum fructus debet homo ipsi Deo ut primo offerre principio, & ultimo fini, necnon ut suæ summæ, atque postremę felicitatis objecto. Verum non ut sacrificia sint impii Cain, sed ut dilecti Abel, quod est virtuosos agere actus, hosque pro posse optimos,

ut

Digitized by Google

ut gratius excipiatur à Deo. Quomodo namq; ut par est astris, homo benè vivere poterit, si Regi omniū conditori, nil unquā retribuit, pro omnibus quæ tam genorosè largitus est ei? si præceptum ejus est, ut diligatur à nobis ex tota anima, tota mente, totisque viribus nostris; quo pacto postmodum, abrasis omnibus illis, nullum erga tantum benefactorem, actum agamus amoris, ullumque virtutum? sterilis ut arena profectò videbitur humani pectoris ager, utque arbor in cassum exculta, fructum in tempore suo non afferens, atque ut ficus illa plectendus, quæ fructum Creatori manum extendenti perfida, & avara denegavit.

15 Ad fructus ergo Deo exhibendos, exhortantem opportunè audio D. Gregorium Pontificem hom. 27. super his Evangelij verbis, & fructus vester maneat. *Omne quod secundum præsens Seculum laboramus vix usq; ad mortem sufficit. Mors namque interveniens fructum nostri laboris abscindit. Quod verò pro æterna vita agitur, etiam post mortem servatur: & tunc apparere incipit, quum laborum carnalium fructus cęperit non videri. Ibi ergo illa retributio, inchoat, ubi ista terminatur. Quisquis igitur jam æterna cognovit apud ejus animum temporales fructus vilescant. Tales fructus operemur qui maneant: tales fructus operemur, qui (cum mors cuncta interimat) ipsi exordium à morte sumant. Nam quod à morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta qui dicit: Quum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem terrenam, sed quum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini, quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hæreditatem.*

16 Ex his ergo Sancti Pontificis piis exhortatibus, discrimine facto inter temporales, atque spirituales hominum fructus, ad hos qui tantùm proficui sunt in cœlis, neque marcescunt, vel desinunt ut illi, hac vita transacta inculcari nos ab eo dignoscimus, ut apud Deum frugiferam, & æternam, nostram exerceamus liberi arbitrii activitatem. Ex qua studiosè exercita, necnon stimulis excitata assiduis amoris, prędicti prodeunt spirituales fructus, sivè virtutum opera, vel actus. Idem Sanctus Pontifex lib. 1. Moralis expositionis in Job cap. 26. asseverat, & statuens ex una parte inertes ad vitam suam benè curandam, ac solum in mundi hujus transitorijs bonis addictos: ex altera Dei servos, & electos pervigiles ad vitam rectè regendam, necnon tantummodò in bonis intentos æternis. Sic inquit. *Sunt nonnulli qui vitam suam negligunt; & dum transitoria appetunt, dum æterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cumque æterna quæ amiserunt, non considerant, esse sè (heu miseri) in bonis infimis felices putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt; nequaquam ad considerationem patriæ æternæ desiderii aciem tendunt, sed semetipsos in his, ad quæ projecti sunt, deserentes, vice patriæ diligunt exilium quod patiuntur, & in cæcitate quam tolerant, quasi in clarita-*

Digitized by Google

te hominis exultant. At contra electorum mentes, dum transitoria nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ exquirunt: cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, (en propriè activitatis opus virtuosum, sivè fructus in cœlo servatus) *in Conditoris sui spe, & contemplatione requiescit: supernis interseri civibus appetit, & unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit: ærumnas exilii, quam tolerat, deplorat: & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat, &c.* Excitare autem seipsum ad amorem erga cœlestia, nonnisi studium, vel conatus propriè facultatis est, opusque activitatis, aut electionis: ex qua sequitur, quod actus voluntarii vim habeat, ac per consequens ex intimis, seù ex principio intrinseco humani pectoris oriatur; ut pervulgatum apud omnes supponendum est Theologos in 1.2. Qua propter ex corde dicuntur exire cogitationes, quarum sicuti de malis auditur à Christo Domino Matth. 15. ita pari pacto dicendum est de bonis.

17 De quo actuum ex nostris ortu visceribus, præradiante semper auxiliante, vel concurrente, aut informante gratia si supernaturales illi sint, aut meritorii. Confirmantem D. Cerno Ambrosium in Hexameron lib. 3. cap. 12. ac prius in 11. acto de floribus, & præcipuè de Rosa, ad cuius instar brevi unusquisque decursę ętatis flore marcescit, de vitibus postmodum agens, quibus generatur vinum quo cor hominis lętificatur, ad lætitiam cum illis hominem invitat inquiens. *Atque utinam, ò homo hujus generis imiteris exemplum, aut ipse tibi lętitiam, jucunditatemque fructifices. In te ipso suavitatis tuæ gratia est, ex te pullulat,* (en actus virtuosi ex nostra activitate, aut electione producti) *in te manet, intus tibi, ideſt in ipso quærenda jocunditas tuæ est conscientiæ.*

18 Et infra lib. 6. cap. 2. loquendo de homine interiori facto ad imaginem Dei, propè calcem capitis ait. *Mens ergo scire gignit, & amat scire quod scit. Non illud scire dico quo repente scitur res aliqua, quæ ante nesciri putabatur: sed illud unde, & aliquid, & omne quidquid scitur, vel nescitur sciri potest. Illud ergo scire mens gignit, & eum genitum est, scientia potest dici, &c.*

19 Et cap. 3. concludit exhortando. *Quapropter ò dilectissimi, & venerandam in seipso Sanctæ Trinitatis Imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinę, ad quam creatus est nobilitate morum, exercitio virtutum* (en actuum virtuosorum productio) *dignitate meritorum habere contendat, ut quando appareat qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformavit.*

20 Et libro de paradiso per quem figuratam dicit esse animam, & per quatuor flumina ex illius fonte emanantia, totamq; irrigentia terram, quatuor exprimi virtutes principales, subdit, nempè prudentiam, temperantiam,

Digitized by Google

rantiam, fortitudinem, atque juſtitiam. Ex præfata inquit anima eas, procedere non autem ex inculta, vel impia. *Ex hac igitur anima* (loquitur Sanctus Antiſtes) *quæ culta eſt, non ex ea quæ inculta fons iſte procedit ut irriget paradiſum, hoc eſt, quæ jam diverſarum frutecta virtutum; quarum ſunt quatuor initia in quæ ſapientia iſta dividitur, &c.* Quibus Sancti Præſulis vocibus, planè oſtenditur, ex ipſius activitate animę tamquam ex paradiſo floribus, plantiſque perornato virtutum, actus effluere virtuoſos, de quibus ſat ſit de præfato referre Doctore, cum millies alibi de ipſorum ortu ex facultate hominis ſermonem habeat.

21 Conſonus eſt in eiſdem aſſeverandis actibus ex viſceribus activitatis hominis exortis D. Auguſtinus, præſertim ſuper his pſalmi verbis. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas*; oſtendens quo pacto concurrat homo ex ſuæ vi voluntatis ad opus, ſivè donum ſuæ ſalutis. *Quæ duritia eſt, quam nec experientia docet? Non ergo te ſanabit qui talem fecerat, ut numquam ægrotares, ſi ejus præcepta ſervare voluiſſes? Non te ſanabit, & te refectum æquaturus eſt Angelis qui facit Angelos? Non ſanabit factum ad imaginem ſuam, qui fecit cœlum, & terram? ſanabit te: opus eſt ut ſanari velis.* (en actus volitionis, & virtutis ex intrinſecis facultatis hominis ortus) *Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat invitum. Quid autem beatiùs, quam ut tamquam in manu tua, vitam ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? &c.*

22 Idem S. Doctor in Pſalmum 41. ſuper his verbis. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei, &c.* ubi opera per animam virtuosè facta memorando ſic ait. *Tabernaculum in terra homines ſunt fideles. Admiror in eis membrorum ipſorum obſequium, quia non eis regnat peccatum ad obediendum deſideriis ejus; nec exhibent membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed exhibent sè Deo vivo in bonis operibus: animæ ſervienti Deo, membra corporalia militare admiror. Reſpicio, & ipſam animam obedientem Deo, diſtribuentem opera actus ſui, frænantę cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem ſe ad omnia aſpera, & dura toleranda, juſtitiam, & charitatem impendentem cæteris, miror, & iſtas virtutes in anima, &c.*

23 Et ſuper Pſalmum 64. ſuper his verbis: *Te decet hymnus Deus in Syon.* Actum virtutis per verbum cordis expreſſum, ſic inquit. *Te decet hymnus Deus in Syon. In Sion non in Babilone, ſed modo ubi es, adhuc in Babilone es. Ibi, inquit, ſum. Ibi ſum carne, non corde. Unde canto non ibi: non enim carne canto, ſed corde.* (en actus virtuoſus ex intimis ortus activitatis humanæ) *Carnem quidem ſonantem audiunt, & Cives Babilonię, cordis autem ſolum audit Conditor Hyeruſalem. Unde dicit Apoſtolus, exhortans ipſos Cives ad amatoria quædam cantica, & deſideria redeundi ad illam pulcherrimam Civitatem viſionem pacis, cantantes inquit, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, &c.*

Rur-

Digitized by Google

24 Rursus in Psalmo 90. ita concludit pro eodem reputando cor hominis, ac ejus cogitationes, actusque virtutum *Amemus, & imitemur, curramus post unguenta ejus, quomodo dicitur in canticis canticorum. Post odorum unguentorum tuorum currimus. Venit enim, & olevit, & odor ipsius implevit totum mundum. Unde odor? de cœlo sequere ergo ad cœlum, si non falsum respondens quod dicitur, Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem, &c.*

25 Amplius ex eodem in Psalmum 144. post plurima pro actibus virtuosis ex hominis internis ortis sic habetur. *In Deo autem tuo ut stes, & in lumine veritatis ejus delecteris, non quæris locum, quo ad eum accedas, sed conscientia accedis, & conscientia recedis, quod dictum est, accedite ad eum, & illuminamini: animo accedite dictum est, non vehiculo, affectibus accedite dictum est, non pedibus, &c.*

26 Denique ut cætera, & innumera omittam præfati Doctoris, nec non aliorum oracula, nostrum testificantia dictum, quoniam ubilibet eos consulo, idem asseverare vel expressè, vel tacitè, aut illativè noscuntur, quodque ut de se ductum ut manifestum, supervacuum de ipso videtur quæstionem habere. Nihilominus libeat pro eodem clausulam facere cum ipso D. Augustino, cujus ad hoc pretiosa sunt verba Serm. 8. de verbis Apostoli ad Ephes. 3. *Peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, &c. Petit ergo eos, ut non infirmentur, quod non faceret, nisi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim responderent: quid nos petis quod in nostra potestate non habemus? Numquid non viderentur sibi justum reddidisse responsum? & tamen Apostolus nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, ubi & ipsi aliquid agerent,* (en opus virtuosum liquidò ex propria electione factum, & activitate, præsuppositò semper divinæ gratiæ adjuvamine) *non diceret peto. Et si diceret jubeo, nisi eos nosset adhibere posse jussioni suæ voluntatem, sine causa hoc verbum de ejus ore procederet, sed rursus sciens sine Dei auditorio, infirmam esse hominis voluntatem, non solum nè dicerent, voluntatis arbitrium non habemus, dixit peto verùm etiam nè dicerent, voluntatis arbitrium sufficit nobis, videte quod addidit, hujus rei gratia. Cujus rei gratia, nisi quia supradixerat, peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra? Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, peto! quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium ad implendum quod peto. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi, &c. Ubi det vobis? quod peto à vobis rogo det vobis. Peto enim à vobis propter arbitrium voluntatis, rogo det vobis propter auxilium majestatis, &c.* Unde illud per eundem Doctorem qui creavit te sine te, non justificabit te sine te.

27 Ex quibus D. Augustini verbis præter ea quæ ex ipsomet suprà retulimus, planè patet opera virtuosa per vim nostræ fieri electionis, sive activitatis, seu voluntatis arbitrio, præfulto tamen Dei adjutorio, quo

Digitized by Google

quo ſecluſo non eſt ſufficiens, nec efficax in illo ad prædicta opera robur, præſertim in ordine ſupernaturali, ut contra Pelagium opinantem à nobis initium innaſci noſtræ juſtificationis, conſummationem autem, vèl perfectionem à Deo; acies univerſa Theologorum militat, velle noſtrum recognoſcens à Deo, nec non & ipſum perficere, ut à primario operum actore, primoque motore.

18 Verùm pro ipſorum effectione operum, ſeù virtutum actuum ex noſtræ vi voluntatis, aut activitatis, divinæ præmotæ tamen ope gratiæ Dei, admodum extat appoſitum ex vitis SS. Patrum exemplum. De quodam Fratre qui à moleſtiſſimo ſpiritu fornicationis valde angebatur. Quare abiit ad quendam probatiſſimum in ſanctitate Seniorem, eumque deprecatus, ait: Piiſſimè Pater ora pro me, quia graviter vexatus patior fornicationis ſpiritum. Hæc cum audiſſet Senior ferventèr, & intentè nocte, dieque pro illo orabat, Deique miſericordiam obſecrans: At iterum veniens ad ipſum Frater rogabat eum, ut magis, & intenſius pro eo preces effunderet. Et ita profectò exequebatur bonus Senior, ferventiùs pro Fratre ad orationem accedens; Verùm tamen quia pro quanto deſudaret in orando, tanto frequentiùs ad eum Frater ille redibat sè ſuis commendans orationibus: vehementer afflictus admirabatur, quod Deus ſuas non exaudiret orationes pro Fratre ſic optatè perfuſas. Qua propter illachrimans rogavit Dominum dicens: Domine revela mihi, unde eſt quod in hoc Fratre tàm potens eſt operatio Diaboli, ut non adhuc tot meis obſecrationibus interpoſitis, receſſerit ab illo, ita ut requiem miſer ipſe non habeat? Tunc ergo revelavit ei Dominus: mirùm haud eſſe, Fratrem illum ſic in ſua perdurare carnis anxietate, quoniam ignavia, ac negligentia valdè delinqueret: Pro cujus rei evidentia, aperiens oculos procul aſpicientes cordis Senioris, oſtendit ei ſedentem Monachum illum, & ſpiritus fornicationis Aſmodeus in diverſis mulierum formis ante ipſum ludentes, ipſumque ſimul una cum eis oblectari: Itemque proſpicere fecit eum, Angelum Dei aſtantem, & graviter contra eundem Fratrem indignantem, quia non ſurgeret, nec poſterneret sè in orationibus ad Deum, imò magis magiſque in ſuis cogitationibus delectaretur. Et his ita oculis interioribus Senioris per revelationem oſtenſis: is cognovit, ex culpa, atque deſidia illius Fratris erat, ut minimè orationes ſuæ exaudirentur à Deo. Quamobrem, revertente Fratre dixit ei Senior. Culpa tua eſt Frater mi, quod non recedat à te ſpiritus fornicationis, quoniam condelectaris cogitationibus malis: Impoſſibile eſt enim diſcedere à te ſpiritum fornicationis immundæ, te negligente, eique nullatenus obſiſtendo, (quid expreſſius contrà errorem Molinicum in eo præſertim, quod inquit propoſitione trigeſimaſeptima, & adhuc ſæpius in cæteris?) Nunquam enim diſcedet à te prædicti vexatio ſpiritus, aliis pro te Deum orantibus, ac deprecantibus, niſi & tu ipſe laborem

aſ-

Digitized by Google

assumas in jejuniis, & orationibus, atque vigiliis multis, deprecans cum gemitu Deum ut misericordiam suam, suæque tibi prębeat adjutorium gratiæ, ut turpibus obsistere possis illusionibus Sathanæ. Nonnè noscis quod medici qui corporibus hominum medicamenta conficiunt, & adhibent, quamvis omnia cum summa diligentia, studioque efficiant; si tamen aliundè ille qui infirmatur, non sè abstineat à noxiis cibis, aut aliis quæ eum lædere possent, nihil ei cura proficiet, nihil ipsa, quęcunque diligentia medicorum, nilque sollicitudo? simile quoque pacto in animę languoribus scias evenire: quamquam enim cum omni fervore spiritus, ac ex toto conatu cordis Sancti Patres, qui sunt medici spirituales, exorent misericordiam Dei pro eis, qui orationibus eorum postulant adjuvari, nisi & ipsi cum omni sui pectoris calore, viscerumque fiducia ad viscera misericordię Dei directa in operibus sè virtuosis exerceant, nihil eis negligentibus, & ignavis, neque salute animæ minimè cogitantibus, Sanctorum proficient orationes, pręcesque frustra fundentur. His ergo audiens Frater ille compunctus est corde, ac in se revertens omni adhibita solicitudine, juxtà Senioris admonita, mora non admissa, semetipsum, jejuniis, orationibus, vigiliis, virtuosisque operibus afflixit, quibus deinde Dei misericordiã assequutus, recessit ab eo spiritus immundæ passionis. quid plura pro virtuosis actibus ex vi nostræ electionis, aut activitatis, & facultatis, Dei tamen gratiæ præmunitę, conficiendis?

29 Quoad id autem quod in præallata sua propositione Molinos inquit, non esse producendos amoris actus erga Beatam Virginem Dei Genitricem, neque Sanctos, ipsiusque Christi humanitatem, quoniam cum objecta sensibilia ipsa sint, talis erit & amor ad ipsa relatus. Dedignari videtur animus impugnare, cum in re tàm justa, tàmque debita, ac sancta, sicut est amor erga præfata objecta, nulla sit consultatio, nec ullum valeat quæstio habere locum. Nihilominus nè prorsus immunè transeat hujusmodi ineptiæ absurdum; & sumpto capite ex capite nostro. Christi nempè humanitate, seu ab ipso Christo domino ut homine, notum est enim ipsum ut hominem distinqui, & ut Deum, cum in unica sui subsistentia, seu personalitate, duę connectantur inconfusę naturę, divina scilicet, & humana. Secundùm hanc ergo.

30 Dicimus primò, amandum ipsum esse, & quam maximo, non mediocri amore, propter eas quas amplas prębet occasiones amoris. Quod optimè ostenditur ex dignitate, sivè pulchritudine qua gratię sanctificantis, sui habitualis in sè pollet, qua nihil dignius amore, nihilque pro dilectione omnium terminanda, suavius. Quę superexcelsa gratię venustas, & splendor, pręter ea quę sibi vendicat ex sacris literis, ut est illud Isaię 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* Et cap. 6. *Spiritus Domini super me*, Qui quidem Spiritus in homine fore dicitur per gra-

Digitized by Google

gratiam habitualem, ut patet ex eo quod docetur à D. Th. 1. p. quæst. 43. art. 6. nec non ex aliis Sacræ Scripturæ locis, & Sanctis Patribus, à Patre Suarez 3. part. quæst. 7. disput. 18. sect. 2. relatis, ex quibus hanc ipse intulit veritatem, Gratiam habitualem in Christo Domino ponere, dogma fidei esse, ita ut oppositum sit hæresis, quæ censura nimis acerba visa est Patri Vasquez ibidem disp. 4. Nazario controv. 1. & aliis. Quidquid tamen de hoc hi sentiant, temerarium saltem est negare gratiam habitualem Christo Domino, ita communiter Theologi 3. part. in præcitato, & in 3. d. 13. &c.

31 Rationibus autem præfixum fulcitur hoc prius dictum, pro ampliori evidentia amoris quo humanitas perdigna est Christi Domini, aut ipse meretur ut homo; suntque Divi Thomæ 3. par. q. 7. art. 1. quo ad probandum in Christo Domino gratiam fore habitualem. Respondet dicendum, quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem, propter tria, concludentia (ut ibidem Cardinalis Cajetanus explicat), necessitatem secundum ordinem rebus consonum, seu secundum potentia Dei ordinariam, ita quod impossibile est aliter se habere, attento ordine à divina Sapientia statuto: hoc ergo prænotato suum probat D. Th. assertum.

32 *Primò quidem propter unionem animæ illius ad Verbum Dei, quanto enim aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius: Influxus autem gratiæ est à Deo, secundum illud Psalmi 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & ideo maximè fuit conveniens ut anima illa reciperet influxum divinæ gratiæ.*

33 *Secundò propter nobilitatem illius animæ, cujus oportebat propinquissimè attingere ad Deum per cognitionem, & amorem, ad quod necesse est elevari rationalem naturam per gratiam.*

34 *Tertiò propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum Christus enim in quantum homo, est mediator Dei, & hominum, ut dicitur 1. ad Timotheum 2. & ideo oportebat, quòd haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundum illud Joannis 1. de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

35 Ex quibus quam planè constet amandam esse Christi humanitatem, seu ipsum Christum Dominum ut hominem ardentissimo prosequendum amore, plusquam luce ipsa meridiana clarescit. Gratia namque, veluti magnas cœlica est, quæ corda etsi ferrea ad se trahit, & ut divinus ignis in sè transformat, cum per ipsam, anima imaginem, & similitudinem Dei in sè ostentet, ejusque perinde pulchritudine glorietur: quapropter illa prædita, ac perornata, celsitudinem Sponsæ Dei obtinet, speciemque præsefert illius divinæ Sponsæ quam Aquila conspexit Evangelica descendentem de cœlo sicut Sponsam ornatam viro suo. Hanc ergo formositatem, & spe-

Digitized by Google

ciosiratem in sè ditissimè servat humanitas Christi Domini. Propterea prævidens illum Regius Vates in cantico 44. intonuit de illo psallens, speciosus forma præ filiis hominum. Perenni igitur ingentique amore est ille, imo infinito perdignus, omniumque cordium hominum non tantum, verum insuper Angelorum prædulce objectum. Et vere quidem, quoniam sicut objectum ipse fuit Angelis expositum ut adorandum, juxta illud quod testatur Apostolus, & adorent eum omnes Angeli ejus, pari pacto fatendum est objectum fore amandum, ac omni prosequendum cordis ardore, quod qua fidei constantia de supernis illis Spiritibus veritas edocet, asseverandum est quoque de homine, ut patet. Præter attamen tartareas illas legiones abyssi, damnatorumque catervas, quæ tametsi ad sonitum magni hominis, Jesus, contremiscentes genuflexæ ipsum adorent, nihilominus quia miserrimè nullius sunt amoris Sancti capaces, nequeunt ad illud ferri, ut amantes, quinimò ut blasphemantes, ac odio incensæ rabide renuentes: quandoquidem abjecta pietate illius in cuius nomine oportet homines salvos fieri, contempto dum viventes poterant ipsum amare, justo Dei judicio, in tam postmodum devenirent extrema miseria, summoque malorum, ut denegata ipsis adhuc sufficienti gratia, nec possent illud amare, nec ullatenus ipsum sibi ut objectum proponere speciosum.

36 Dictum est ibidem amandam esse Christi humanitatem, seu ipsum Christum ut hominem, amore quam maximo, imò & infinito, si fieri ab homine, vel creatura posset. Quoniam in Christo Domino gratiæ plenitudo, imò & infinitas extitit, ut perlucidè Angelicus Doctor probat 3. part. quæst. 7. art. 6. & reliquis. De quo evincentes ducuntur ab ipso rationes. Et primò de plenitudine gratiæ, tum quoad ejus intensionem, tum quoad virtutem effusivam. Quod sic ostendit. *Et primò ex propinquitate animæ Christi Domini ad causam gratiæ. Dictum est enim quod quanto aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi qua propinquius conjungitur Deo inter omnes Creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiam ejus.*

37 *Secundò ex comparatione ejus ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, ut ex ea quodammodo trasfunderetur in alios. Et ideo oportebat quod haberet maximam gratiam, sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus.*

38 *Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ, plenè habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ, & hoc ideò quia cōferebatur ei tamquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam, virtus autem primi principii alicujus generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, sicut Sol qui est universalis causa generationis, ejus virtus sè extendit ad omnia quæ sub generatione cadunt.*

Digitized by Google

dunt. Quam summam plenitudinem confirmat Sancta Mater Ecclesia referens id quod Joan. 1. *dicitur de Christo: vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.*

39 *Quoad infinitatem verò ejusdem gratiæ, loquendo de ipsa ut habitualis est, (nam de gratia unionis certùm est esse infinitam, secundum quod ipsa persona verbi est infinita) secundum propriam rationem gratiæ potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram, quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratia configatur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud ad Ephes. 1. Gratificavit nos in dilecto filio suo, sicut si dicamus lucem Solis infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest.* Quibus in calce verbis D. Th. advertendum innuit, quod estò gratia secundum explicitam rationem gratiæ dicatur infinita, non autem inspecta in esse entis, cum hac ratione finita sit, respiciens subjectum in quo recipitur, quod est ipsius anima Christi, quæ utpotè creatura finitam habet recipiendi capacitatem.

40 Ex his patet quam copiosè vim amandi motivam præbeat Christi Domini humanitas sancta, quamque se dignam faciat per magni, imò & infiniti amoris. Quoniam eum per ingentem gratiæ plenitudinem, imò infinitatem, maxime, nec non infinitè sè gratiosam ostendat, ac infinita apud Deum Angelos, hominesque dignitate, specie, decoreque præfulgeat, tantum perinde meretur æquè amorem. Propterea Deus qui semper, & magis diligit meliora, ex majori quod Creaturæ confert, sua voluntate bono, ut docet D. Th. 1. part. quæst. 21. art. 4. Pro ingentibus collatis Christo Domino bonis, magis eum quam aliam quamcunque creaturam diligit. Unde ibidem Sanctus Doctor. *Ad primum dicendum, quod Deus Christum diligit, non solum plusquam totum hominum genus, sed etiam magis quam totam universitatem creaturarum, quia scilicet ei majus bonum voluit, quia dedit ei nomen quod est supra omne nomen, ut verus Deus esset. Nec ejus excellentiæ depersit, ex hoc quod Deus dedit eum in mortem pro salute humani generos, quinimò ex hoc factus est victor glorioſus. Factus est enim Principatus super humerum ejus, ut dicitur Isaiæ 9.* Et de ipsa humanitate subdit. *Ad secundum dicendum quod naturam humanam assumptam à Dei verbo in persona Christi, Deus plus amat quam omnes Angelos, & melior est maximè, ratione unionis, &c.*

41 Quid plura pro amore erga Christum Dominum, aut humanitatem impendendo, rationibus ex gratia, vel pulchritudine illius ductis? Ex eo namque quod sic amabilis ante Dei oculos astat, tamque gratio-

Digitized by Google

ſa, & formoſa, ipſum ad ſuum trahit amorem, ſuccenſoque præ flamma profiteatur per illam pectore flammeas. Sap. 9. *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi Sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Quare nos qui ad ſimilitudinem debemus intelligere Dei, amoriſque promere actus, præfatam humanitatem ab ipſo tali pacto dilectam, diligere nequimus? cur ex præcordiis quoad poſſe noſtrum alis ignis, atque flammarum non evolamus erga illam ut ejus amantes?

42 Quod eo magis agendum eſt, quoniam ut Dei miniſtram, potiſſimumque inſtrumentum, ac myſtici Virga Moyſi plenipotens, tot credimus effeciſſe in univerſo orbe miranda, totque effudiſſe, ac in præſentiarum, effuſurumque bona pro nobis: prærapidi ergo verſus eam per amorem ferri debemus, quod eſt ac ipſum Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum mediatorem, atque glorificatorem, ſummumque denique benefactorem, quam maximo amplexari, oſcularique amore, & eo quo expetebat ipſum oſculari Sponſam cum ei ſuſpirans inquit, oſculetur me oſculo oris ſui. Hinc Divus Auguſtinus relatus à Divo Thoma 3. parte quæſt. 1. art. 2. ad probandum conventiorem modum reparandi genus humanum fuiſſe per incarnationem, tam maximum beneficium memorans, quodque maxime viget ad excitandam in nobis charitatem, ita magnus Pater ait, lib. de catechizandis rudibus. *Quæ major est causa Adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis, & poſtea ſubdit; ſi amare pigebat, ſaltem reamare non pigeat.*

43 De cujus opportuni, & condecentis amoris, admiranda cauſa excitante, cœli cœlico afflatu impulſus, comone ſic inquit Phylo Græcus Carpathius Epiſcopus ſuper canticum canticorum, & valeat pro univerſis quæ ſuppeterent Sanctorum Patrum eloquiis. *Filius Patri coæternus, ejuſdemque ſubſtantiæ, atque naturæ; cum Spiritu Sancto, humanam carnem, & integrum hominem aſſumpſit. Tam ineffabili charitate vulneratus eſt, Deus erga genus humanum: Creator omnium erga creaturam: ſummus erga infimum: æternus, & immortalis erga temporarium, & perituram: infinitus, & immenſus erga puſillum, & anguſtum, plenèque breviſſimum; O' incomparabilem amorem, ò inauditam charitatem, ò maxime infinitam Dei miſericordiam, ſummamque pietatem. Quis te non vehementer amet, ac colat ſummè Deus, amabiliſſime Jeſu, clementiſſime Redemptor? ſaxeus, ac ferreus, adamantinus ille prorſus; ac miſer, & miſerabilis, qui non te unum vehementer cupit, te adorat, tibi ſervit, tibi ſemper adhæret, ad teque unum tandem pervenire contendat, &c.*

44 Hoc ipſo tenore proſequens præfatus Præſes, tenerrimo ſenſu oſtendit, quam amabilis, & amandus ſit Chriſtus Dominus, quamq; ejus excolenda humanitas qua indutus tam ingentia bona contulit homini; & hinc durum pectus objurgat, quod erga tam immenſum benefactorem,

in

Digitized by Google

in ſuis non liquefit viſceribus, ex flãma repercuſsũ amoris: tunc enim eſſe dus intenſionis in pectore noſcitur hominis, cum verè amat, ergaq; fertur amatum incenſus amore, quem nobilem effectum adverſus oppoſitum, ideſt duritiam cordis ſtatuens Divus Thomas 1.2. quæſt. 28. art. 5. inquit, *Cordis congelatio, vel duritia, eſt diſpoſitio repugnans amori, ſed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet sè cor hominis, ut amatum, in ipſum ſubintret, &c.* Qui nam eſt ille pro quo maximè debet cor hominis præ amore liquefieri; Ille profectò de quo tot clamat ſacra pagina bona profuſa, quique ſub figura Samaritani ulcera medentis hominis, necnon magni de cœlo medici deſcendentis, pro magno hic jacenti ægroto ſanitate conferenda tot pietatis magnanimus opera geſſit. Huic ergo & pro ſua præcellenti gratia, pereleganti pulchritudine, perennique largifluæ bonitatis immenſitate maximus, & quoad fieri poſſet, ſempiternus condecens eſt amor.

45 Et ut aliquantulum ſolatii cauſa comprobemus exemplis, ô quam bene hoc percepit Beata Maria Magdalena, de qua legitur Lucæ 7. quod dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum ipſum prædilectum Chriſtum Dominum. & claret in reſponſo Petri ad divinum Magiſtrum, cui interroganti, & pluries, *Petre amas me?* reſpondit: *Tu ſcis Domine, quia amo te*, quaſi diceret; Tu qui corda ſcis hominum, bene noſti, cor meum erga te flagrare amore, Joan 21. & in dilectione coapoſtoli ejus Pauli, de cujus magnitudine ſtat illud quod idem ait ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, &c.* Et Corinth. 16. tamquam cenſura dignam prædicens aſſertionem Molinos, amorem erga Chriſtum denegantem, decernit ipſe Apoſtolus ſcribens. *Si quis non amat Dñm noſtrum Jeſum Chriſtum ſit anathema, maranatha*, ideſt ſeparatus, vel excõmunicatus, ut ibi ſubdit D. Th. quæ pœna ea ratione qua infliguntur hęretici videtur infligi Molinos, denegans impendendũ eſſe erga Chriſtũ Dominum, aut ejus humanitatem amorem. Unde Divus Thomas obiiciens in præallegato ad Corinthios, ex eo quod ſit excommunicatus qui non amat Chriſtum Dominum. *Sed nunquid ſtat excommunicari omnes qui non ſunt in charitate. Reſpondeo dicendum quod hoc intelligitur. Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ideſt fidem Chriſti, & iſti ſunt hæretici, & ſunt excommunicati:* Cum ergo de fide ſit, amandã eſſe Chriſti Domini fidem ſicut & ſpem, atq; charitatem, denegans hanc ipſe Molinos renuens erga Chriſti humanitatem amorem, contra fidem agit, & reputandus ut hæreticus hoc afferens, eſtque per conſequens excommunicationis cenſura inurendus.

46 Item idem Apoſtolus alibi præ amoris exceſſu rapi ad objectum percupiens amatum, ſæpe clamabat inhians: cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: notum eſt enim unionem, effectum eſſe amoris, nec non ad ipſam tendere, eamque ſemper intendere, cum longè fuerit ab illo, in quo

ma-

Digitized by Google

magis vivere videtur amans quâ in seipso, unde illud ejusdem Apostoli, vivo ego jam, non ego vivit verò in me Christus. Quod quam perspicuè clareat in his qui consimilem patiuntur amorem, quodque in illis velut anima vigeat in cor amantis amatum. Testis est præ omnibus Seraphycis astris egregia Virgo Catharina Senensis, quæ permutato cum Christo Domino corde, divinum hujus in suo pectore gerens, vitam per illud gloriosam, divinamque agebat; ipsimet æterno Patri minimè cedens in verbum eructando bonum, ac divina eloqui arcana verba, ex tali pacto mirabili abundantia cordis. Qua & insuper Beatis omnibus se præstare gloriari poterat felicissima Virgo, quod eum illi comprehendere unquam nequeunt immensam Dei bonitatem, Catharina præelecta divini Verbi amatrix, ipsum in sinu suo complectens, quinimò in ipsis inclusum visceribus mirificè retinens, comprehendere in sè illud jactare sè in Domino confidebat.

47 Quid autem ultrò fatebimur de duobus præcipuè Christi commilitonibus, qui rem nominibus conformantes, sicut Ignatii ambo sorti ti sunt de cœlo nomen, ita & pari charitate succensi, summo amoris igne flagrarunt. Quorum alter Antistes dum ab immanibus Tyranni Ministris ad martyrium ducebatur dilacerandus à feris; Talia inflammatus præ amore in Jesum Christum inclamans ajebat. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans ut Jesum Christum inveniam, ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnatus esset ad bestias, & ardore patiendi, rugientes audiret Leones, ait. Frumentum sum Christi, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Quid tali corde flammantius erga Jesum Christum, exardens amore pensandum? Quidvè pro gratia Iesu Christi assequenda, intensius excogitandum? Et hic famosus ille est Ignatius Martyr.

48 At non minus opus expressit amoris in Jesum Christum, ejusdem nominis alter Sanctus Hæros, de quo fertur in vitis Sanctorum Patrum, quod dum ipsum excruciabant feri Carnifices, inter illata dira tormenta, numquam ab invocatione nominis Jesu Christi cessabat: quem cum Tortores requirerent, cur hoc nomen toties repeteret, respondit, Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo ab ejus invocatione cessare non valeo. Postquam ergo sub cruciatibus obiisset, carnifices curiosi volentes experiri, num verum esset quod de corde inscripto dixerat Sanctus Martyr, cor ejus ex ipsius pectore evellentes, totum ejus cor inscriptum nomine, Jesus Christus, litteris aureis invenerunt. Per quod insigne miraculum, plurimi fidei Jesu Christi adhærentes crediderunt. Ita hi duo Martyres, Martesque gratiæ Ignatii, prodigiosum de sè promserunt in Jesum Christum amorem.

Ve-

Digitized by Google

49 Verum minimè minoris ſtrenuitatis, & gloriæ, tertius deinde ſurrexit Ignatius, celeberrimus inquam Hæros ille Loyola, qui per amorem ad Jeſum Chriſtũ perpetuò perardens, ignis ille profectò eſt qui ſuper altare Domini ſemper ardebit, effectus illius flamma ſimul, & holocauſtum. At inſuper de hujuſmodi ſumet peramato Jeſu oblatione, haud plene contentus, ut ampliorem, uberioremque præberet, ſocietatem flammantium Heroum ſub nomine, ac inſigne Jeſu militantium ſapienter inſtituit, quo velut igneum, ſydereumque cœlum, ſub oculis effulgens Altiſſimi, gaudium lucis attulit ingens, eo quod amorem ſuum ſic videat ampliatum, nomenque per novos Apoſtolos undique portatum.

50 At quo te magne mi Enrice ſuſo dimiſi? quo tuum ſupereroicum poſſum unquam omittere geſtum? Ebulliebat in viſceribus tuis erga Jeſum amor, ac dein efferueſcens, ut ignis obſtrictus in anguſto, latiorem expetens e pectore campum, teipſum in teipſum ad excruciandum, illud patefaciendo impulit. Quamobrem ſumpto ſcalptro, incomparabili pectoris animo, pectus feriens ipſum animosè diviſiſti, & ad cordis medio admota armata manu, velut Sculptor ſuper illud inſculpſiſti, ſtupente natura, gratia gloriante, amatiſſimum, dulciſſimumque nomen, Jeſus. Admirati arbitror deſtiterunt è volatu ipſimet de cœlo Seraphici Ordines, nec non item ut ad vocem imperii magni Ducis Hæbraici, ſterit à curſu Sol ipſe, tam præclarum, tamque admirabile ſpectando facinus in terris à Suſone peractum.

51 Hinc omiſſis plurimis, quæ ad hoc conferrent exemplis, minimè prætermittendum videtur, quod relatis affine de quodam Equite ut permirum enarratur. Qui ad viſenda pergens Hieroſolymæ limina ſancta, Jeſu Chriſti ductus amore, qui ibidem homo factus, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus, paſſus, mortuus, ſepultus, atque à mortuis reſurgens, demumque in cœlum aſcendens. Cum illuc jam perveniſſet, ſuaſque perficiens flammanti pectore ſtationes, ad montem denique Oliveti, unde Chriſtus Dominus benedicta diſcipulorum familia, conſcendit hoc orbe relicto, ſupra cœlos, præfatus perveniens Eques, languente præ amore, ac præ dulcedine liquato corde, viſcerumque teneritudine, efflavit illicò animam. Perterriti ſteterunt famuli, & ſtupentes omnes ſubſiderunt in ipſa via ad ſpectaculum, velut mortui: Quapropter accerſito medicorum conſilio, & anotomicè aperto cadavere, invenerunt in corde hujuſmodi inſcripta verba: *Jeſus meus, amor meus.* Amor æquidem quo ſimul unà cum peramato objecto evolavit ejus ad ſuperos anima. Unde ex quo illud amaſiæ Sponſæ repetiit, quæram quem diligit anima mea, ipſum, adhuc & ipſe fortunatè invenit, quem neutiquam dimittere, ac in æternum eo perfrui, ſicut, & ipſa Sponſa, gloriatur in cœlis.

Et

Digitized by Google

52 Et his de amore ad Christum Dominum, ejusque humanitatem actis, de amore agendum est erga ejus Sacrosanctam Virginem Matrem, & tametsi de utriusque amabili dignitate, velle saltem commodè sermones texere, præcipitem sè dare foret in sinum abyssi, nonnulla tamen, & summis labiis, eo quo de Christo Domino, aut ejus humanitate peracto, agamus de illius ibidem Genitrice, pro cujus amore.

53 Dicimus secundò, amandá, & magnopere ipsam esse, tum propter ejus pulchritudinem, tum propter gratiæ plenitudinem, tumque propter beneficiorum nobis præstitorum amplitudinem. Unde triplici quam maximo sè dignam amore præbet jure naturæ, jure gratiæ, jure justitiæ. Jure naturæ quia pulcherrima mulierum, & inter omnes prima, de quo primatu collaudatorem, sicut & de cæteris ejus bonis, ac dotibus, Sponsum volo habeat ipsum, qui de sua dilecta nunquam satis eloquens, expletusque cupidine cantica peramatę edidit exprimentia formam, suique ardentem flammam avidissimi cordis: Propterea in ejus amplexibus, osculisque præ dulcedine languens, erumpens in afflatibus ex pectoris imis ortis, pro ejus vicissim amore, candore, venustate, persæpe clamare veluti vi adhibita consueverat. *Amica mea, columba mea, formosa mea.*

54 At nos hujusmodi, tantæque pulchritudinis, unde speciem venabimur? quo pro ejus argumento, ac perinde amore pergemus? Laus Deo, ejusque almo Spiritui, qui Sacrarum auctor litterarum, velut in tabula benè picta, magnalia, gestaque ceu pictor effingens, figuras exprimit cœlestium arcanorum, inter quæ cum effulgeat ut sol electa suæ Sponsæ formositas, figuras item ad eam argueadam adumbrat, in celeberrimæ speciei mulieribus. Et ita extitit, quamque primò nobis exhibet, vetus illa, omniumque nuncupata mater Eva viventium, quæ manibus ipsius divini Artificis effecta, numeris omnibus pulchritudine fulsit. Itemque inclyta venustate fuit, & Rebecca, de qua fertur per os sacri eloquii. Erat enim puella decora nimis, venustoque aspectu. Ita de Rachele, quod erat decora facie, venustoque aspectu. De Regina Esther, quod erat pulchra valde, & incredibili pulchritudine, & gratiosa, & amabilis omnium oculis. De Juditha, quod incomparabili decore omnium oculis appareret. Aliisque quam pluribus pro quarum formositatum præconiis, ex ipsiusmet ore Altissimi conditoris audiuntur panegirica dicta.

55 Quid autem præsignant hæ formosæ mulieres? quidvè in sui specie præsignificant, aut cujus imaginem servant? Illius æquidem, quæ præ omnibus electa, & præelecta ut pulcherrima omnium Regina colitur, & prædicatur. Et hinc plana emergit consequentia, quod si figuræ, vel umbræ in præfatis depictę mulieriebus, ob eximiam tam amabiles extiterunt pulchritudinem, quam fatebimur fore dignam amore inter eas pul-

Digitized by Google

pulcherrima, figurataque ab ipsis? Si tam fuerunt diligibiles umbræ, quid erit de Sole ipso? Et si tam cordium tractivę imagines, & exemplata, qui de prototipo asseverandum, & exemplari? Commisereamur ergo cum vocem exulcerati amantis audimus ejus Sponsi clamantis, *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum.*

56 Item pulcherrima est Virgo Maria, quia omnibus pulchritudinis dotibus pollens in summo; ergo summo digna est amore, omniumque cordium peramabile objectum. Antecedens per Beatum Albertum Magnum, gratiosum ejus, dilectumque filium ostenditur, super missus est, ubi consono Doctorum voto, in tribus dotibus, decorem perfectę pulchritudinis, speciemque constituit. *In debita, scilicet corporis quantitate, & in eleganti membrorum dispositione, ac proportione, & in coloris suavitate, seù venustate.* At qui Beata Virgo Deipara, eximiè præfatas in sè dotes comprehendit. Amanda igitur est, ac vehementissimo sè dignam exhibet amore, ut contestatur, & abundè Sponsus ipse, qui hujusmodi passus ignem in corde, à summo vertice capitis, usque ad pedum plantas, egregiè descripsit illam in suis ad ejus laudes canticis editis cap.6.& 7. Quibus simul, ac suam depingens tã amatam amantem, fœlicissimum sè beatum ajebat, per ejus tamquam adorati Numinis perjucundum aspectum. Unde expetens ab ea recreari exorat, & ait. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

57 Cujus & amplius pulchritudinem, ex ipsomet planè Sponso sumere possumus argumentum, quem videlicet ut suæ Sanctissimæ Matri, Sponsæque simillimum conspicientes, ab ejus, ad Genitricis egregiam transcurremus arguendam venustatem. Quandoquidem ut inquit Beatus Albertus Magnus, super missus est, si de tali tale, & de tanto tantum. Et Aristoteles omne simile generat sibi simile, cum perfectissimus sit ipse Sponsus, omnisq; formæ cumulato decore, propterea ad ipsum suamet Genitrix, & Sponsa in Canticis 5. cõmendans ait. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, electus ex millibus,* & ut speciosus præ filiis hominũ psallit de illo Rex Citharedus. cant.44. Consequens est quod & pariter ipsa totius formositatis prędita sit insignibus, præcelsęq; venustatis splẽdore nitescat: quapropter ad ipsam admiratus aspiciens idem filius, ac Sponsus æternis plausibus canit in 6. Canticorũ. *Quam pulchra es, & quam decora carissima.*

58 Igitur si tanta, talique venustate præfulget alma Virgo Maria, quid mirum, quod ut primò eam cernens aspectu, magnus ille Areopagi Doctor Dionysius, coram aliquo ferè Numine ductus exclamavit. *Nisi scirem alium esse Deum, hanc ut Deum adorarem!* Et ut idem ad Paulum scribens Apostolum, suam in præfata visione quasi extasim enarrans, inquit. *Tantus divinus splendor me circumfulsit, ut neque corpus, neque spiritus posset tantæ fœlicitatis insignia sustinere.* Quid item

Digitized by Google

mirum, quod velut ad contuitum radiorum ſolarium allucinatus Joſeph; non cognoviſſe dictum eſt eam? Quidve denique mirum, quod Seraphim ipſi, ſe beari æſtimantes velut ad conſpectum divini objecti, ut exoptantes eam aſpicere, obſecrantes de Cœlo ipſam, inclamare audiuntur in Canticis 6. *Revertere Revertere Sunamytis, ut intueamur te.* Itaque cum tot prævalida amoris indicia præbeat Virgo Deipara ob ſuam ſupereminentem pulchritudinem, quis unquam audebit amandam minimè fore? Quis ad eam, ut ad ſcopum amoris, univerſorum corda ferri non afferet, animaſque dulci vi adhibita rapi?

58 Quod & præterea ſuademus ex plenitudine quam, ut mare magnum gratiæ poſſidet. Quoniam cum univerſæ bonitatis fonti, omniumque donorum, gratiarumque opifici, omnibus, quibuslibetque cæteris cœleſtibus civibus propior ipſa ſit, ut cum Divo Dionyſio cap. 4. Cœleſt. Hyerar. aſſeverat Angelicus Doctor 3.p. q.24. a. 5. conſequens eſt, quòd pleniori ſuper omnes cœleſtis Curiæ Spiritus cumulata ſit gratia. Quod concludens Angelicus in præcitato inquit: *Quod quo magis aliquid appropinquat alicui principio, eo magis participat de ratione illius principii, ut quo magis appropinquat aliquis igni, eo magis ignitur. Unde cum Beata Virgo ſit propinquiſſima Chriſto, quia ex ea humanitatem accepit, maiorem præ omnibus aliis debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.* Conſtat autem Chriſtum, ut Deum cauſam eſſe gratiæ Principem, ac primariâ, vt verò hominem cauſam ejus eſſe miniſterialem, ac ſecundariam: principalem tamen,& excellentię,ut loquitur D.T.3.p.q.64.a.3.

59 Quamobrem tantam ad modum gratiæ plenitudinem,luminumque amplitudinem, extaticus exul in Pathmos, ut permirum annotans obiectum in Cœlis, in ſuis inquit viſionibus cap. 12. *Signum magnum apparuit in Cęlo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Perinde ac ſi in ſe ſola tantummodo cuncta Cœlorum lumina comprehendens, cæteris quæ ſunt diviſa dona Beatis, Angeliſque ordinibus, ipſa ut omnibus ſupereminenter elata, tamquam Univerſi Regina in ſe contineat, ampliorisque pompa refulgeat. Quocirca Divus Hieronymus ſic item penè proſpiciens, ſcribens ad Paulinam,& Euſtachium ait, ſerm. de Aſſumptione. *Cæteris per partes, Mariæ verò totam ſe infudit gratiæ plenitudo.*

60 Non ergò mirandum, quod videntes eam ad Cœlos pervolantem, mirabundi exercitus Angelorum, alter ad alterum velut inquirentes clamabant, ut refertur ex ore Divini Sponſi cap. 8. *Quæ iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* De qua ſic perampla gratiæ copia, virtutumque affluentia,dulcè reſonans ipſius Beatę Virginis jucũdus ejus Filius melliſluus Abbas Clarevallenſis, ita fatur. ſermone 4.de Aſſumptione. *Quidnè delicias dixerim, Virginitatis decus, cum munere fœcunditatis, Humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis favum, Miſericordiæ viſcera,*

Digitized by Google

ſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis? Eamque ut magnificam Reginam Sabam contemplatur Divus Ambroſius lib. 1. de Virginitate ſcribit ſuper illud Canticorum cap. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendet per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus Myrræ, & Thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? Quia ſcilicet multis erat repleta virtutum odoribus, ex ea namque flagrabat ſuaviſſimus odor in ſpiritibus Angelicis.* Quod utique gratiam, quæ radix omnium virtutum eſt, conſequenter oſtentat, quam velut ex uberrimo fonte ex ſe, unà cum donis omnibus, & virtutibus, cominus, eminuſque profundens, amplitudinem nimirum patefacit illius gratiæ, qua cumulatè peraucta, totis perfuſis orbibus, aſtra cuncta præditavit Angelica.

61 Si tam ergò divino gratiæ lumine plena eſt Beata Virgo Maria, quis non illam, niſi monſtrum fuerit aliquod ex tartareis exortum Orcis, aut lapideis conſtans, ferreiſque viſceribus, ardentiſſimo non excipiat amore, cordeque peramet? Ad quod flammeũ opus ad ſuos Fratres intẽdens obſequentiſſimus ipſius B. Virginis ſervus Abbas Clarevallenſis ſerm. de Nativitate ejuſdem, ait. *Intuemini Fratres, quanto devotionis affectu à nobis Mariam, Deus voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria.* Et Beatus Albertus Magnus, ipſiuſmet Virginis Beniamin amatus, poſt copioſum ſermonem actum de immenſitate gratiarum quas in ſe congeſſit ipſa Beata Virgo, concludit. *Ex his ergo manifeſtum eſt, qualiter Beata Virgo, omni gratia, omni plenitudine, omni ratione plenitudinis, & omnibus modis, gratia plena fuit.* Undè meritò ſuper illud Geneſis 1. *Et congregationes aquarum vocavit Mariã, ideſt Maria*, ſubdit, & exponit Doctor Seraphicus Divus Bernardinus Senenſis. Et ſuper illud Proverb. 3. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Proſequitur gloſſa, ideſt. *Tu ſola, quæ in cæteris ſunt diviſa dona Beatis, tamquam Theſaurus excedens, in te collecta, exultare ditiſſima vales.*

62 Cum ergo tam gratia ſplendeat Beata Virgo Maria, tamque divino lumine fulgeat, perſpicuè claret, quam abſonum ſit, quamque infandum aſſerere, amandam ipſam minimè fore. Et quam è contra perindè conſonum, illam ad ſimilitudinem Filii, ex tota anima, ex tota mente, totiſque viſceribus peramandam. Perſpicuum eſt enim quam iſte gaudeat, gratumque habeat amorem, honoremque erga ſuam exhibitum Genitricem, quod benè comprobat ex præmiis, quæ ſuam diligentibus: ac decorantibus dilectiſſimam Matrem, indubitatè ſpondet, & fusè confert. *Quod ipſamet Eccleſ. 24. confirmat inquiens. Qui elucidant me, ſubde cum aliis, & diligunt me, vitam æternam habebunt.*

63 Ex quo tandem dicimus tertiò, tanto dignam eſſe amore Beatam Virginem Mariam, quia ſumma noſtra Benefactrix. In quo non eſt quod multum immoremur: quoniam Univerſ[illegible]lamat ipſum per aſ-

Digitized by Google

ſiduum, quem recipit ex ſupremo Cœlo Cœlorum Virginis Mariæ gratiarum influxum: Unde cum homo magis debeat diligere Benefactorem, quique eſt principium maioris boni in beneficiato, excellentioriſque boni rationem habet, ut docet Divus Th. 2.2. q. 26. a. 12. Beata Virgo Maria, quę poſt Deum, principiũ eſt omnium noſtrorum bonorum, omniſque fortunæ, proùt per manus ejus dona tranſmittuntur ad homines magis, magiſque diligenda eſt, ac intus in corde ſemper habenda. Unde ſicut aſtra veluti recognoſcentia, per lumen effulgere profuſum in eis ab ipſa fulgentiſſima Virgine Deipara amicta Sole, obſequentia, coronam intexunt ei, ut Auguſtiſſimæ Cœlorum Imperatrici: Ita & homines cum ut Solem proſpiciant ipſam irradiantem per orbes, ac lumina profundentem bonorum, maximò debent eam agnoſcere, excolereque amore, nec non ei, & ipſi Coronam inflammantium texere cordium, de quo ſibi complacens piiſſima Mater, tanquam de filiorum benè obſequentium, affectu feſtiva, ad illos videtur verſa fateri. *Gaudium meum, & Corona mea.*

64 Tum item cum mare magnum, Oceanumque ipſa ſit omnium gratiarum, unde Maria cætera bonorum profluunt, fluminaque donorum? Eo pacto, quo iſta idem maximum mare repetunt, redeuntque ad illud, à quo perenni fluxu, refluxuque torrentium undas ebibunt. Homo jure grati animi, fas eſt, ut per amorem redeat ad illam, ex qua ut ex Abyſſo donorum gratias uberrimè recipit. Abyſſus equidem donorum, quorum ſi vis computum facere, numera ſtellas ſi potes, Circumi univerſum, undique volve oculos, à ſummo Cœlorum pervola uſque ad ima deorſum, ipſiuſque ſinum abyſſi, dexteram, lævamque orbium proſpice, angulum haud obvium habebis, ejuſque particulam non videbis, in qua ſculptum non admiraberis ipſius almæ Reginæ Nomen, ejuſque per aliquam ibi gratiam actam beneficam largitatem.

65 Ad hanc profectò magnanimæ Heroidis amplitudinem reflectens animo Beatus Albertus Magnus, ſuper miſſus eſt cap. 195. facta comparatione inter ipſius Miſericordiam, ejuſque gloriam, ampliorem, inquit, eſſe ipſius Beatæ Virginis dignitatem per donum Miſericordiæ, quam ipſiuſmet gloriæ. Quod comprobat ex eo, quod Miſericordia per totum extenditur univerſum, non autem gloria. *Gloria namque* (ait ipſe) *tantum eſt in Cœlo, non in terra, non in inferno, non in Purgatorio; Miſericordia autem eſt in Cœlo, in terra, in inferno, & in Purgatorio, ergo maximum Regnum eſt Miſericordiæ, ergo maxima Regina, debet dici Regina Miſericordiæ.* Cum ergò Glorioſa Virgo Maria Mater ipſa ſit Miſericordiæ, gratiarumque Theſaurus, per totum ſe diffundit longè, latèque per orbem, ac per conſequens ſuam exhibet amoris dignitatem, hominumque ubili[illegible]d eam jus præbet amandam,

66 Ve-

Digitized by Google

66 Verum pro innumeris, quas concedit humano generi gratiis, sat sit memorare, maximam, ut fuit parere Mundo pro ejus salute Verbum ipsum divinum. Portentum quidem mirandum, & verè *Signum magnum, sivè in Cælo sursum, sive in terra deorsum*, ut præcinit Isaias Propheta cap. 7. & meritò per Sacros Canones appellatum, *Miraculum Miraculorum*. Quod profecto potissimum beneficiorum est, ac non plus ultra donorum, cum primus fons sit omnium, ac origo bonorum, indeque eorumdem effusa largitio. Quocirca Magnus Basilius immensum miratus in tam præcelso Mysterio divinæ Magnificentiæ opus inquit homil. 25. *Quæ est dispensationis hujus officina? Virginis Beatæ Corpus*. Ipsemet sibi respondet. Totius nostri boni scaturiginem innuens, totiusque fortunæ Thesaurum, præfatus ex illo Ecclesiast. 24. Ego quasi fluvius Dorix, & sicut aquæ ductus exivi de Paradiso Dei. Dorix interpretatur abundans, unde rectè pro illa sumitur, quæ uberrima in gratiarum effusione, copiosè protluit de paradiso Dei. Affluentiam profectò illius fontis in se perennem indicans, qui de sinu Paradisi erumpens, universam irrigat gratiarum fluviis, superficiem terræ, totum nempè orbem ob illarum plenitudinem velut inundans.

67 Hinc actum est, quod ille Deus, qui Deus ultionum vocabatur, Deus igneus, & vindictæ, Deus Misericordiarum postmodum est appellatus, Deusque totius Consolationis. Non ergo absque Mysterio signum Virginis in Cœlo, interpositum videtur esse ad Leonem, & Libram. Ad Leonem, qui est flammeus, notamen est caloris, & ferocitatis. Ad Libram autem, quę justitiam præsefert, ac rigorem. Quoniam ut statuta itidem tamquã nostra mediatrix Virgo Deipara inter Leonem, & Libram, reprimere innuitur divini Leonis ferociam, ejusque integerrimæ justitiæ rigorem. Quod fortè prævidens Regius Vates psallere auditur in Cantico 84. *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tuę, operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam*. Quarum dona gratiarum, pietatisque insignia benedictionis, remissionis, omnisque iracundię lenitatis, nonnisi in sinu perfecta sunt Virginis Deiparæ, ex qua velut ex omnium fonte bonorum, tot in nobis dona perfusa sunt, gratiæ consperſæ. Tantę igitur largitati bonorum, quonã quęso consonandũ est amore? Profectò super numerum arenæ maris, oporteret illum in affectibus flammare suis, cum sic innúmera sint ex ipsa Regina Cœlorum, ab eo bona percepta.

68 Ex quorum infinita propemodum mirabilium seriè, nonnulla libeat ex illis exempla referre, ut plenius agnoscatur, qnam opportunus sit quamque proficuus erga illam impensus amor, atque devotio. Quod benè experimento probavit quædam Virgo Monialis nomine Beatrix, (ut habetur ex libro Cæsarii) specioſa Corpore, sed specioſissima corde, ob suam non modicam devotionem, & præcipuè ferventissimam,

quam

Digitized by Google

quam erga Beatam Virginem Deiparam agebat, nil dulcius in se reputans, nilque delicioſius quam ad illam ſuas fundere orationes. Accidit, ut munus Cuſtodis domus, ei concreditum fuit, quam quidam adoleſcens aſpiciens, & avidè concupiſcens, medium non prætermiſit, neque modum, ut illam ad ſuum traheret amorem. At Caſta Virgo Beatrix, ut Turris fortiſſima, ad tot impetus inſidiantis, ſpretis precibus, promiſſis, muneribuſque rejectis, invicta diù obſtitit. Verùm quia calliditas antiqui ſerpentis peracuta eſt ad jaculanda corda, eaque ulceranda, ita ſimplicem, & candidam Virginem ſuis fœdavit affiatibus, ſpecies immittendo, fictaque phantaſmata de Mundi jucunditatibus, carniſque oblectamentis, quod paulatim remiſſa conſtantia virginei pectoris, pravo ſuccendit illud amore, adeo ut flammam ejus ferre non poſſet, eoque tandem deducta, ut ad Altare Beatæ Virginis accedens, ſic ait, Domina mea, quo devotiùs potui ſervivi tibi, ecce claves tuas tibi reſigno, ſtimulum carnis, diutiùs ſuſtinere non valeo: Poſitiſque ſuper altare clavibus, clam miſera ſequuta eſt adoleſcentem amaſium, quam perfidus ille, ſcelus ad ſcelus addens, cum corrupiſſet, poſt dies paucos contempta, abjecit. Sic ergo derelictam ſe miſerè Beatrix, flens largiter, aſpiciens, nec haberet unde viveret, & ad clauſtrum redire erubeſceret, ad lupanaria ſe ducens, facta eſt meretrix, in quo ſtatu, cum annos quindecim tranſigiſſet; die quadam cum habitu quo degebat ſeculari, recordata Monaſterii, ad portam illius venit, quæſivitque ab ibi aſſiſtente hoſtiario dicens. Frater mi, noſti Beatricem, quandoque hujus Monaſterii Cuſtodem? Reſpondit ille. Optimè novi. Eſt enim Domina valdè proba, & Sancta, & in hoc Monaſterio degens. At illa verba hominis annotans, ſed non intelligens, dum abire vellet, domumque adire. Mater Miſericordiæ in effigie nota obvia ei facta dixit. Ego ſpatio quindecim annorum abſentiæ tuæ vicem egi, tuum ſupplens officium, nunc ergo revertere ad locum tuum, & pœnitentiam age, quia nullus hominum novit exceſſum tuum. (In forma ſiquidem, & habitu illius, Dei Genitrix vices egerat cuſtodis domus.) Mox ergo ingreſſa Beatrix, quādiù vixit gratias egit de tāta gratia Dei Genitrici, ac per confeſſionem circa ſe geſta manifeſtans, pœnitentiam non omiſit aſperam agere, ut ei divina Benefactrix iniunxit. Exemplum omnibus præbens quam peramanda ſit, quamque perpetuò colenda piiſſima Dei Mater, peccatorumque refugium.

69 Ad cujus æquè, aliud inter innumera non eſt omittendum mirabile factum, ut legitur in Mariali. Quod nempe tempore florentis Ordinis Ciſtercienſis, duo fuerunt ejuſdem ordinis Monaſteria, non longè à ſe invicem diſtantia. Unum mulierum, aliud virorum, in quibus vigente pariter regularis obſervantiæ rigore, pariformiter, & ſanctitas efflorebat. Præſertim autem annotabatur in eis ſimilitudo duorum,

Digitized by Google

rum, ſicut in officiis, ita & in vitæ ſanctitate. Et iſti erant domus ſuæ ambo cuſtodes, monialis videlicet ſuæ, ſicut & pro ſua Monachus: Quique mutua charitate viciſſim prout uni quid opus eſſet, ſubveniebatur prompte ab altero: Talem autem ſuæ charitati cuſtodiam cauti adhibebant, ut neutiquam ſibi corporali præſentia appropinquarunt, aut familiariter alloquentes congreſsum aliquem permiſerunt. Grandis ergo fervebat in eis amor Dei, ſed ſpeciatim tenerrimus erga Beatam Virginem Matrem ejus, pro cujus amore, in miſeros, & inopes miſericordes, & condolentes quamplurima peragebant opera pietatis. Cuſtos verò Conventûs virorum, ob ſingularem ad ipſam Beatam Virginem devotionem, & obſequium, Imaginem quamdam ejuſdem, ut maximè potuit pulchetrimam depingi fecit, ſub cujus pedibus è converſò imaginem dęmonis, quo turpiùs, ac deformiùs excogitare valuit; imprimi juſsit. At Superbiſſimus Spiritus ad ingentem ſibi contumeliam hoc reputans, ferre non valens, ſub pedibus ſic jacere perhorridum, ſpecioſiſſimæ Reginæ Cœli, vndè ampiùs, utpotè iuxta oppoſitam illius ſpeciem poſitus, ſua deformitas apparebat. Nocte igitur obivius Cuſtodi factus, terribili, & iracundo eum intuens oculo, in hæc verba prorupit. Cur tale mihi opprobrium intuliſti, ut me tam turpi forma depingi feceris, ſub pedibus ità pulcherrimè effictæ Dominæ tuæ Mariæ? Niſi me citiùs depoſueris, talem tibi confuſionis pœnam importabo, ut te me ſic offendiſſe, non modicè pęniteat. Quo audito, cum viſionis ejus horror paululum abſceſſiſſet è pectore Cuſtodis, ſic iſte audacter reſpondit, Recede à me Sathana, tuas minas minimè paveo, cui ego ſervio poterit me benè de tuis unguibus eripere. Quo dicto, dęmon velut in fugam verſus, minanter evanuit.

70 Poſt hæc, tranſacto aliquo temporis intervallo, cum cuſtos minarum dęmonis nullatenus memoraret, ejuſque doli inſcius, ſibi minimè provideret, Diabolus confuſionem, quam illi promiſerat, Deo permittente, curavit. Quapropter nocte quadam ante matutinas, ſpeciem prædictæ Mulieris Monialis alteriùs monaſterii cuſtudis aſſumens, ad cellam cuſtodis, velut introitum poſtulans pulſavit. Cuſtos verò inſuetus ad intempeſtivum tali tempore rumorem ſurrexit, & aperiens cellæ januam, quiſnam ibi eſſet, aut quid ſibi vellet inquiſivit. Cui Diabolus. Ego inquit, Amica tua cariſſima ſum, hujus huic proximi Monaſterii cuſtos, quæ quoniam in tui amorē vehementer exarſi, & amoris vehementia, à te ampliùs abeſſe nō potui, huc ad te veni dilecte mi, ſub tenebris de meo Monaſterio diſcedens, ejuſq; prerioſiora aſsūpſi, mecūq; attuli, quæ nobis longo temporis ſpatio pro vitæ neceſſariis ſatis eſſe poſſunt. Nunc ergo ſurge velociter, omnique mora poſtpoſita mecum aſſociare, quod ſi quid pretioſiùs de tuo Monaſterio vis aſſumere, ſume, pergamus in regionem longinquam, ubi cupita poſſimus mutua perfrui

Digitized by Google

frui præsentia, exoptatisque amplexibus. Hæc autem dum Sathanas extrinsecùs suggerebat, non otiosè intrinsecùs ad cor ejus se habebat, quin potiùs ardentiùs illud incendens, ad exposita stimulabat oblectamenta. Quare jam victus custos, negligens ad orationem perfugere, qua petenda à Deo luminis veræ cognitionis ope opus erat, colligens in unum,& ipse sui Monasterii pretiosiora, unà cum Diabolo velut cum Custode dilecta à Monasterio fugam petens abscessit.

71 Cum autem per aliquantulum de Monasterio spatium recessissent, lachrimabili voce Diabolus conquæstus est, sed quemdam pretiosissimum Monasterii sui adamantem, auro, gemmisque compactum, fuisse oblitum, quem longè super omnia cætera secum allata præcellere noscit in valore. Undè dixit ad custodem. Tu interim hic sede amice carissime, meumque præstolare paulisper huc reditum, quia ego citiùs quam potero, quæsito, & allato illo, festina ad te mi care redibo, & osculo dato abiit: Credidit immemor cor ad Cœlum dirigere simplex custos, qui abscedente Diabolo, solus cum furto remansit in campo. Diabolus verò postquam à Custode recessit, ad Monasterium ejus evolavit, & ejus dormitorium ingressus, horribilem commovit strepitum clamans alta voce. Surgite,& citiùs,Custodem,qui cuncta furatus est insequentes comprehendite.Surrexit ad clamores Abbas, & cum eo totus Conventus, & perlustrantes singulas clausuras, apertas eas, ac pretiosiora quæque Monasterii sublata invenerunt. Quapropter unanimiter Monasterium egressi, ut Custodem insequuti, non longè ab illo, solum invenerunt, simulque cum eo furtum. Quem comprehendentes, cum quid diceret, furto præsente confusus non inveniret, secumque vehementer tacitus miraretur quomodo in tale perveniisset infortunium, eum in Monasterium reducentes, iniiciunt in carcerem,compedibusque constrictum,usque in diem crastinum quando de facto melius deliberaretur, dimiserunt.

72 Cum ergo Custos facti turpitudine confusus,solus sederet in carcere, secumque mirabilem casum tacita mente, cordeque contrito revolveret, & præ cordis angustia erumpentibus lachrimis amarissimè fleret,, solatiumque sibi sub sole nullum supereſſe conspiceret, summisso, ac verecundo corde, ad omnium desolatorum consolatricem piissimam Virginem Mariam confugit, eamque sic supplex exoravit, O Cœlorum universique Regina, atque omnium peccatorum misericordiosissima Mater, & Patrona. Quoniam ut nosti devoto pectore me tuis dicavi obsequiis, per tuam infinitam clementiam te deprecor, ut mihi in tam lachrimabili circumvento casu subvenire digneris. In te dumtaxat post Deum vixi, atque speravi, & in te perinde vivo, spero, ac in æternum vitam meam, ducam, atque sperabo. Peccavi, pœnitet me sic egisse; parce Regina Misericordiæ, succurre. Cumque

sic

Digitized by Google

sic in oratione jaceret, totiusque spei anchoram in Matrem Misericordiæ viva fide innixisset. Ecce Sathanam in forma, qua eum depingi fecerat, adesse conspexit, ac sibi suum infortunium improperantem, atque dicentem. En quomodo quod tibi ante promiseram, ut scilicet de mihi facta iniuria tibi redderem talionem, jam persolvi. Ad hæc dæmonis per ignominiam dicta, custos cordis dolore confusus, quid illius responderet impropriis non invenit. Tunc ait Diabolus; Jam ego quod tibi ante promiseram nunc me cognoscis implesse, sed tamen Maria Domina tua mota, quam ad te gerit, compassione, me imperiali potentia, quod invitè facerem compulit. His dictis dæmon accessit, & excusso cyppo, quo compeditus erat custos, liberavit, & vt illinc recederet injunxit: Custos ergò cellæ suæ secreta petiit, & Diabolus in forma Custodis transformatus in cyppo, carceri, pro eo invitus, & compulsus resedit.

73 Custos autem plenus lætitia pro Misericordia Glorioſæ Virginis cuius Imperio fuerat liberatus, gratias quoad fieri potuit pro tunc retulit, tempusque matutinum hilaris expectavit: Cumque prope esset, quod impulsu horologii tempus matutinorum significaretur, (quod tunc ab altero Fratre pro ejus vice appositio expectabatur) Ecclesiam introivit, atque ut consuetus egerat, de cantandis Matutinis signum Monachis dedit. Quod ut Frater substitutus ad pulsandum, audivit, mirabatur quisnam ibi esse potuit, qui ipsum pulsanldo adhuc ante tempus præveniſſet? Unde ad Ecclesiam festinus accurrit, & Custodem pulsantem inveniens, cum vehementer miraretur, Abbatem, ac cæteros Fratres adiit, & quod Custos fracto carcere violenter aufugisset, vociferavit. Surgentes illi carcerem adeunt, atque ut eis videbatur, Custodem incarceratum, ut eum ante relinquerant invenerunt. Indead Ecclesiam pergentes Custodem juxta solitum pulsantem aspiciunt. Conversus ad Fratres dixit Abbas. Tota hac nocte Fratres mei diabolica sumus deceptione vexati. Et accepta aqua benedicta cum pulsantem Custodem asperſisset; ille asperſionem humiliter, ut verè humilis erat, reverenter accepit. Completis Matutinis à Choro ad carcerem cum Conventu rediit: ubi ut sibi videbatur Custodem incarceratum sedentem invenit. Cumque eum (ut vero Custodi ante facerat) etiam aqua benedicta asperſisset, ille perfuso magno fœtore, ut fumus evanuit. Sicque discordiæ seminator maleficus, pœnam sui maleficii subiit invitus, & Fratres cum Custode pacificavit.

74 Custos quoque suæ liberationis non ingratus, nec immemor, studuit adjutorio Virginis Glorioſæ in virtutibus proficiendo pro sibi impenso beneficio gratus existere, & in obsequio ejus aspirante gratia, usque in finem vitæ suæ amplius efferveſcere. Fratres verò missis nunciis in prænominatum Monasterium Virginum, num de hoc negotio

Digitized by Google

nocte illa, aliquid percepiſſent, explorare ſtuduerunt: At quoniam rei veritas nulli hominum dempto cuſtode patuit, nullibi aliquid inde auditum fuit. Cuſtos autem rei eventum uſque ad vitæ ſuæ ultimum, ſecretum tenuit: nullique aperuit, ſed cum vicinæ mortis ſignis prodeuntibus ſe ab hoc ſeculo migraturum eſſe cognoſceret, totius rei geſtæ ordinem indicavit Abbati. Ad gloriam, & honorem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, nec non ejuſdem Amantium ſpem vivam, ac ſublevamen: Demumque quam digna ipſa ſit amore, & ob præſtantiſſimam ejus pulchritudinem, ſupereminentem gratiam, perque ingentia, quæ innumera confert, nullo puncto temporis intermiſſo, beneficia.

75 Hinc remanet ſermonem agere de amore erga cæteros Sanctos, quamque pariter, & ipſi à nobis amandi ſint, ardentique ſtudio obſequendi affectu. Quod item ſibi rationem vendicat. Tum quia etiam, & ipſi gratia Dei effulgent. Tum quia benevoli noſtri ſunt erga nos charitate flagrantes, egregièque fideles amici: ac perinde generoſi Benefactores, apudque Divinum Monarcham intrepidi mediatores. Collucent ex divinæ gratiæ lumine radioſi, utq; ſydera effulgentia in Cœlis, ad amorem in contuitu venuſtatis ipſorum, mortales excitant, & incendunt. Unde ſapiens pulchritudinem Cœli noſcens ex aſtrorum innumeris exercitibus Eccleſiaſt. 43. inquit. *Species Cœli gloria ſtellarum ejus.* Quam cœlicam ex myſticis Cœlorum aſtris exortam formam, proſpiciens ex hoc orbe fidelis, nequit, niſi marmoreus ſit, aut ferreus, à ſpecie illius tractus, non ſuccendi erga illam amore. Fixis oculis ad Solem Aquila, ceù in extaſim rapta in ejus videtur amorem igneſcere, & velut in objecto affixa beante, ægrè ferens abduci, vix ab eo patitur amoveri. Sublimius Aquila pollet acumine, utpotè intellectu præditus homo, undè ad ſpeciem meditandam cœleſtium illorum luminum invitatus, non eſt, quod in eorum non inardeſcat amore, ex eorum ſplendore raptus, aſpectuque gratiæ illectus. Quo ſummam admiratus divini Opificis æquitatem, per quem, ut refert Apoſtolus, *Stella ſuperat Stellam in claritate*, ſummis eum laudibus effert, quod pariformiter difformiter; juxta prævia uniuſcujuſque merita, radios ſuæ lucis emittit emicantium præmiorum.

76 Hic inſuper amor, ò quam excreſcere debet, amorem è regione proſpiciens ipſorum cœleſtium Heroum, fideliumque amicorum, qui æterna charitate flammantes, ſuique præcipuè memorum neutiquam immemores exiſtentes, pro fidelibus exorant. Quod D. Th. 2. 2. q. 83. a. 11. ratione confirmat. *Quia cum oratio pro aliis facta ex charitate proveniat, quanto Sancti, qui ſunt in Patria, ſunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt, & quanto ſunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet*

Digitized by Google

bet enim hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiori refundatur, sicut ex claritate Solis in aerem. Cum ergo charitas amor sit amicitiæ, & in Sanctis tam ardenter pro nobis ferveat, qua vicissim debemus nos ipsis pro tanto amore, amore correspondere? Utique, ut quo maximo possumus: alias ingentem ingratitudinis notam incurreremus, ac perfidiæ reatum. Quis enim unquam fidelium fuit, qui de Sanctis, nonnullum saltem, habeat patronum in periculis propugnatorem, suisque in omnibus opportunitatibus tamquam verum subvenientem amicum? Clamores hoc pleno approbant ore invocantium in necessitudinibus illos, eosque implorare ad vicem Advocati sedulò apud Deum agendam. De cujus advocationis pio munere certiores nos Apostolus facit, sumpto capite velut exemplari à Christo Domino, de quo scribit ad Hebr. 7. *Accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis.* Et propter hoc Hieronymus contra Vigilantium; *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro aliis orant, quanto magis post Coronas, victorias, & triumphos?* Quicumque igitur erga tam adjutores, denegandum reputat fore actum amoris, maximæ dicas esse impietatis, imò & brutis ipsis vesaniorum, cum opus à se removeat, quod belluæ ipsæ suos agnoscendo benefactores, mansuefactæ in dies exercent.

77 Præterea valeat arguere tandem ab oppósito ad oppositum, sivè à fortiori de minori ad majus. Docet enim D. Th. 2. 2. q. 27. Peccatores ex charitate diligendos esse, nec non inimicos, ipsosque dæmones. In articulo namque sexto de Peccatoribus sic resolvit in *Respondeo dicendum, quod in peccatoribus duo possunt considerari, scilicet natura, & culpa. Secundum naturam quidem, quam à Deo habent, capaces sunt Beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundatur: & ideo secundum naturam suam sunt ex charitate diligendi, sed culpa eorum Deo contrariatur, & est beatitudinis impedimentum. Unde secundum culpam, quæ Deo adversatur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater, & mater, & propinqui, ut habetur* Luc. 14. *Debemus enim in peccatoribus odire, quod peccatores sunt, & diligere quod homines sunt beatitudinis capaces, & hoc est eos verè ex charitate diligere propter Deũ.* Ergo à fortiori diligendi sũt ex charitate Sancti, & propter naturã, qua homines sũt, in capacitate cõvenientes beatitudinis, & propter gratiã, qua omni ad Deũ oppositione remota, sũt illi intimè copulati, imò ut illius essẽtiæ participes in illũ trãformati.

78 Ulterius in a. 8. de inimicis agens, ac ex illo Matthæi 5. resolvens. *Diligite inimicos vestros. Respondet dicendum, quod dilectio inimicorum tripliciter potest considerari. Uno modo, ut inimici diligantur in quantum sunt inimici: & hoc est perversum, & charitati repugnans, quia hoc esset diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali, & sic dilectio inimicorum est*

Digitized by Google

de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio, &c. Ergò à fortiori de necessitate charitatis diligendi sunt Sancti, qui amici nostri sunt, quique valdè nos diligunt, ubique nos protegunt, & in omnibus, in quibus nos indigos vident, opem ferre præsto noscuntur. Et propter naturam, inclusi, & multo magis ipsi in genere dilectionis proximi, cum exemplo Christi Domini, etiam & ipsi hominem ærumnis afflictum, Samaritani vices gerere misericordia moti, non dedignantur.

79 In articulo tandem undecimo. *Utrum debeamus dæmones ex charitate diligere. Respondendum est*, inquit, *quod aliquid ex charitate diligitur dupliciter. Uno modo sicut ad quem amicitia habetur, & sic ad illos Spiritus, charitatis amicitiam habere non possumus. Pertinet enim ad rationem amicitiæ, ut amicis nostris bonum velimus. Illud autem bonum vitæ æternæ, quod respicit charitas, spiritibus illis à Deo æternaliter damnatis ex charitate velle non possumus. Hoc enim repugnaret charitati Dei per quam ejus justitiam approbamus. Alio modo diligitur aliquid sicut quod volumus permanere, ut bonum alterius, per quem modum ex charitate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum. Et per hunc modum, & naturam dæmonum etiam ex charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.* Quo ergo potiori jure, ut sydera ad tartareas opposita umbras, diligendi ex charitate sunt Sancti? Utramque namque rationem diligendi possident; & bonum puta vitæ æternæ, quod respicit charitas: & vim Creaturæ permanentis ad gloriam Dei: Per omne itaque caput, ac omni versu amandi sunt, totisque flammeis obsequendi visceribus. Sicut, & suo modo Christus Dominus tamquam piissimus Pater noster: ejusq; Virgo Immaculata Genitrix, ut piissima Mater nostra, ipsique denique Sancti omnes, ut Fratres dilectissimi nostri.

80 Quam autem laudabilis sit, ac frugifer ad istos directus amor: libeat audire de quodam fratre, ut fertur ex vitis Sanctorum Patrum, qui tam devotus, & obsequens erat ad Christum Dominum, & Sanctos ejus, quod quodlibet festum eorum habebat sigillatim in charta depictum, & veniente die celebrationis ejus, pendente in pariete charta, imaginibus ejusdem festi expressa, ante illam sedens, eamque fixè, devotæque inspiciens orabat jugitèr, & fusè gemebat. Tam etiam devotus erat ad festa Beatæ Virginis, quod quodlibet illorum præveniens, ut commodum sibi suppeteret tempus, millies salutando illam, mille recitabat Ave Maria. Tamque tandem devotus ad festum omnium Sanctorum, quod acta veluti prævia dispositione ad illud, per integram hebdomadam jejuniis, & castigationibus ad suscipiendam

dignè

Digitized by Google

dignè festum se parabat, & indè quasi octavarium ad honorem illorum peragens, sedula devotione in egregiis virtutum actibus se ardenter exercebat. Iste verò tam obsequens, tamque devotus in Sanctos, Sanctumque Sanctorum, in die omnium Sanctorum migravit ad Dominum. Postque nonnullos dies ad certiorandum de mercede suæ devotionis, apparuit cuidam servo Dei in somnis, perjucundus, & pulcher, indicans se Sanctorum Collegiis felicissimè sociatum.

81 Quam autem pro æternæ adeptione vitæ, præfata necessè sit charitas, innumera in sacra pagina, Sanctisque Patribus, sacrisque Doctoribus testimonia clamant: Verùm pro complemento capitis nostri dicti, attendamus ad id solum, quod cum Apostolo loquens, inquit Divus Augustinus serm. 50. de verbis Domini, quo relatis verbis Apostolicis, nempè quod charitate sublata, pro nihilo reputatur agens quæcumque grandia facta, etsi mirabilia patrans, sic suam inferens optimè consequentiam ait. *Adde charitatem prosunt omnia. Detrahe charitatem nihil prosunt cætera. Quale bonum est charitas ista Fratres? Quid pretiosiùs, quid luminosiùs, quid firmiùs, quid utiliùs, quid securiùs? Nulla sunt Dei dona, quæ tamen habent, & mali, qui dicturi sunt. Domine in nomine tuo profetavimus, in nomine tuo Dæmonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Non respondebit ille, non fecistis. Non enim in conspectu tanti Judicis audebunt mentiri, aut jactare, quæ non fecerunt, sed quia charitatem non habuerunt.*

82 Et super psal. 90. hoc idem insinuans in fine concludit. *Attendite ipsum Dominum, qui hoc promisit in Evangelio dicentem. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Et quasi diceretur ei, & quid ei dabis, qui diligit te? Ostendam,* inquit, *meipsum illi. Desideremus, & amemus, &c.*

83 Pro amore autem ad Beatam Virginem, sat sit prædilectum suum audire mellifluum filium D. Bernardum serm. de Nativitate illius. sic dulciter eloquentem, suosque Fratres exortantem. *Intuemini Fratres quanto devotionis affectu à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Mariam: ut proindè si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè delictarum, quem non modo afflaverit veniens, sed ut perflaverit Auster ille divinus, ut undique fluant, & effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

84 Pro ad cæteros verò Sanctos amore, nec non ad eos imitamine, aureum audiamus consonantem D. Chrisostomum serm. de Martyr. Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique justorum gloriæ fre-

Digitized by Google

frequenti laude colloquitur, eorum mores Sanctos, atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat alicujus Sancti meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat; ut qui alium laudat, laudabilem se reddat: & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea justos, fideleſque diligimus, quod in ipsis justitiam, fidemque suspicimus: possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi, quod faciunt, &c.

85 His ergo de præfato amore actis, remanet ad prorsus evertendum Molinicum assumptum, enucleare ipsius esse, aut qualitatem amoris, quem putat Molinos, esse sensibilem, ex eo quod objecta ad quæ fertur sensibilia sunt, ac perinde ab animabus non amanda internis. Quod planè crassa Miverva sapit, nec discriminans ab insicia simplicitate aliquorum antiquorum Philosophantium, non secernentium sensum ab intellectu, unde vim non trascendentes imaginativæ, omnia reputabant corpora, & sensibilia, omnesque per consequens actus sensibiles, & corporeos, ut de ipsis loquitur D. Th. 1. p. qu. 84. a. 1. Quod nempè primi Philosophi, qui de naturis rerum inquisierunt, putaverunt nihil esse in mundo præter corpus. Secundum ergo veridicum Philosophantium sensum mentis, imò secundum Catholicam fidem, variam intellectum esse facultatem à sensu, sicut & voluntatem ab appetitu sensitivo, naturam consequentes, & esse spirituale formæ à qua ortum habent, & in qua subjectantur, ut est ipsa rationalis anima, & hæ potentiæ, ad universa pertingenda entia amplitudinem habent, tam scilicet supremi, ac primi ordinis puta spiritualia, quam imi, vel inferi uti sunt omnia corporea, seu materialia, hæc attamen suo pacto immaterialiter, & immobiliter, & ut verbis utamur D. Th. 1. p. q. 84. a. 1. *Intellectus species corporum, quæ sunt materiales, & mobiles, recipit immaterialiter, & immobiliter secundum modum suum. Nam receptum est in recipiente per modum recipientis. Et ut in responsione ad primum. Cognoscit enim corpora intelligendo, sed non per corpora: neque per similitudines materiales, & corporeas, sed per species immateriales, & intelligibiles, quæ per sui essentiam in anima esse possunt.*

86 Quoad amplitudinem, seu universitatem attingentiæ prædictarum potentiarum, stat idem D. Th. in præcitato *Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit 22. de Civitate Dei. Non est dicendum, quod sicut sensus cognoscit sola corporalia, ita intellectus cognoscit sola spiritualia. Quia sequeretur quod Deus, & Angeli corporalia non cognoscerent. Hujus autem diversitatis ratio est, quia inferior virtus non se extendit ad ea, quæ sunt superioris virtutis: sed virtus superior ea quæ*

sunt

Digitized by Google

sunt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur. Et infra q. 86. a. 1. *Ad quartum dicendum, quod virtus superior potest illud, quod virtus inferior, sed eminentiori modo. Undè id, quod cognoscit sensus materialiter, & concretè, (quod est cognoscere singulare directè) hoc cognoscit intellectus immaterialiter, & abstractè, quod est cognoscere universale, objectum directè attactum: indirectè objectum, & quasi per quandam reflexionem singulare, quod fit per conversionem ad phantasmata, quæ sunt singularium, quo pacto singularium propositiones format, & ut practicus operatur*, ut est videre apud ipsum D. Th. loco nuper adducto.

87 Hæc autem dicenda censui ad indicandum, quam rudis sit, & fallax consequentia Molinica, quod scilicet ex objecto sensibili, actum arguat sensibilem, cum planè pateat, oppositum in actu intellectus, objectum materiale, seù sensibile attingente; tametsi valeat cum potentiæ sensitivæ loquitur actu, qui ejusdem generis est, ac suum objectum, ut suum specificativum aspiciens, formaleque objectum. Hinc pro charitate sic arguimus, formamusque discursum. Charitas ejusdem ordinis est, ac intellectus, igitur eodem pacto ac iste, utpotè ordinis spiritualis, & intelligibilis, nō dicitur actum elicere sensibilem, cum objectum sensibile tangit, sed immaterialè, & immaterialiter materialia contingens, ita & similiter charitas. Consequens hoc sine offensione, vel lapsu ex præmissis sequi videtur: Siquidem amor intellectivus, & intellectio, sicut & voluntas, & intellectus, pari passu in linea spirituali percurrunt, eademque nobilitate in illo gaudent ordine, cum uterque ad partem attineant intellectivam, ergo sicut intellectio tam ex parte principii à quo procedit, quàm objecti ad quod terminatur, à ratione sensibilis immunis est, & libera, ita & pariter actus charitatis, seu amor. Constat enim utriusque principia spiritualia fore, intellectum videlicet, & voluntatem, nec non amborum objecta formalia, verum puta universale, bonumque similiter,

88 Ex quibus libeat amplius pro amore, vel actu charitatis sic formare argumentum. Quilibet habitus sub eadem ratione formali, qua attingit suum formale primarium, specificumque objectum, attingit, & secundarium, sivè materiale; atqui objectum princeps, & formale, specificumque charitatis est Deus, ut summum bonum: objectum autem secundarium creatura, seù quodcumque aliud bonum, ergo sub eadem ratione formali, qua Deum attingit, ad cætera perinde se extendere dicenda est, bona creata. Syllogismus cum demonstrationis veritate polleat, apud omnes constat, & communi voto Theologorum, philosophorumque accademiis approbatus, pateatque præsertim in Theologica scientia, cujus quoniam objectum formale primarium est Deus sub ratione deitatis, lumine divinæ revelationis affectus, sub hujus ambitu rationis cuncta cætera pertinguntur, unde D. Th. 1. p. q. 1. a. 7. docet,

Digitized by Google

cet, quod *Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem.* Et hinc pro charitate subsumitur, quod scilicet eum feratur ad Deum, secundum actum, aut rationem superioris ordinis, sivè spiritualis, & intelligibilis, amor ejus erga præfatum objectum minimè sensibilis est, aut ordinis inferioris, vel infimæ sphæræ materialium, sed benè spiritualis, ordinisque immaterialis, & supremi, ac perindè hoc eodem pacto ferri censendus est ad cætera, extra primarium secundaria objecta. Pro sui fulcimento consequens hoc habet doctrinam D. Th. 2.2. q. 25. a. 1. quo de dilectione charitatis in Deo non sistente, sed ad proximum ultrò se extendente, differens, inquit: *Ratio diligendi proximum, Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus.* Cum ergo actus quo charitas fertur in Deum supra ordinem sensibilium sit, ac perindè spiritualis, generisque intelligibilis, ejusdem per consequens speciei, erit ut fertur ad sensibilia, sivè ordinis materialis objecta. Undè ad Christi terminatus humanitatem, seù ad Christum Dominum, ut hominem, ejusque Sanctissimam Virginem Genitricem, nec non cæteros Sanctos omnes, minimè sensibilis nuncupandus erit, ut à voluntate per habitum charitatis oritur, ac per hoc erga prædicta optimè affirmandus objecta, eaque omni prorsùs amore, omnique dilectione perdigna.

89 Verum enim verò ex his non negandum inferimus amorem sensitivum in appetitu residentem sensitivo, sicut & amorem intellectivum asserimus in appetitu residentem intellectivo, ut docet D. Th. 1.2. q.26. a.1. Dicimus tamen quod si quis est amor charitatis in parte sensitiva, hoc est tamquam in parte à voluntate mota, vel impulsa erga suum proportionatum objectum. Quoniam ut Angelicus Doctor ait, 1.2. q.56.a.2. *Ordine quodam una virtus pertinere potest ad plures potentias, ita quod in una sit principaliter, & se extendat ad alias potentias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis, secundum quod una potentia movetur ab alia: & secundum quod una potentia accipit ab alia.* Charitas ergo principaliter, ac tamquam in proprio subjecto in voluntate subjectatur: tamen per modum diffusionis, vel dispositionis, secundum quod ipsa voluntas, quæ Regina potentiarum est, inferiores præmovet, subditasque potentias ad suos actus, quo pacto charitas diffusa, seù extensa reputatur in illis. Ex quo postremò colligitur, quod erga, sensibilia objecta uterque pervolat amor intellectivus, scilicet qui in potentia subjectatur superiori, & sensitivus in potentia residens inferiori, ut à superiori mota, velut sphæra inferior, à superiori tracta & præmota, sicut Aristoteles in 3. de Anima inquit. Appetitus movet appetitum, scilicet superior inferiorem; Sicut in cœlestibus sphæra sphæ-

ram.

Digitized by Google

ram. Et hinc patet, quàm abundè repulsa maneat trigesima quinta propositio Molinos, videlicet ut supra &c.

90 Tu autem amice Lector parce si nimio plus in prædicto immoratus sum amore, quoniam ut noscis si de dilecto nunquam satis, quid erit de dilectissimis uti sunt Sancti Dei omnes, eorumque Principibus Christo Domino, ejusque Immaculata Virgine Matre? Amor siquidem quo digni sunt, velut abyssus, chaosque gratiæ immensum, nunquam dicit sufficit.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Trigesimasexta Propositio Molinos. *Nessuna Creatura, nè la Madonna, nè Santi deve sedere nel nostro cuore, perche Dio solo vuole occuparlo, e possederlo.*

Oppositum è regione dictum.

Cum ipsum Christum Dominum secundum humanitatem, seù ut homo est, amamus. nec non & ejus Sanctissimam Virginem Matrem, atque cæteros Sanctos, excipere dicendum est ipsos in corde nostro tanquam in Throno, ac ceù Sede Regnantium.

1 PErvulgatum est illud historicum gestum de Uxore Darii Regis Persarum à Magno victi Macedone, quod cum in ultima ab isto accepta cladè, inter cæteras pretiosissimas prædas, spoliorumque thesauros, captiva, & ipsa in manu veniret Victoris Alexandri dum hunc, ut suum Dominum recognoscendum, genuflexa percolere vellet, errore capta obvio ei facto Ephestioni, præfatos exhibuit subjectionis actus: at postmodum occurrente Alexandro, admodum verecunda erubesceret, submisseque veniam peteret; revocans eam magnanimus ille ait: Non erraſti Regina, quoniam, & hic Alexander est, innuens in hoc intimum cum Ephestione amicitiæ amorem, ac reperens in praxi, quod à præceptore suo Aristotele audierat, alterum ego fore verum amicum. Quod iste in 2. ethic. Confirmavit inquiens. *Amans videtur esse in amato quasi idem factus amato.* Iremque tenerrimè D. August expressit 4. Confess. referens. *Benè quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ.* Quibus se subscribens Angelicus Doctor 1.2.q.66. a 6. ait: *Est quodammodo amatum in amante, & inde est quod amicus est alter ipse.* Quæ omnia amoris manupretia, vel artificia, quid præseferunt, quam amantium, aut amicorum imagines vicissim in cordibus ipsorum impressas, animorumque mutuum tractum? Cor enim Sedes est, soliumque Amoris. Unde ex quo hic pectus intrat amantis, penetratque ad viscera, ibi ut in Regia ad instar Regis residere dignoscitur, superq; regium sedere Thronum, imperare, ac suo legem ponere arbitratu. Quam vim, potestatemque intuitus scite sic expressit Alciatus in Emblematibus, Curruì à Leonibus tracto puerum aurigam præficiens, qui eos, quo libitù foret, dirigeret, Et ita profectò se gerit amor in cordibus homi-

Digitized by Google

minum, qui inter animalia Reges, Leonibus comparantur: quique per vim amoris effecti de Leonibus agni, præcisis jurgiis omnibus, quæ semper inter superbos perstrepunt, lenitèr, lepideque vinculo juncti amoris, per hunc exculti convivunt. Virtus equidem, & ita fortis, & valida, quod usque ad identificandum vicissim amantes, vel amicos, se pertendit, & eo pacto, quo maximè potest. Unde illud ortũ habuit excogitatum, in tabulis promere pictis, inter duos cor unum medium circumplexos amantes, & præsertim nexu maritali obstrictos, de quibus ex ore Christi Domini dicitur: Erunt duo in càrne una. De quo excessu amoris mentionem faciens D.T.1.2.q.27.a.1. ad secundum inquit. *Quædam unio est effectus amoris, & hæc est unio realis, quam amans quærit de re amata: & hæc quidem unio est secundum convenientiam amoris*, ut enim Philosophus dicit in 2. Polit. tom. 5. Aristophanes dixit, *quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum: sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, & decet: ut scilicet simul conversentur, ac simul colloquantur, & in aliis hujusmodi conjugantur.*

2 Ex his flammeis, mirandique amoris actibus, planè colligitur quem ipse locum occupet in corde hominis, quamque faciat mansionem: cum veluti Dominus, ac Princeps ad illud habeat ingressum, eique Regio apparatu pectus hominis instruatur. Cum ergo erga Christum Dominum, (qui adhuc, & ipse, hic est comprehendus, cum secundum humanam naturam, sivè ut homo, sit Creatura, ut docet D.Th. 3.p. q. 16. a. 8. & alibi) ejusque Beatissimam Virginem Genitricem, nec non reliquos Sanctos omnes, flagranti feramur amore, tamquam Principes, & ut revera sunt, illos in nostris fatendum est excipere visceribus, & maximè maximos, ac supereminentes, Christum inquam Dominum, ejusque Reginam Matrem Virginem Immaculatam. Quamobrem imitantes Seraphicos Thronos, sic eos in nobis suscipiamus, & ut condecet tantos Reges, & Magnates Regni Cœlorũ, ut Sedes Sapientiæ ipsorum, sicut & Magnitudinis, verè cor nostrum efficiatur, & ut de justi anima dicitur, splendescat ut Cœlum, super quod ut stellato sedet Solio Altissimus Opifex Universi. De Angelicis Thronis inquit Angelicus Doctor 1.p.q.108. a.5. ad 6. sumpta similitudine à sedibus materialibus. *Sicut sedes ex una parte est aperta ad suscipiendum sedentem. Ita & isti Angeli sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum Deum, & famulandum ipsi.* Quod idem dicendum asserimus, servata sui essendi forma, de cordibus nostris, cum pariformiter valeant, ac illi Supremi Spiritus, per amorem erga Christum Dominum, cui & ipsi, vt Cœlicæ Sedes subjacent, ferri, quo pacto, & ipsa promptã ad illum in se suscipiẽdum, expeditamqùe pariter cosidecet esse, eumque obsequentissimo prosequi formulatu. At cum idem famulandi munus agant, ut Reginæ

Digitized by Google

Angelorum ergà Beatiſſimam Virginem Deiparam, nec non ut Cœlorum Principibus, erga cæteros Sanctos: Eademmet per amorem promptitudine à nobis acta, cor noſtrum ex charitate dilatare debemus, ac velut in Sede Regia parata ad intima noſtrorum pectorum ſuſcipiendam Matrem ipſam Dei, noſtramque dulciſſimam, eamque fideliſſimo obſequi famulatu: ſicut & reliquos Sanctos omnes, cum pro illis ſuccenſo pectore inflammamur amore.

3 Nec reputandum hæc fore phanthaſmata fortaſſe ad libitum artefacta: Quandoquidem ea conſtrui Angelico ſuggerente Doctore, qui 1. p. q. 43. a. 3. *Super modum communem, quo Deus dicitur eſſe in rebus creatis, ut eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam*, quemdam aſt dari præcipuum, *quod eſt eſſe, ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, & quia cognoſcendo, & amando Creatura rationalis ſua operatione ad ipſum attingendum Deum aſcendit, ſecundum iſtum ſpecialem modũ, Deus non ſolum eſſe dicitur in Creatura rationali, ſed etiam habitare in ea, ſicut in templo ſuo*. Quod utique Templum nonniſi in viſceribus hominis excipientibus in ſe Deum conſtructum putandum eſt eſſe. Cum ergo Chriſtus Dominus, Beata Virgo Maria, Sanctique Univerſi, ipſorum præcognita gratia, amentur à nobis, ſicut & omni digni ſunt amore, reſidere in corde ipſo cenſendi ſunt, eoque inhabitare ſicut in Templo, ac proinde erga ipſos tamquam ſuper Aram, ſacroque ſtantes in Throno, actus aſſiduè agamus amoris, adorationis, totiuſque fidelis devotionis. Unde Apoſtolus ad Coloſſ., admonens fideles omnes exhortatur. *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*. Inſinuans quo pacto in operibus ſe gerere condecet illos, cum viva Templa ſint Chriſti, in quibus cum Altiſſimo, erecto Principe Altare, ceù Throno majori: nec non paulominus impari ejuſdem Sanctiſſimæ Genitrici; cætera reputandum eſt fore Altaria, tamquam Throni minores, ad reliquos obſequendos Cœlorum Sanctos Heroes.

4 De qua in nobis cœlica reſidentia, quamque intrinſecus in noſtris ſe habeat animabus, D. Th. agit 1. 2. q. 27. a. 3. ejuſque modum oſtendit, effectum mutuæ inhæſionis amoris explicans, & quantum ad vim apprehenſivam, & quantum appetitivam. *Nam quantum ad vim apprehenſivam, amatum dicitur eſſe in amante, in quantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud ad Philipp. 1. Eo quod habeam vos in corde*. (*Quænam quæſo intimior immoratio?*) *Sed quantum ad vim appetitivam, amatum dicitur eſſe in amante, prout eſt per quandam complacentiam in ejus affectu, ut vel delectetur in eo, aut in bonis ejus apud præſentiam, vel in abſentia per deſiderium tendat in ipſum amatum per amorem concupiſcentiæ: vel in bona, quæ vult amato ejus per amorem amicitiæ; non quidem ex aliqua extrinſeca cauſa: ſicut cum aliquis*

Digitized by Google

quis desiderat aliquid propter alterum, cum aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud, sed propter complacentiam amati interius radicatam. Unde & amor dicitur intimus, & dicuntur viscera charitatis. En quomodo ad intima permeat Amor, ac usque ad cor transiliens, positoque in eo veluti possessionis pede, domum amato objecto regiam construit, sedemque statuit, Imperiumque constituit. Et ita profectò charitatem in nobis agere dicamus, qua erga præfata Cœlestia objecta tendimus, & exardescimus.

5 Ad quæ amplius sancienda, nonnulla tantum subjungamus exempla, quoniam ex præmisso superiori capite, satetiam de hujus capitis dicto resolutio expleta patescit. Et quæ superducemus eventa, de Beata Virgine Maria selegimus, utpotè Patrona, quæ perpetuò apud Deum pro nobis declamitat, quæve maximè oblectatur in cordibus esse nostris, ut in filiis Mater prædilecta, utque toties prodigiosa ostendit. Et inter innumera de quodam Milite, ut habetur ex libro Apum, qui seculo tandem abrenuncians, Cistercienſem Ordinem intravit. Quæsitus autem à Magistro Novitiorum num sciret orationem Dominicam, se nescire respondit, imò nec ullatenus edisscere potuisse: Nihilominus, ut addiscat omnis adhibita est cura, sed frustrà, Quare præcepit Abbas, ut saltem illi brevem Angelicæ Salutationis versiculum inculcarent: Quod etsi multo diuino labore, factum est tamen. Et tali pacto, quod cum ad exhortationem Magistri, præfatum versiculum adhuc inter prandendum ad unamquamque buccellam ferè nè oblivioni traderet, ruminaret, ex frequenti, & longo usu, tantam in ipsa Salutatione dulcedinem concepit, ut cordi ejus, & in sola memoria Matris Christi Domini indelebiliter adhæreret. Contigit ergo ut post aliquot annorum curricula Miles ille devotissimè migraret, & [vita, & Fratres in eorum Cimiterio sepelirent. Mira res. De tumulo ejus, non multo post, à parte capitis, arbor innasci ignoti generis visa est, cujus folia litteris aureis insignita, *Ave Maria gratia plena*, notabiliter singula continebant. Quod ubi notum extitit Diocœsano Episcopo, locum miraculi adiit, radicem arboris diligenti effossione scrutatus est; & eam de ore Militis ortum habere probavit. Nec mora. Ubi divinę ostentionis arbuscula debitum executa est officium, in oculis omnium aruit, & defecit. Quo admirabili facto, planè datur intelligi, quam sibi Beata Virgo complaceat de nostra ad se fervida devotione, obsequenti amore, atque nullo temporis puncto ferè intermisso eam cum Angelo salutare. Et quia os loquitur ex abundantia cordis: ad indicandum, quod cum ita eam alloquimur, in cordibus ipsam residere nostris, ex præallato voluit comprobare prodigio de milite, &c.

6 Quemadmodum item fertur ex libro exemplorum Beatæ Virginis de quodam Monacho, qui ipsam Beatissimam Virginem præcipuè de-

Digitized by Google

devotione, & obſervantia excolebat. Ejuſque ſpeciatim devotio erat, quod pro qualibet littera nominis Mariæ, pſalmum juxta eam litteram inchoantem devotè perlegere conſueverat. Itaque pro littera M, Magnificat, &c. Pro A, Ad Dominum cum tribularer. Pro R, Retribue ſervo tuo. Pro I, In convertendo Dominus. Pro A, denique, Ad te levavi. Et ad quemlibet Pſalmum, Antiphonam, Poſt partum Virgo, nec non cum ipſa collectam, Concede nos famulos tuos, &c. Sicque multo decurſo tempore, tantique peracta devotione, fervoreque amoris erga B. Virginem Mariam. Nocte quadam cum ſimul Fratres ad exolvendas Matutinas conveniſſent, atque inchoaſſent. Superior accepta laterna, circuibat de choro ad chorum explorans num aliquis ſomno deceptus illic non adeſſet. Cumque omnes adeſſe conſpiceret, excepto de quo retulimus Monacho, Dormitorium adiit, & Cellam illius ingreſſus, invenit eum in lectulo, & ſuſpicatus eum dormientem, propius factus reperit mortuum. Viditque inſuper ex ore ejus roſam miræ pulchritudinis excreviſſe, ſimilem quoque roſam vidit ex quolibet oculorum, atque aurium exortam. Super roſam autem in ore radicatam, videbatur inſcripta prima littera Nominis Mariæ, atque primus ejuſdem Pſalmi, idem, Magnificat verſus. Super roſam autem in dextro oculo radicatam, littera A, primus quoque verſus pſalmi, Ad Dominum cum tribularer, inſpiciebatur inſcriptus. Super roſam ſiniſtri oculi, R, & primus verſus pſalmi, Retribue ſervo tuo. Super roſam dextræ auris, littera I, atque primus verſus Pſalmi, In convertendo Dominus. Super roſam ſiniſtræ auris littera A, atque primus verſus Pſalmi, Ad te levavi. Cum autem his viſis mirabilibus ſtuperet ſupprior, magno cum timore ad chorum cucurrit, viſaque Fratribus nunciavit. Cumque Fratres ad ſpectaculum conveniſſent. Grandique inſpecto miraculo, ac non modico timore conterriti, Monachum defunctum attingere verebantur: Unde illicò miſerunt ad Epiſcopum, qui audito prodigio, divinam admiratus Omnipotentiam, quæ mirabilis ſemper extitit in Sanctis, & Servis ſuis, Epiſcopalibus indutus veſtibus, ſolemniter Comitatus Collegio Clericorum, ad lectulum acceſſit Monachi defuncti, & ex ejus ore Roſam eductam, quæ trahentis manum facilè ſubſequebatur, atq; in ſuo vigore, ac decore incorrupta manebat, fecit in quodam chriſtallo perpulchrè, & artificioſè peracto, reverenter includi, ac ſuper Altare reponi, ubi ad omnium proſpectum expoſita, corda omnium per evidentiam oſtenti, trahebat unà cum admiratione ad Deo ſummas agendas gratias, nec non ejus Beatiſſimæ Virgini Genitrici, pro cujus gloria, tot ille mirabilia patrat in obſequentibus eam. Cæteræ verò roſæ mox eductæ aruerunt, atque priſtinam amiſerunt pulchritudinem. Epiſcopus inde ſumptum Corpus, ante ſummum Altare, quod ad honorem Beatæ Virgini Mariæ fuerat conſecratum, debito

ſe-

Digitized by Google

ſepellivit honore, vbi ad ulteriùs oſtendendam Virginis Deiparæ benignitatem, ac devoti Servi ejus gratiam, compiura poſtmodum miracula effecta ſunt.

7 Et hinc ad rem noſtram evocato admirabili facto, reſolvendum ex illo inferimus, cum erga Virginem Deiparam (quod idem arguendum puta, ad ipſum Chriſtum Dominum ut hominem, Sanctoſque reliquos omnes) actus agimus amoris, ſivè quoſcumque devotionis, in noſtro pectore ipſam reſidere optime fatemur, & in corde velut in Regia Sede ſedere, Thronoque Imperiali, quod facilè ex prærelato arguitur exemplo roſarum exortarum ex ore oculorum, auriumque præmemorati Devoti Beatæ Virginis. Siquidem cum univerſæ hominis facultates, ſivè potentiæ operativæ radicentur in corde, tamquam ex ipſarum vitalitatis primario fonte, actus inde in quos illæ prorumpunt, in eodem arguendum eſt radicari, primituſque agnoſcere, ſeù ex ipſo originem, & ſic per conſequens objectum eorumdem, in eodem fore per ſui ſpeciem, ſeù ſimilitudinem impreſſum, quod eſt in eo reſidere, ſuique ceù affigere imaginem, aut ſimulacrum velut in quadam Ara plantare. Cum ergò erga Beatam Virginem Dei Genitricem actus amoris edimus, aut quælibet devotionis opera promimus, impreſſam ipſam per ſui imaginem fatendum eſt in noſtris habere viſceribus, quod eſt ipſam in noſtro jactare reſidentem in corde; cum ſpecies (ut vniverſa clamat philoſophia) ſit ipſum in eſſe intentionali objectum, ac nequaquam cum ipſo ponat in numero, nec non idem ad ipſam imaginem motus, & ad id cujus eſt ipſa imago.

8 Et hinc occaſione capta ex prædicto devotionis opere quinque Pſalmorum juxta litteras Nominis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, libeat hic adnotandum pro impulſu ad talem frugiferam devotionem; Quoniam B. Jordanus Theutonicus, qui fuit, ut ſecundus in ordine, poſt B. Patriarcam Dominicum primus Magiſter Generalis Ordinis noſtri, & prædictam devotionem ſub titulo Coronulæ Beatæ Mariæ Virginis compoſuit, impoſuitque eam in omnibus recitari Conventibus, & Monaſtriis Ordinis, pro ſuffragiis, ante Altare in dormitorio erectum ad honorem B. Mariæ Virginis: Cujus recitationi quicumque interveneriut lucrantur indulgentias centum dierum à Gregorio VIII. conceſſas per Bullam, quæ incipit: Quæ Chriſti, &c. Datum Romæ die 11. Decembris 1584. Ex cujus frequenti orationis exercitio, & maximè Sanctiſſimi Roſarii, quod primatum obtinet, & coronam inter univerſa fidelium devotionum opera, pietatiſque obſequia, planè ſequitur, ut perpendimus Beatam Virginem Deiparam in noſtris hoſpitari viſceribus, eique cor noſtrum tamquam Imperialem Sedem, Thronumque parare.

9 Et ſanè mirabile illud eſt, nec non monſtruoſum, quod cum

Sa-

Digitized by Google

Sathanas, ejusque præcipites assectæ, ingressum ad cor impii habere queunt, ut fuit in cor Judæ proditoris, ac in omnibus tripudiant impiorum pectoribus, unde ut in Templis sibi dicatis, imagines ibi promit omnium illecebrarum, suorumq; monstrorum, ut revera vidit Ezechiel, & adnotat cap. 8. refertque de ipsis. *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo ruptilium, & animalium abominatio, & universa Idola Domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Quare Cœlestibus porta cordis humani clausa erit, vetitusque ad illud introitus? Synagoga quippè fit Sathanæ cor impii, cum illum peccando excolit, imò, & sic intimè cum illo jungitur, quod in ipsummet transformatur, cunctaque quibus peccator ipse pervertitur; quocirca de peccatoribus Oseas inquit, *quod facti sunt sicut ea, quæ dilexerunt*: Cur ergò Dei, ejusque Sanctorum Aulam nequit Regiam esse, nobileque fieri Triclinium? Deus enim sicut materialiter vætus Pantheon dęmonum olim mansionem, in domum permutavit Sanctorum: Ità profectò cor nostrum de spelunca infernalium latronum, serpentiumque putida, ac pestifera fovea, in nobilem Cœlorum Aulam crebrè permutare consuevit. In tabulis itaque cordis nostri sicut scriptam digito Dei, legem ejus habemus, eamque exequendo, jugiter, & ipsum legislatorem amplectimur, promittentem inde mansionem cum Trinitate facturum: Ita itidem Beatissimam excolendo Virginem, cæterosque gloriæ Beatos in nostris excipimus pectoribus, & ut in præcordiis Dei gratia regnantes, Thronos eis cum Angelis, in nostris erigemus flagranti pectore cordibus.

10 Ad quod appositè facit id quod D. Pater Augustinus exhortans ait serm. 1. in die Pentecost. tom. 10. *Præparemus itaque hanc (domum puta animæ nostræ) quotidie ad Sacri Regis adventum (cum enim in domum nostram recipimus cum Sancta Martha Christum Dominum, Sacrum Regem utique recipere reputamur. Itaque cum ipsum recipere digni efficimur, Spiritum Sanctum recipimus) eamque diversis probabilium morum floribus adornemus, repleamur jucundis, pretiosisque odoribus Castitatis, fidei, & compunctionis incenso, balsamo benevolentiæ, & Thimiamate charitatis, ut amputatis vitiis, & virtutibus insertis, destructa in nobis habitatione Diaboli, mutemur in Templum Dei, ut tam beatus hospes nitido delectatus hospitio, stabilem, atque perpetuam in nobis faciat mansionem.*

11 De qua Christi Domini receptione serm. 13. in Natali Domini tom. 10. sic pariter inquit in fine. *Portemus ergò, & nos Deum in casto corpore, quem Virginis Casta membra portaverunt. Christus enim Magister est castitatis, & ideo qui castitatem non habet, portare Christum non potest. Sed & nos Fratres Carissimi, qui Deo credimus, ut semper Christum in corde nostro portare possimus, castos, ac puros nos exhibeamus, ab omni pec-*

cato,

Digitized by Google

cato, ut Christus habitare possit in nobis. Qui enim Christum non habet, se Christianus non potest dici, &c.

12 Quæ Magni Patris, & Augustissimi Doctoris hortamenta, opus est adimpleri, ut nostra dignetur decorare viscera Christus Dominus. Cum enim in malevolam animam, non intret Sapientia, sap. 1. Ad illam ergò pessimè affectam, nullatenùs putandum est ingressum velle habere eum, qui ipsamet est divina Sapientia, & quam videt sordibus inquinatam, plenamque nequitiis, ipse qui puritas est, candorque lucis æternæ, ut locum abominationis abhorrescit, utque sedifragam, fœdamque Sponsam aspicere dedignabitur. Et ita, pariformiter fatendum dicimus de Beata Virgine Deipara, quæ Regina Candoris est, Sponsaque Æterni Regis Immaculata, nec non Sanctis omnibus, utpotè divini Solis purissimi radii, Animam ad sui similitudinem puram non invenientes, & speciosam. Verum illud est profitendum; Solius Dei esse, per illapsum in cordibus fore nostris, sicut & in universis creatis entibus, per essentiam, potentiam, & præsentiam, ultra quem universalissimum essendi modum, speciali quodam modo, ac præcipuo uti est per gratiam, sicut cognoscendo, & amando, in Creaturis esse dicitur intellectivis, ut cum D. Th. supra perpendimus, cap. 1. quo pacto in præsenti loquuti sumus expleto capite, eosque gaudere in cordibus residentes nostris cum Christo Domino, Beatam ejus Virginem Genitricem, Sanctosque reliquos omnes. Ex quo, ut fallax abjecta remanet trigesima sexta Propositio Molinos, videlicet, ut supra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

Trigesima septima Propositio Molinos. *In occasione di tentationi anche furiose, non deve l' Anima far atti espliciti di virtù opposte, mà starsene nel sudetto amore, e rassegnatione.*

Oppositum è contra dictum.

Dei gratia, virtutumque operibus, tunc & maximè cum furenter urgent, obsistendum est tentationibus dæmonum.

1 ANnotanda vox illa Hyeremiæ Prophetæ Thren. cap. 3. Posuit me sicut signum ad Sagittam; de quo autem loquatur Vates iste, rectè præ cæteris sensibus allegoricè stat pro homine ipso, qui ex quo sui esse habuit exordium, velut in cunabulis verus Ercules, impetum, vimque passus serpentis antiqui, scopus extitit, ad quem perpetuò collineat humani generis hostis ut rabidus sagittarius. Et hoc pacto, ut primò vidit illum inter flores Paradisi voluptatis innocentia florere, Invidus tanti boni, ac percrepans, in suis assumi sedibus, unde ejectus ipse fuit præcipitans ad tartara, tam ignobile genus entis, hominem scilicet ex terra ortum, lutumque viventem, acerrimè sibilans, virulentum efflando Spiritum, infecit illum, protinùsque ut veneficus jaculator enecavit. At minimè tanto contentus acto crudo facinore, prostratum ultrò prosequitur de Paradiso ad exilium, pertinaciterque vexans, dempta vix animarum modica manu, universum hominum genus impura labe corrupit, unde inundante super orbem totum Eluvie, Eluviem deglutiit omnivorus animarum. Nec adhuc (ò mirum) ut re vera abyssus, expleta voraginis semper famescente ingluvie, aggressus in desertis sub Tauriformi specie Populum Hebraicum, effecta super istum causa sua, horribili clade, plurimam ex eo, imò & viventium descendentium ad inferos, prædam attulit. Quid ergo? Destitit hic fortasse hominis insectator? Minimè profectò. Quoniam cum, non sine ingenti sui animi cruciatu, videret illum novisset ortum super Calvariæ Montem delatere providi Redemptoris, ac inde de suo durissimo imperii jugo subtractum, ut rabidissimus Draco habens iram magnam ad væ terræ, perniciemque intentus, neutiquam acquievit ad feriendum hominem, variis armorum formis illum adortus, modo per seipsum pravorum immissione phantasmatum, modo ceu per satellitium, mundi, carnisque videlicet ministeria, modo per fallacia argumenta, commaculare contendens veræ fidei candorem,

2 Cum

2 Cum ergò sic erga nos dęmon agat, cur ad ipsum reprimendum ex adverso nos haud agere fas erit? Non enim adversus sic perfidi hostis impetus opinandum est, Deum valida non præstitisse munimina: Non inquam arbitrandum est, quod oppugnantibus arcem humani cordis sic acerrimis hostibus, non præsto sint nobis è Cœlo ad pugnandum, propugnandumque sui patrocinii arma. Deus enim, qui Summus Universi Provisor est, sicut & Conditor, non tantum in naturalibus, verum etiam in supernaturalibus, benè parata præbet ad hostium impetus effringendos armamentaria,& ad vim enervandam venenorum salubri una simul antidota: Cum non ita permittat regnare malum in Mundo, quin ejus ad exscindendam nequitiam statuerit è regione bonum. Sic ergò contra vitia virtutes adhibuit, contra mentis etiamnum tenebras, lucem, contraque Belial, Christum Dominum ipsum. Adversus igitur insurgentia vitia, arma sunt à nobis tractanda virtutum. Ad tenebras corda obumbrantes, lux cęlitus effusa divinæ gratiæ vibranda, ac inde ad invidum evertendum Belial,cum Christo Domino,tamquam propugnatore pugnandum.

3 O' quam iners ergò reputaretur homo, qui ad ipsum prosternendum videret hostem furenter adorientem, animo fractus, ad arma continuò manus non moveret. Certum est enim, Deum nobis arma præbet ad hostis cohibendam, qua debaccatur insaniam, cur ergò cum Minerva forti ejus gratiæ, ex qua illa oriuntur, manus ad hujusmodi opprimendum aggressorem, protinùs non movebimus? Vicit vir ille fortissimus Judas Maccabæus, dejecitque adversarios Populi Israel, accepto aureo gladio per manus Hyeremiæ Prophetæ, ut lib. 2. Maccab. cap.15. fertur. Vicerunt Duces omnes, veræque fidei propugnatores: at nonnisi per arma de Cœlo tradita, quibus instructi, castra verterunt exterorum, palmasque triumphales reportarunt, ut de quamplurimis tam veteris, quam novæ legis tabulæ gesta denarrant: Haud secùs ergò fateamur in nobis, per arma justitiæ virtutis Dei de invisibilibus ferre Triumphos, sicut & illi cum visibilibus armis se victores gloriosè gesserunt.

4 Exemplum primitùs ab ipso datur Christo Domino, quo numquam nemo fuit, qui violentiora pateretur à dęmone tentamenta, ut fuerunt ab isto in deserto contra illum allata, ubi quamquam Christus Dominus potuerit sua uti potentia, & necdum hac suum evertere hostem, imò & in nihilum redigere, nihilominùs dono voluit sapientiæ decertare, virtutibusque per legem præceptis, quod ad ipsum docendum hominem se ostendit egisse, quo nempe pacto, quibusque armis hic se instruere debeat cum ad decertandum provocatur à dęmone, deque ipso, triumphet. Undè D. Th. 3. p. q. 41. a. 4. postquam de conflictu egit acto inter Christum, & Sathanam in deserto ita concludit. *His autem*

Digitized by Google

tentationibus Christus, (donum opponendo Sapientiæ, non suam exercendo potentiam) restitit testimoniis legis, non potestate virtutis, ut hoc ipso, & plus hominem honoraret, & adversarium plus puniret, cum hostis generis humani, non quasi à Deo, sed quasi ab homine vinceretur, sicut dicit Leo Papa in serm. 1. de Quadrag.

5 Quam autem nonnunquam vehementius Dæmon urgeat tentationibus hominem. Indicare videtur D. Ambrosius super Lucam, relatus à D. Th. 1. p. q. 114. a. 1. *Quod Diabolus instare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari: redit tamen aliquando ad eum, quem dimisit ad denuò appetiendum victorem, eumque tentando de victore reddere perditorem, unde dicit, ut refertur Matthæi 12. revertar in domum meam, unde exivi.* Ubi Sanctus Antistes innuit, sæpius dæmonem ab homine in tentationum pugna devictum, & quia superbissimus ægrè fert erubescens in certamine cadere sub hoste victore, pavens ne talis offensio belli crebriùs sibi accidat, abstinet, sed ad tempus ad hostem iterum aggrediendum, quem postmodum tamen denuò aggreditur, ad tentandam super ipsum peroptatam victoriam, ac simul ad suum vindicandum intolerabilem sibi, excruciatoremque ruborem: Quis autem ex his dæmonis artibus, non arguet ipsum iterum adorientem, fortiùs, urgentiùsque impetere? Omnique adniti conatu, ut victor evadat? Agitur de perdito recuperando honore, agitur de ulciscenda injuria, agitur de superbissimo dejecto, agitur de captanda sic expetita super talem hominem palma. Et huic ad occurrendum sic furibundo aggressori, opus haud esse actus agere virtuosos, armaque expressè non tractare virtutum: quis ambiget insciticiam, imò insaniam fore, asserere? Quis, quod est de jure naturæ, Deique ultrò gratia suis confirmante præsidiis, quod est suipsius ab hoste justa defensio, imò & cum expedit, illius usque ad necem offensio, auditus unquam est denegare? Nonne omnibus natura viventibus data sunt à Summo Opifice Provisore munimenta ad sui defensionem? Imò & universis, nonnullis demptis, ad offensionem post hominis lapsum, ut est proceritas cornuum, acuties dentium, pernicies venenorum, aut in aliquibus Levitas pedum. Non minus autem gratia degentibus arma præstita sunt ab ipsomet Auctore superioris ordinis pro munimine contra humani generis hostem, nec non ad eumdem prostrandum, ad offensionem.

6 Hinc Molinicæ propositionis apparet inepria, quod tartareo scilicet aggressori, & adhuc cum furenter impetit, actibus ex adverso virtutum obsistere non oportet. Et quidem acto super verba præallata D. Ambrosii reflexu liquidò redarguitur. Quandoquidem si ad irrumpentem infernalem hostem, aut mediis impetentem suis Ministris Mundo puta, vel Carne, minimè ad propugnandum opus esset opera virtutum agere, ullaque contra ipsum arma tractare, neutiquam præsupponeretur

Digitized by Google

neretur evictus, neque triumphatus ab aliquo, ac per consequens nec ipse Diabolus instare iterum suis formidaret insidiis, saltem brevi intervallo, in eum, qui ipsum dejecit, nè frequentius ab eo superaretur, cum ab illo nulla præsumeretur ei facta oppositio, ullaque contradictio per opera, actusque virtutum. Quod quam fatuum sit, & inanè luce clariùs extat in experimentis innumeris per Dei gratiam in Sanctis ejus exhibitis.

7 Et primò in Principe illorum Christo Domino: *In quo recessit Diabolus usque ad tempus, dicit Ambrosius super Lucam, quia postea non tentaturus, sed apertè pugnaturus advenit* (en violentior, forentiorque tentatio) *tempore scilicet passionis, in qua impugnatione tentavit etiam de tristitia Christum, & odio proximorum, sicut in deserto de delectatione gulæ, & contemptu Dei per tristitiam.* Victus ergò à Christo in deserto, denuò ad ipsum rediit, & adhuc apertè tempore passionis ad iterum eum eo decertandum, vimque suam probandam. Quod si ipsum plicatis inveniſſet manibus, armisque nudatum, aut his depositis, & suspensis, segniter hærentem, quo pacto in acie corruisset? Quanam via adjudicari posset evictus, si quem est ad ortus, ad ictus, & impetus contra ipsum illatos, invictum non reperisset, Dei gratia munitum, donisque iustructum? Quomodo tandem per invasi irreparabilem expulsus impulsum, ad recessum coactus esset, si nullum virtutis in divino bellatore ad ipsum probasset effugandum, radium effusum? Quo præclaro facinore, in exemplum se fidelibus suis, ut consectatoribus præbuit Christus Dominus, utque illorum strenuissimus Imperator exercitus: doceat eos, quo se pacto gerere debeant in bello contra Sathanam, ejusque acto Ministros. Ob quam præcipuè causam tentari permisit ipse, ut traditur per D. Th. 3. p. q. 41. a. 1. & est videre in superioribus capitibus 1. p. c. 17. & 24. in quibus de hoc eodem, & fusè actum est.

8 Propterea brevius in præsenti, compleamus referendo in paucis, quæ tanti Ducis imitatores Sancti gesserunt in repellendis, adhibitis virtutum actibus, tentamentis. Quamque ad hoc æquè per hortationes inciteмur agendum, ac per exempla. D. ergò Gregorius Papa in explanatione septem Psalmorum Pœnitentialium post multa sic ait. *Sancti etenim viri, mundi gloriam, mentis despectu calcantes, omnes in se Carnales voluptates mortificant, ut in Deo postmodum perenniter vivant, qui quoniam mundi miserias pro Deo pati minimè refugiunt, Beatitudinis æternæ retributionem acquirunt, &c.* Et inferius super illud. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Animarum nostrarum ossa virtutes sunt: quia assiduis tentationum impugnationibus indesinenter turbantur. Tentatio enim est vita hominis super terram. In æterna autem vita non solum invictæ potestatis accipient fortitudinem, sed etiam nulla vitiorum adversantium sentient impugnationem.*

9 Qua-

Digitized by Google

9 Quarum autem vehementiſſimis tentationum aggreſſionibus, tamquam de anteſignano inter puros victore homines, loquitur D. Ambroſius in Hexameron lib. de Joſeph Patriarcha cap. 5. quo de illius acta impetitione à Domina ſua, ac ejuſdem importunitate, ſic de ipſo encomiaſtes inquit. *Magnus quippe vir, qui venditus, ſervile tamen neſcivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit.* Et hinc invictam ejus indicans animi virtutem proſequitur. *Qui cum ab uxore Domini conveniretur, terreni veſte potuit, animo capi non potuit: ac ne ipſa quidem verba diù paſſus eſt. Contagium enim judicavit ſi diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ, libidinis intentiva tranſirent. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit, & relictis quibus tenebatur exuviis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non eſt enim nudus; niſi quem culpa nudaverit.*

10 Inde facta inter ipſum, & Adam comparatione, hunc reſpective, ut abjectum, & neglectum in certamine, quod habuit in ſua tentatione defert; illum autem ut validum, & invictum, omniumque conatuum inimici victorem. *Adam poſteaquam Dei mandatum prævaricatione deſeruit, & peccati gravis æra contraxit, nudus erat. Unde & ipſe ait. Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui, quia nudus ſum, & abſcondi me. Intellexit enim ſe eſſe nudum, qui infuſas virtutes divinæ protectionis amiſerat. Et ideò latebat, quia veſtem fidei non habebat, quam utique prævaricando depoſuit. Magnam rem vides.* (en comparatio) *Ille nudus erat, qui tunicam non amiſit. Iſte nudus non erat, qui veſtimentis ſe exuit, quæ in manibus adulteræ dereliquit. Eadem ſcriptura illum nudum aſſeruit, hunc abnuit. Et ideo iſte expoliavit ſe potiùs, quam nudavit, qui incorrupta virtutum veſtimenta ſervavit, expolians ſe veterem hominem cum actibus ſuis, ut indueret novum, qui ſecundum imaginem Creatoris ſecundum agnitionem renovatur. Ille autem nudus remanſit, qui ſe iterum veſtire non potuit, ſingulari ſpolio virtutis exutus. Unde pelliceam accepit tunicam, quia peccator habere non poterat ſpiritalem.* En quomodo ſpecioſa virtus apparet, cum ad tentationum impetus, & ſi vehementes, & aeres ſtrenuè ſe gerit, & invicte: è contra verò, ut abjectus, & verecundus videtur Clypeus lacedæmon cum ab inerti ſepoſitus, locum dat hoſti, ut cedat, anſamque tribuit ad feriendum.

11 Quamobrem ad eam viriliter in bellis contra tentamenta tractandum ferventer exhortatur D. Auguſtinus ſerm. de Fide, Spe, & Charitate tom. 10. inquiens. *Charitatem operibus eſſe oſtendendam, & hoc maximè hortamur, ut charitatem in vobis habere per opera oſtendere per omnia ſatagatis, his inquam hoſtis tentamenta repellimus, his ipſius tuemur ab ictibus, his ejus fruſtratis cogitatis, conatus effringimus.*

Ap-

Digitized by Google

Appositè quidem contra Molinicum assertum.

12 Et serm. 68. de quomodo per virtutes obviandum sit vitiis, sic ait: *Vos igitur Fratres carissimi ponamus contra superbiam, humilitatem; contra gulam, abstinentiam; contra cupiditatem, eleemosinam; contra sacrilegium, perfectam pœnitentiam; contra homicidum Dei, & proximi, dilectionem; contra furtum, benignitatem; contra avaritiam, charitatem; contra luxuriam, castitatem; contra falsum testimonium, veritatem cordis, & operis; contra iram, pacem; contra discordiam, veram concordiam, & vinculum pacis firmum; contra perjurium, timorem Domini; & super omnibus spem firmam, fidem rectam, charitatem perfectam. Taliter virtutibus vitiis obviando, & contraria contrariis curando, coram Deo, & hominibus cum justitia, & æquitate vivamus. Ista enim sunt arma Angelica, Lorica, & arcus virtutum, scutum fidei firmissimum, & Scala salutis; qui hæc arma in fide non hæsitans secum portaverit, nullus ei Diabolus nocere poterit, &c.* Quid item expressiùs contra Molinos.

13 Denique sic pariformiter serm. 13. ad Fratres in Eremo de Fortitudine tenenda post multa concludit. *Nihil valet ædificium boni operis, nisi Columnam Fortitudinis amplexeris, sed si Columnam Fortitudinis fracta fuerit, totum ædificium bonorum operum ruit. Hanc si David tenuisset homicidtum, & adulterium non commisisset. Si Samson hanc servasset, semina cum inimicis non tradidisset. Si Salomon hanc dilexisset, Idola non adorasset. Si Petrus hanc tenuisset, ad vocem Ancillæ fidem non negasset. Si filii Israel hanc habuissent, minimè in deserto murmurassent. Ejaigitur Fratres estote fortes in bello tentationum, tribulationum, infirmitatum, injuriarum, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis Regnum æternum.*

14 Quam autem harum D. Augustini exhortationum floruerit executio in illorum Sanctorum Patrum acie, à Deo post Apostolos primum adversus Sathanam instructa, quamplurima suppetunt, ac memoranda exempla. Inter quæ præsertim de quodam, nomine Moyses, fertur ex ipsismet vitis Patrum, cum esset septuaginta annorum, quod ita impetu continenti petebatur à dæmone, tamque acri irruptione, ut sicut ipse referebat, paulominùs de proposito excideret suo, vitam amplius agendi solitariam. At ipse ex hoc validior factus, ad corrigendam sui fortè remissionem animi, ac puniendam, abstinentiis abstinentias adjungebat, vigilias amplius sibi addebat, & opera manuum propensiùs exercebat, corpus his cruciatibus tabefaciens. Quibus insuper aliam adjunxit adinventam perpessionem, ad se ulteriùs excruciandum; Quod scilicet egressus audacter noctis tempore de Cella circuibat per cæteras Fratrum, & eorum hydrias tollens, asportabat illis aquam, de longinquo, quibusdam ad duo, quibusdam etiam ad quatuor, & quinque miliaria.

Qua-

Digitized by Google

Quadam verò nocte, acerbè dæmon ferens tantam fidei fortitudinem, inclinato illo in puteum dum aquàm haurire, sic eum in renibus vecte percussit, quod penè mortuum ibi reliquit. postera die, veniente quodam haurire aquam, invenit eum jacentem, ac propè animam agentem, perterritus illicò retulit Abbati præsbitero Isidoro, qui missis ad sublevandum eum, detulerunt ita veluti malleatum ad Cellam, quod spatio non minùs anni, sic infirmatus jacuit, ut vix resumere vires valuit. Dixit autem ei Abbas pro ejus moderando more tam acerbo vivendi. Cohibe te paululum Moyses, & noli indiscretè præsumere, sed magis, cum moderatione tam abstinentiam, quàm vigilias, & opera manuum exerce. Respondens Moyses ait. (Dansque omnibus, cum dæmone, ejusque Ministris præliantibus, magnanimum documentum) Non quiescam Pater usquequo quiescant, adjuvante me gratia Dei, immundissimæ cogitationes, & phantasmata, quæ immittunt nequissimi dæmones, sicut scriptum est: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Quod audiens Abbas Isidorus, ac de tanta admiratus fidei constantia, elevatis in Cœlum oculis, manusque simul expansis, fervidam pro eo fudit orationem, qua mediante cunctis evanescentibus phantasmatibus, immundæ perierunt cogitationes, & somnia, molesque cunctæ dæmonis evulsæ. Undè in pace relicto, nec non victore invicto Moyse, potentissimus, deindè in dæmones evasit, ac ferè non minùs præpotens, quam celeberrimus in sacris litteris memoratus Hebraicus, & ita præditus ad effugandos dæmones dono gratiæ fuit, ut tremebundæ evanescerent ad nomen Moysi legiones tartareæ. Obiit annorum septuaginta quinque, & ut triumphator inferni, triumphali creditum est corona effulgere in Cœlis.

17 At mirabilius illud est, quod ex Divo Hieronymo fertur de quodam qui ex turpissima, ad pœnitentiæ vitam Dei miseratione conversus, intra quoddam sepulchrum se includens, priorum scelerum maculas, & fœditates, assiduis conabatur lachrimis ex corde ortis abluere, ac inde animam, quæ per acta turpia facinora, tamquam mortua in sepulchro jacebat, velut ex suismet cineribus, ut Phœnix per vim divini Amoris reviviscere. Cumque per hebdomadam sic vitam in gemitibus egisset; noctu adeunt eum dæmones in sepulchro clamantes, & dicentes. Quid est, quod agis impurissimè, & flagitiosè? Postquam omni spuricitia, omnique impuritate saturatus es, nunc nobis castus, & religiosus pœnitens apparere præsumis. Quid excogitasti ò e, stulte, infelicem? Postquam in sceleribus consenuisti, nec jam vires suppetunt ad immunditias, nunc verè Christianus videri putas, & pudicus, & pœnitens? Te invito unus ex nobis es, aliud jam esse non vales:

Re-

Digitized by Google

Redi ad nos ergò, redi, & quod reliquum supereſt tibi tempus in perfruenda voluptate non perdas. Ecce paratas tibi affluentes habemus delicias, ſcorta ſervata pulcherrima, imò & medicinalia arcana, quæ tibi vigorem inſtaurent Juventutis adhuc præſto ſunt, & optima. Quid ergò temetipſum inanibus excrucias pœnitentiis? Quid temetipſum ante tempus ſuppliciis tradis? Quid enim aliud paſſurus eſſes in inferno, niſi hoc quod tibimetipſi infligis? Si te delectat pœna, expecta pauliſper, & invenies paratam. Nunc interim fruere muneribus noſtris, quæ dulcia ſemper, & grata probaſti. Hæc, & his ſimilia, partim exprobrantia, partim ſpondentia dicebant monſtra tartarea. At novus miles, imo egregia virtute veteranus in bellis contra ipſa, ſtans immobilis, ut ferrea columna, nec auditum quidem ſuum convertens ad fallaces hoſtium clamores, ad nullum penitùs ſermonem, reſponſum dabat ipſorum. Cumque illi ſæpiùs eadem repeterent, & alia duriora, & ſurdo canerent, in furorem prolapſi, ubi viderunt ſua verba contemni, verberibus eum acriter afficere cœperunt, atque multis in eum plagis impoſitis, ſemivivum reliquerunt.

18 Poſtera verò die quidam de ſuis requirentes eum, invenerunt peſſimè affectum inter ſpaſmos penè agonizantem, ac dolores, & rogantes eum, ut curæ gratia reportari ſe ad domum propriam permitteret, firmiter abnuit, nec ullo pacto ab eodem ſe loco removeri patitur. Unde ſequenti nocte repetentes dæmones, gravioribus eum verberibus afficiunt, ſed fruſtra quoniam, ut ſcopulus ad rabidos undarum ictus, firmiùs in ſuo ſe loco figebat: quapropter magis, magiſque iracundia dæmones accenſi, catervatim in eum tertia nocte irruentes, immaniſſima feritate deverberarunt, at cum corpus deficeret ſub tempeſtate percuſſionum, extremus tamen ſpiritus obſtabat imperio dæmonum, quod ubi ipſi perceperunt, de præda jam deſperantes, inclamantes voce magna, viciſti nos viciſti, victi abſceſſerunt, & mox velut quadam virtute cœlitus effuſa repulſi, præcipites fugerunt, nec ei quidquam ulteriùs auſi ſunt inferre moleſtiæ. Ipſe verò tam ſublimiter in virtutibus profecit, ac ita divina gratia repletus, ut tamquam de numero effectus Angelorum, maximæ admirationis factus objectum, omnes ferè ſimul, ac uno de ipſo fatebantur ore, Dei gratiam laudantes. Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi. O' quot exindè ſuo exemplo in peccatis immerſi, de profundo pœnitentes erepti fuere tartarei abyſſi. Quotque ſemetipſos deſperantes, & aberrantes, ad viam, vitamque ſe reduxerunt æternæ Salutis. Ad cujus gratiæ ſanctificantis nitorem, ſuperfulgentis gratiæ gratis datæ donum ita refudit Deus, ut per ipſum plurima operaretur in teſtimonium ſanctitatis ejus admirabilia ſigna. Quod providè, ac benignè diſpoſuit ad aliorum fidem,

Digitized by Google

ſpemque erigendam, animumque ſimul addendum, ut arma virtutum de Cœlo præſtita, viva fide tractarent, eiſque contra dæmones, eorumque quantumlibet furentia tentamenta certarent.

Ex quibus ſfracta remanet trigeſima ſeptima Propoſitio Molinos, videlicet ut ſupra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

Trigesima octava Propositio Molinos. *La Croce volontaria delle mortificazioni è pesante, e senza frutto, e però bisogna lasciarla.*

Oppositum ex adverso dictum.

Valde proficuum est Crucis perpessionem assumere, eamque prosequi pernitile.

1 LAudandus omni tempore mos ille fuit Imperatorum, Principumque exercituum, ad militibus dandum animum in bellicis laboribus, subeundisque periculis, primum ipsos his obviam ire, eaque complecti, minime dedignantes onera ipsorum ferre bajulorum, ad sarcinas cum opus urget accurrere, primoque, ut fossores carpula capere ad circumvallandum castrum. Undè legitur in lib. Judic. cap. 10. de Abimelech in obsidione Fani Berith. *Quod arrepta securè, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios; quod me videtis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur Ducem.* Quis ergò nescius est, hoc audacter egisse Christum Dominũ arborem ferendo Crucis in bellis contra Sathanam actis? Quod & ipsum ad exemplum egisse, ut nostrum Principem Ducem, notum est, ut quemadmodum & ipse fecit, ita nos faciamus; Undè hoc negligentibus obnunciat, denegans eos ejus esse discipulos, & sectatores. Non enim commilitonem, aut asseclam tanti Ducis, & Magistri, ullus unquam jactare se poterit, si ad ejus instar se in suis non gerat actibus, gestaque ejusdem inhærendo vestigiis imitari obstiterit. Et eo magis quod ipse Matthæi 11. spondens omnibus animæ jucunditatem asseverat, iuquiens. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onorati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

2 *At mirum quibusdam videtur Fratres carissimi,* (super hunc Evangelicum Matthæi locum, D. differens Augustinus multa, & admodum apposita pro nostro dicto edocet, & resolvit) *cum audiunt Dominum dicentem, venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Et considerant eos, qui jugum ipsum intrepida cervice subjerunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus hujus sæculi, ut non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur, cum & Apostolus dicat, omnes, qui volunt piè vivere in Christo, per-*

Digitized by Google

secutionem patientur. Ait ergo aliquis. Quomodo igitur jugum leve est, & sarcina levis, quandoquidem illud jugum, & sarcinam ferre, nihil est aliud quam piè vivere in Christo? Et quomodo dicitur, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onorati estis, & ego reficiam vos, ac non potiùs dicitur: Venite, quia vacatis, ut laboretis? Nam & vacantes invenit, quos conduxit in vineam, ut ferrent æstum diei. Et sub illo jugo levi, & sarcina levi, audiamus Apostolum dicere: In omnibus commendantes nosmetipsis tamquam Dei Ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, &c. Et alio loco in eadem epistola. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui. Et cætera, quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari, nisi Spiritu Sancto adjuvante non possunt. Omnia ergò illa, quæ commemoravit aspera, & gravia, frequentiùs, & abundantiùs sustinebat, sed profectò aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris corruptione, interiorem renovaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia delitiarum Dei, in spe beatitudinis futuræ, omnia præsentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Ecce quam suave jugum Christi portabat, & quam levem sarcinam, & omnia illa, quæ superiùs enumerata dura, & immania omnis auditor horrescit levem tribulationem diceret intuens interioribus, & fidelibus oculis, quanto prælio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine ulla sollicitudine perfrui æterna felicitate justorum. Secari, & uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquando diuturnioris ulceris acriorum dolorum pretio redimantur, in languida, & incerta vacationis brevissimæ, atque ultimæ vitæ. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in pace quieturus. Quibus tempestatibus, & procellis, quam horribili, & tremendæ sevitię Cæli, & maris, importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant, majoribus quam quibus acquisituri sunt periculis, & tempestatibus plenas. Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris, perferunt venatores, quem laborem esuriendi, & sitiendi, quantas vilissimi, & sordidissimi cibi, & potus angustias, ut bestiam capiant, & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, epulis necessarias. Quamquam, & si aper, cervusve capiatur, magis suave sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato quia coctus est. Quantis cruciatibus propè quotidianarũ plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scolis vigiliarum, & abstinentiæ, molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opes, honoresque vanitatis, ut numeros, & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva, & immmania, prorsùs facilia, & propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs, ac faciliùs ad veram Beatitudinem

Digitized by Google

dinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit. Quam facilè toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita divinæ pietatis dispensatione actum est, ut interior homo, qui renovatur de die in diem, (nota) non adhuc sub lege positus, sed jam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat re vera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impositum, facilitate simplici fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis, quid quid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille Princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leve fieret. Nihil enim tam facile bonæ voluntati est, quam ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo sæviat iste mundus, verissimè Angeli nato in Carne Domino clamavernut Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, quia quj natus erat, suave jugum est, & sarcina levis. Et sicut dicit Apostolus. Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra quod possumus ferre, sic facit cum tentatione exitum, ut possimus sustinere.

3 Quid plura, nec non planius ex mente Augustissimi Doctoris Augustini pro nostri stabilitate dicti, ac perindè Molinicum adversus assertum, cum crucem, quam hoc molestam, ponderosam, sterilemque recenset, frugiferam ille, levem, suavemque commemorat? Laboriosa procul dubio vita est verè christiana, tot passionibus præmi, tot persecutionibus deprimi, tot vexationibus angi, totque sanctissimæ legis ardentibus subdi mandatis. Et ò quam fausté præssiones illæ lenteſcunt, cum humeris velut Atlanticis imponuntur amoris. Hic enim ut primarii Ducis Christi Domini strenuissimus assecla, ad illius instar fortiter agens; quemadmodum orbem integrum perpessionum tulit ille, crucem pro mundo ferens, ac inde jugum fuit ipsi suave, onusque leve; ita & ejus amor cum eodem animi robore, pro eo crucem bajulat, ponduſque intrepidè sustinet: Tutissimus aliundè ex hac perpulchra, vitæque Cœlica planta, prædulces colligere fructus vitæ immortalis: Nec hoc, ut mirum est admirandum, quoniam ut à similibus inferioris ordinis bonis arguit Sanctus Doctor, si propter modicæ hujus vitæ longius intervallum, animosè se Medico, etsi Carnifici tradit ægrotus. Si coronæ triumphalis cupiditate ductus, inaniſque plausus popularis, miles obvium se ferre morti non timet. Si levis causa hilaritatis de capta præda, sic se acerbè tractant venatores. Et si tandem ob hujus Mundi evaneſcentia bona, ab ineunte ætate, tot se subiicit passionibus homo, nec eas sibi ma-

Digitized by Google

maximi, vel non ferendi oneris facit. Quid pro corona, salute, gaudio, summique boni æternitate fatebimur efficiendum à nobis? Levia videntur, aut non admodum gravia perpessionum onera, pro fragilis quæstu boni terreni: Quid pro comparando Cœlesti, reputandæ sunt cruces, universarumque quantumlibet excruciantium pondera vexationum? non igitur modo levia, quinimò, & ut leviſſima ponderanda sunt, ac penè pro nihilo, cum ut minimè ad tantum cõdigna respective bonum, ut ait Apostolus ad Rom.8.& pro nihilo censenda sunt,& re vera sic est, ut à Regio auditur Vate cum magnanimam Dei liberalitatem de hominum salute psallens admiratur, inquit Cantico 55. *Pro nihilo salvos facies illos*. Non ergò ut insciè reputat Molinos intolerabilis est crucis perpesio, ac perindè omittenda, quinimò levis, ac perjucunda, totisque complectenda visceribus.

4 Quod benè, ut heroicum opus, primus Crucifer, ac pœnitentium antesignanus Christus Dominus suo, ut dictum est docet exemplo, extititque magister, qui ut D.Th.ait 3 p.q.40. a.2. ad secundum: *Jejunavit non macerationi indigens, sed nos instruens*. Quocirca sapientissimè imitatus est eum, omnium Candidatorum Cœlestis exercitus, ut ipsorum Ducem agnum victorem, Crucem, ut omnium caput prædestinatorum, Heroumque cœlestium patientissimè ferentem. Et quidem mira tanti Ducis benignitas, quod cum nullo indigeret pro suæ gloriæ possessu, suffragio, vel ope, subire tamen non respuit, ad nostram tantummodò disciplinam, crucis oneri, imò & tali pacto, quod quasi opertuerit eum hoc agere, ut in suam intrare gloriam valeat, ac si de jure postmodum in illam queat habere ingressum, eaque potiri. Admirandus profectò mos præbendi exempla, ut animosiùs, fortiùsque sequamur ipsum in crucis subcollanda perpesione, eumque audacter imitemur, & sicut in ferendis passionibus, ita & in gloriæ jucunditate. Ad quod urgentius à nobis est attendendũ, cum non ad gloriam tendentes de jure nobis debita naturæ, uti erat in Christo, sed per ipsius dumtaxat commiserationis gratiam tlargitam, sine ulla comparatione, imò, & absolutè necessum nobis est, crucis mortificationem assumere, ut ejus percipiamus gloriæ fructum, vitæque felicissimæ summum bonum.

5 Quod item inculcatur ex vi divinæ justitiæ, cui satisfacere debemus, ut potè Rei, pœnisque obnoxii, Deoque denuò uniri, tamquam amici ex inimicis effecti: ut amplè perpenditur à D.Th. 1.2. q.87. a.2. ubi de reatu pœnæ differens, inquit. *In peccato duo possunt considerari, scilicet actus culpæ, & macula sequens. Planum est autem quod cessante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reum pœnæ in quantum transgreditur ordinem divinæ justitiæ, ad quem non redit, nisi per quamdam recompensationem pœnæ, quæ ad æqualitatem justitiæ reducit, ut scilicet, qui plus voluntati suæ indulsit,*

quam

Digitized by Google

quam debuit contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divinæ justitiæ aliquid contra illud, quod vellet, spontaneus, vel invitus patiatur, quod in iniuriis hominum factis observatur, ut per recompensationem pœnæ reintegretur æqualitas justitiæ. Undè patet, quod cessante actu peccati, vel injuriæ illatæ, adhuc remanet debitum pœnæ: Sed si loquamur de ablatione peccati, quantum ad maculam, sic manifestum est, quod macula peccati ab animâ auferri non potest, nisi per hoc, quod anima Deo conjungitur, per cujus distantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod est macula. Coniungitur autem homo Deo per voluntatem. Unde macula peccati ab homine auferri non potest, nisi voluntas hominis ordinem divinæ justitiæ accipiat, ut scilicet vel ipse pœnam spontaneam assumat, (en crucis mortificatio voluntariè assumpta, ipsaque valdè laudabilis, & opportuna) *in recompensationem culpæ præteritæ; vel etiam à Deo illatam patienter sustineat. Utroque enim modo pœna rationem satisfactionis habet.* Nec non utroque pacto voluntaria, quamvis secundum rationem pœnæ illatæ voluntaria ut hic, & nunc, non autem secundum absolutam sui considerationem, quod non officit ad esse simpliciter voluntarium, ut hic prosequitur D Th. & ex his, quæ docet eadem 1.2. q.6. a.6.

6 Cum ergò prædictæ satisfactoriæ pœnæ mortificationem dicant, aliasque crucis passiones, vexationes, atque curas, sintque voluntariæ, & amplexandæ, utpotè divinæ justitiæ conformes, Deoque conciliantes, non sunt quam à fatuo respuendæ, inertique invitæ. Quid enim in debitore melius æquiusque quam creditori facere satis? Quid offensori præstantius, quam compensare offenso? Quod & potissimè erga Deum illud est præstandum, cum ipsum ex quo maximis afficimur beneficiis, gravius offendamus, magisque imò & infinitè plusquam in hominem homo, injuriosa facinora peccatorum, contra ipsum acta insolescant. Justitia namque in omnibus relucere debet ordinibus, præcipuè autem, ac super omnia in causa Dei, qui super omnes sicut est adorandus, laudandus, ita satisfaciendus de offensis, quæ satisfactio nonnisi pœna, vel assumpta sponte, vel patienter, si ab altero illata, perpessa, benignè est apud ipsum accepta, eaque benè contentus.

7 Et hoc sic ingenuo, pioque pacto: quod ut de divina benignitate suggerit D. Th. opusc.62. de divinis moribus, de misericordia eloquens, vel sufficientia Dei ait: *Mos in Deo est, quod à nemine quidquam exigit supra posse, in jejuniis, orationibus, vigiliis, & eleemosinis, castigationibus corporalibus, disciplina regulari, & similibus: & si deficit in magnis operibus ad diluenda peecata, sufficit Deo in minimis, scilicet in lachrimis ex corde procedentibus, ut de Ezechia legitur, cujus lachrimas respexit Dominus, & quindecim annos sibi adjecit, mutans sententiam mortis, quam protulerat per Propbetam. Similiter lachrimas Beati Petri pro peccato gravissimo*

Digitized by Google

vissimo misericorditer exaudivit, cum ex audito Gallo flevit amare pro peccato negationis. Si verò lachrimas quis habere non possit, sufficit Deo in verbo ex corde contrito venienti, sicut legitur de latrone, qui cum diceret memento mei Domine, &c. respondit: Hodie mecum eris, &c. Si verò usum linguæ amitteret, gemitum cordis contriti pro pleno Deus reciperet, sicut dictum est. Quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor: Sed si infirmitas omnium membrorum usum, abstulisset, quod nec membrum movere posset, nec gemere pro debilitate, adhuc sufficit Deo in bona, & sincera hominis voluntate pro offensa gravissima.

8 Ecce quam pergrata est apud Deum crucis assumpta mortificatio, ac ita perjucunda generoso suo pectori, quod quantumlibet exeat pro posse ex corde contrito, ea ipse se contentum esse fatetur, ut in pluribus experimenta testata sunt, divinæque in æternum pietatis magnificant immensitatem. Verum sive modica sit, cum secus esse non poterit assumptio Crucis, sive magna, necesse tamen est pro peccatorum expiatione apud Deum: Undè Christus Dominus prædicationem suam à pœnitentia incepisse legitur, ut apparet ex illo Matth. 4. pœnitentiam agite, &c. & Lucæ 5. ad hoc asserit se venisse in Mundum, quod ipsum optimè per opera confirmabat exemplo Mariæ Magdalenæ, ut Lucæ 7. & Matth. 9. Zacchei Lucæ 19., & de Petro Matth. 26. Itemque hoc ipsum edocuit per similitudines, quas ponit: De ove, quæ periit in deserto. De dragma, quam Mulier perdidit in domo. De Filio prodigo, quem Pater reputabat mortuum, & postea suscitatum. Quapropter pro pœnitentium in Cœlis acceptione dicebat: Gaudium magnum in Cœlis esse super uno peccatore pœnitentiam agente. Qua de causa juxta tanti Magistri doctrinam, quærentibus quibusdam Judæis corde compunctis, quid faciemus viri Fratres? Petrus ait illis. Pœnitentiam agite, & unusquisque vestrum baptizetur. Actorum 2. & ibidem 11. Auditis rationibus Petri, quare venerat ad Cornelium, & eum baprizaverat, tacuerunt Fratres, & glorificaverunt Deum dicentes, ergò & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Ad quam insuper hilari corde suscipiendam, ipsemet Deus in natura degens humana, Idæa voluit omnibus esse, divinumque pœnitentiæ exemplar, cujus totam percurrendo vitam, universum fuisse admirabimur pœnitentiæ cursum, Cruce ab ortu suscepta passionum, usque ad mortis in ipsamet occasum.

9 Quam autem proficua sit, ac perutilis præfata Crux assumpta pœnalitatum, aut pœna patienter accepta, si ab altero illata, ex sanitate, quam ex illa percipit homo in viribus, seu facultatibus ejus sauciatis, & ulceratis, arguitur. Quandoquidem percussus, velut ab hoste feriente, per peccatum peccator, tamquam plagis ex illo impositis, semivivus.

Digitized by Google

vivus. Imò & prorsùs, ut emortuus relictus, quippè qui gratia, quæ animæ anima est, vitaque cœlestis orbus, in pristino reponitur valetudinis esse, divina satisfacta justitia, æqualitate statuta, ut ipsum justitiæ jus exigit, ejusq; libræ planũ facit justum examen. Quapropter homo de Hyerico descendens, miserrimè per inflicta à latronibus dira vulnera, semivivus, ac penè jacens inanimis, à divino commiserante Samaritano, vino suę gratiæ, oleoque pietatis exhibito, sanus exurgit, ac vegetus animo, viribusque resumptis, & vita. Quis enim ignorat quot mala incurrat homo per sua nefaria peccatorum flagitia? Quotque ex tabido suorum viscerum morbo vermes ęrumnarum scateant, & angorum? Quam per ipsum detrimenti patiatur in suo bono natura? Quibus ista ulcerata maneat infirmitatis, ignorantiæ, malitiæ, nec non concupiscentiæ plagis? Quam turpiter deformata jaceat in sui esse armonico numero? Quam labilis effluat vitio valetudinis, demumque cinefacta, mortis subire suppliciis? Quamque denique haud secus animam cædens, fædam illam relinquit, pœnæque obnoxiam æternæ? Horum autem omnium malorum ipsum est causa peccatum, ut fusè per D. Th. 1. 2. differitur q. 85. usque ad 87. inclusivè. Cum ergo ex his omnibus malorum angustiis, per crucis spontaneam perpessionem, aut ab altero illatam, patienterque susceptam, vindicetur, ereptus è pęriculis homo, quis illam sibi gravem audebit asserere, ejusque supervacuum ad sustinendum laborem, studiumq; sterile pro commerita percipienda mercede? Quinimò jugum ejus suave fatebitur, onusque leviſſimum, cum illa tot bona prodeant, totque nostræ munimenta salutis: adeò ut hinc jure meritò, cum illam sic assumit verè pœnitens, clamare poterit, omnia pariter cum illa sibi obvenisse bona. Dulces ergo fructus ejus gutturi nostro, nec unquam dulciores eis pro nostra sublevanda interiùs, exteriùsque salute colligi queunt; & plusquam fructus ligni vitæ pro veteri restaurando perutiles homine, ejusque jam collapsa animæ juventute innovanda.

10 Cujus maximæ salutis effectus ab homine sic pessimè se habendæ perceptus, exprimitur à D. Th. ipsa 1. 2. q. 87. a. 6. *Ad tertium dicendum, quod remota macula; sanatum est vulnus peccati quantum ad voluntatem: requiritur autem adhuc pęna ad sanationem aliarum virium animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt, ut scilicet per contraria curentur. Requiritur etiam ad restituendum æqualitatem justitiæ, & ad amovendum scandalum aliorum, ut ædificentur in pœna, qui sunt scandalizati culpa, ut patet exemplo David 2. Regũ 12. cũ dixit: Peccavi Domino, dixitque Nathan ad David, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris; Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos, nomen Domini, filius, qui natus est tibi morte morietur.*

11 Præterea de pęna peragendo ut satisfactoria, vel ut est simpliciter,

Digitized by Google

& absolutè pœna. De illa D. Th. inquit, voluntariam esse, ejusque assumptionem ex proprio cordis oriri prævio motu, & hanc ipsam fore, sivè pro se, ejusdemque culpis assumentis, ut est pœnitentium peccatorum: sivè aliorum, uti fuit assumpta à Christo Domino, qui pro nobis passus est, nec non in hoc ipsum imitantes, à cæteris, & quamplurimis accepta Sanctis, qui pro exterorum peccatis pœnitentiam agere voluerunt. Alteram verò inflictam, ait à causa extrinseca, patienter autem, ac libenti corde, amplexam, quam proficuam, & præsertim in justis, inquit esse D. Th. utpotè conferens illis maxima, superiorisque ordinis bona, puta spiritualia, & æterna. Cæteris autem de his multo minùs, copiosiùs verò de temporalibus, sicut his, qui minus in hoc mundo perturbantur ærumnis, ex quibus planè infertur, quam fructuosa sit crucis voluntaria passio, sivè cum ab alio fuerit inflicta, fortique tamen animo susceptа.

12 Sic ex doctrina, quam ipsa 1. 2. q. 87. a. 7. præclarè D. Th. tradit, apparet, ubi S.D. divisa pœna in satisfactoriam, & in simpliciter, & absolutè sumptam inquit. *Quod pœna satisfactoria quodammodo voluntaria est. & quia contingit eos, qui differunt in reatu pœnæ esse unum secundum voluntatem unione amoris, inde est, quod interdum aliquis, qui non peccavit, pœnam voluntarius pro alio portat* (& hæc assumpta pœnarum crux, & perpessio fuit illa Sanctorum peccata populorum, plangentium, seque ipsos pro illis excruciantium) *sicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliquis in se transfert alteriùs debitum, ut est fideiussor. Si verò loquamur de pœna simpliciter secundum quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam, sed quandoque quidem ad culpam actualem. puta quando aliquis, vel à Deo, vel ab homine pro peccato commisso punitur. Quandoque ad culpam originalem, & hoc, vel principaliter, vel consequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquitur destituta auxilio originalis justitiæ, sed ad hoc consequuntur omnes pœnalitates, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt.* Quæ adhuc cum urgentius sæviunt, & patienter sustinentur ab homine, nullj dubium est, fructuosas esse in illo, eisque mereri, v. g. Cum patienter, Deique propter amorem, famem patitur, sitim, morbos, cæterisque à quibus vexari potest, ex originali casu pœnalitatibus ortis excruciatur, humiliter succumbere comprobatur.

13 *Sciendum tamen est*, subsequitur D. Th. *Quod quandoque aliquid videtur esse pœnale, quod tamen non habet simpliciter rationem pœnæ. Pœna enim est species mali: malum autem est privatio boni. Cum autem sint plura hominis bona, scilicet animæ corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori sicut patitur detrimentum pecuniæ, propter sanitatem corporis, vel in utroque horum, propter salutem animæ, vel propter gloriam Dei,* (en-

in-

ingens aſsumptæ Crucis, vel toleratæ fructus (*& tunc tale detrimentum non eſt ſimpliciter malum hominis, ſed ſecundum quid, unde non habet ſimpliciter rationem pœnæ, ſed medicinę* (quid planè fructuoſius, ac per conſequens optabilius, quam ſanitatis remedium collativum, viriumque deperditarum reſtaurativum? (*Nam & Medici auſteras potiones propinant infirmis, ut conferant ſanitatem, & quia hujuſmodi non propriè habent rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam ſicut ad cauſam, niſi pro tanto, quia hoc ipſum, quod oportet humanæ naturæ medicinales pœnas exhibere, eſt ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati.* Quid ſanè hac Angelica doctrina pretioſius, pro inculcanda Crucis aſsumptione, nec non ejuſdem perpeſſionum ſtrenuè ſuſceptarum emolumento conducto?

14 Pro quo admodum ad magis, magiſque virtuoſos excitandos, adnotandum eſt id, quod ibidem ſubdit S. D. *Ad ſecundum quod bona temporalia ſunt quidem aliqua bona hominis, ſed parva: bona verò ſpiritualia ſunt magna hominis bona. Pertinet igitur ad divinam juſtitiam, ut virtuoſis det ſpiritualia bona, & de temporalibus bonis, vel malis, tantum det eis, quantum ſufficit ad virtutem. Ut enim Dyoniſius dicit cap. 8. de diuin. nomin. Divinæ juſtitiæ non emoliri fortitudinem naturalium donationibus: aliis verò hoc ipſum, quod temporalia dantur, in malum ſpiritualium cedit, unde in Pſalmo concluditur. Ideo tenuit eos ſuperbia, & Job. 12. Impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis, & Baruch. 1. Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio juſtiorem ſe?*

15 Ex quibus liquidò patet, quam frugiferum ſit Crucis onus, quamque demum ſubſidii, cum de illo his quos Deus diligit uberiùs adiicit, ut uberrimos inde tribuat æternæ gloriæ fructus: cæteris autem quos ut iniquos Deus odio habet, acervatim de bonis adjungit temporalibus, parum verò de malis, ut poſtmodum, væ illis, mala cum Epulone, quoniam receperunt cum ipſo bona in vita ſua, ſortiuntur æterna: Quibus è contra juſti quoniam cum Lazaro pauperes, & inopes, mala receperunt, in ſinu quieſcentes æternæ felicitatis, bonis perfruuntur immenſis. Imò hii ſcitè agnoſcentes, quam præjudicialia ſint bona temporalia pro captu æternorum, cum fortè vident ſe illos diteſcere, hæſitant, & contremiſcunt, nè de cęleſtibus jacturam faciant, omneſque per hoc fructus perdant, & fortunæ.

16 Et ita ſuper hoc, reflexum habens D. Gregorius Papa lib. 5. ſuorum moralium in Job. cap. 1. & ſeq. ſuper his verbis: Quare data eſt miſero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt, inquit. *Sancti viri, cum ſibi ſuppetere proſpera hujus Mundi conſpiciunt, pavida ſuſpicione turbantur. Timent enim ne hic laborum ſuorum fructus recipiant: timent nè quod divina juſtitia latens in eis vulnus aſpiciat: & exterioribus eos muneribus*

Digitized by Google

cumulans, ab intimis repellat. Cum verò taciti cogitant, quod nec bona agunt, nisi ut soli Domino placeant, nec in ipsa affluentia suæ prosperitatis exultant: minùs quidem de prosperis occulta contra se judicia metuunt: Sed tamen eadem prospera, quia se ab intima intentione præpediunt; egrè ferunt, & molestè præsentis vitæ blandimenta tolerant, quia per hæc se utcumque tardari in interno desiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor, quam despectio occupat: Et magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. Per hanc namque nonnumquam cum homo exterius premitur, ad concupiscenda, quæ intus sunt, liberiùs relaxatur: per illam verò animus dum multis parere cogitur, à desiderii cursu retinetur. Undè fit ut Sancti viri magis in hoc Mundo prospera, quam adversa formident, &c.

17 Quibus Sanctus Pontifex, magni consilij dictis, sicut & ibidem fusissimè inferius, pesplcuè ostendit, quam proficuæ sint in hoc mundo, adversitates, crucisque perpessiones assumptæ, sivè libentis susceptæ animi corde, cum fructus indè pariant prædulces in anima, nec non centuplum deinde quæstum in Cœlis: quibus exadverso se prosperitates habentes: Meritò de his, ut sterilibus pro vera vita Sancti viri pavescunt, gaudentque de illis. Unde vox clamantis in deserto Magni Baptistæ obstrepit, ad Crucem pœnitentiæ ferendam populos exhortans: facite fructus dignos pœnitentiæ: quod est à noxiis hujus mundi abstinere oblectamentis, ut idem Sanctus Papa Gregorius homilia 20. in Evang. explicat. Uox quidem de Cœlo lapsa, sicut, & cœlica documenta docens, ita ducens emolumenta, cui præsertim auditum præbens admirabilis Petrus ille de Alcantara, quem adhuc viventem, in ejus comprobationem asperrimæ vitæ, inter Sanctos adscribens, Sanctum appellare consuevit, ipsamet celeberrima Herois Virgo, Mater Sancta Teresia: Cui postea jam migratus ad superos apparens ait, peramplo lumine radiatus, benè notus ei Petrus. O' felix pœnitentia quæ tantam mihi promeruit gloriam. Pretiosissimi Crucis ergò sub pondere sic effusi sudores, ex quibus tam grandis exigitur felicitatis thesaurus.

18 Quo Cœli expresso per os tanti pœnitentis oraculo, planè datur intelligi, quam fructuosa sit perpessio Crucis, quamque opportuna. Quare idem D. Gregorius Papa homil. 37. in Evang. ait: *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde & Paulus egregius prædicator dixit non coronabitur, qui legitimè certaverit. Delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Et Venerabilis Beda Præsbiter de laboribus Ecclesiæ Sanctæ, loquens, quod est idem, ac de fidelium operibus agere pro accessu ad Cœlos lib. 2. cap. 26. in cap 6. Marci, sic exponendo inquit. *Labor discipulorum in remigando, labores Sanctæ Ecclesiæ varios designat: quæ inter undas sæculi adversantis, & immundorum flatus spirituum, ad quietem*

Patriæ

Digitized by Google

Patriæ Cæleſtis, quaſi ad fidam littoris ſtationem pervenire conatur: & infra ibidem pro divino ſubſequitur adjutorio. *Deus certantes eum hoſtibus, ut vincant adiuvat: & victores in æternum coronat.*

19 Quam autem prædictorum laborum leve ſit juſtis onus, ſuaveſque ſudores, denuò per D. Gregorium Papam oſtenditur lib. 8. moral. expoſit. in Job. cap. 4. ubi de recto ſenſu mentis electorum, quo leve fit eis crucis aſſumptum pondus, agens, inquit. *Electi quique dum mundi huius adverſa patiuntur; cum inhoneſtates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, eſſe gravia, quibus exercentur penſant, ſed cum mentis oculorum ad æternæ patriæ conſiderationem tendunt ex comparatione præmii, quam ſit leve, quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valdè eſſe importabile, ex dolore oſtenditur, conſideratione provida, ex remuneratione levigatur. Hinc eſt, quod Paulus ſemper ſeipſo robuſtior contra adverſa erigitur, quia nimirum finem ſui operis mercenarius præſtolatur. Ipſe quippe quam grave ſit, quod patitur indicat: qui in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter ſe fuiſſe teſtatur: qui à Iudæis quinquies quadragenas una minùs accepit: qui ter virgis cæſus, ſemel lapidatus eſt: ter naufragium paſſus, nocte, & die in profundo maris fuit. qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus in Civitate, in ſolitudine, in mari, in falſis fratribus pertulit, qui in ærumna, & ieiuniis multis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate laboravit: qui foris pugnas, intus timores ſuſtinuit: qui ultra vires gravatum ſe aſſerit dicens, ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut læderet nos etiam vivere, ſed quomodo remunerationis linteo ſudores tanti laboris tergat, ipſe denunciat dicens: non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, finem itaque operis quaſi mercenarius præſtolatur: quia dum profectum remunerationis conſiderat, vile æſtimat, quod penè deficiens laborat.*

20 Ex quibus aperte conſtat, quam valdè Molinos in ſua cogitatione aberret, Crucem æſtimans ex arbitratu ſuſceptam paſſionum, ponderoſam eſſe, ac perindè ut intolerabilem omittendam, cum manifeſtè pateat ex modo relatis, & ampliùs ex dicendis Sanctorum Patrum, levem ipſam potiùs eſſe, cordeque pluſquam libenti ferendam. Quinimò noſcere ipſum volo, mundi proſpera gravia, & ipſa fore, jugúq; ſervitutis acriter afflictans imponere, de cujus vexatione, ad hominem eximendum, opportuna eſt ipſiuſmet Crucis, ut optimè vindex aſſumptio. Ita ex præallato D. Gregorio Papa lib. 13. moraliũ in Job. c. 23. & ſeq. ſuper his verbis Domini. Quis dimiſit Onagrum liberũ, & vincula ejus quis ſolvit? *Magna eſt ſervitus ſecularium negotiorum, quibus mens atteritur vehementer, quãvis in eis ſponte deſudet. Cuius ſervitutis conditione carere eſt, in mundo iã nihil concupiſcere. Quaſi enim quodam jugo ſervitutis præmunt proſpera, dum appetuntur: præmunt adverſa, dum formidantur. At ſi quis ſemel à domi-*

Digitized by Google

minatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adnusitatis terrore coarctatur. Hoc grave servitutis jugum Dominus vidit secularium cervicibus impressum eum diceret venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Asperum quippe jugum, & durae (sicut diximus) servitutis pondus est, jubesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transitoria, sed cum transeuntibus nolle transire. Liber ergo dimittitur, qui calcatis desideriis, ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis solvit? Subaudis, nisi ego? Solvuntur ergo uniuscuiusque vincula, dum divino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Solvit itaque Deus Onagri vincula, quando ab electi uniuscuiusque animo, infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitiùs dissipat omne quod illectam mentem ligabat, &c. En quomodo non ipsa Crucis Christi asumptio gravis est, & comprimens, quin potiùs ipsorum sarcina temporalium bonorum, à qua ut nos eripiat, & subtrahat, suam crucis exhibet, ut potè allevians, Christus Dominus noster.

21 Pro cujus plurò levamine, Crucis adhuc affertur asumptio, aut patienter per opera pœnalia injuncta susceptio. Quod benè fit cum hoc pacto recompensando, Deo fiat satis offenso, & insuper à cæteris præservetur anima culpis; Unde constat quam perjucundum sit Crucis Christi onus, quamque pretiosi ejus effectus, & fructus. Quod placeat cum D. Th. probare simul, & explanare in 4. d. 15. & seq. sivè in add. ad 3. p. q. 15. a. 1. *Ubi respondet dicendum, quod satisfactio respectum habet, ad praeteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam, à qua per eam praeservamur, & quantum ad utrumque exigitur, quod satisfactio per opera pœnalia fiat.* (en Crucis sivè spontanea, sivè injuncta susceptio, nec non & ipsa pro culparum satisfactione opportuna) *Recompensatio enim offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius, qui offendit ad eum, in quem offensa commissa est. Adaquatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est pro eius parte, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat: Opus autem bonum ex hoc, quod est huiusmodi non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit illum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit; & ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet, quod sit bonum, & in honorem Dei*

sit,

Digitized by Google

ſit, & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori ſubtrahatur. Similiter pœna à culpa futura præſervat, quia non facilè homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus eſt. Unde ſecundum Phyl. 2. ethic. 3. dicitur *Pœnæ medicinæ ſunt.*

22 In quibus autem ſtatui dicantur opera pœnalia. In ſubtractione trium. Reſpondet D. Th. ſupra a. 3. In ſubtractione ſcilicet bonorum fortunæ, bonorum corporis, & bonorum animæ, per quorum omnium ſubtractionem, ampliora bona, multoque ſublimiora lucratur pro ſuimet, aut aliorum ſublevamine homo. *Nos autem non habemus (inquit) niſi tria bona, ſcilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, ſcilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ ſubtrahimus nobis aliquid per eleemoſinam: ſed ex bonis corporis, per jeiunium: ex bonis autem animæ, non oportet, quod ſubtrahamus nobis quantum ad eſſentiam, vel quantum ad diminutionem ipſorum, quia per ea afficimur Deo acceptis: ſed per hoc quod ea ſubmittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem.*

23 *Competit etiam iſte numerus ex parte illa, quia ſatisfactio peccatorum cauſas excidit: quia radices peccatorũ tres ponuntur, per Joan. 10. ſcilicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Contra concupiſcentiam carnis, ordinatur jeiunium; contra concupiſcentiam oculorum, eleemoſina; & contra ſuperbiam vitæ, ordinatur oratio, ut Auguſtinus dicit ſuper Matth. Competit etiam ad hoc, quod ſatisfactio eſt peccatorum ſuggeſtionibus non indulgere, quia omne peccatum, vel in Deum committitur, & contra hoc ordinatur oratio. Vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemoſina: vel in noſipſos, & contra hoc ordinatur jeiunium.*

24 Quinam ergo majores unquam poterunt his prædictis excogitari effectus, quos ex crucis pœnalium operum, dictum eſt oriri ſuſcepto pondere? Nonne namque optimum bonum eſt, maximique pro homine fructus inter ipſum, Deumque adæquationem ſatisfaciendo ſtatuere. Radices peccatorum evellere. Nec non dœmonis tentamentis præcludere viam? Cumque ſic profectò per prædictæ ſuſceptionem Crucis operetur, ut jam cum Angelico oſtenſum eſt magiſtro, perutilis ipſa eſt, ac maximopere pro noſtra fructuoſa ſalute? Unde toto proſequenda eſt conatu, totiſque amplexanda præcordiis: Nec terreat alicujus ipſam moleſti ponderis eſſe: Quoniam denuò talem repellendo timorem, inquit Auguſtinus ſerm. 47. de diver. *Durum videtur, & grave, quod Dominus imperavit, ut ſi quis vult eum ſequi abneget ſeipſum: ſed non eſt durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat, nam & illud verum eſt, quod ei dicitur in pſalmo: Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras: quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit leve charitas facit.* Et ſerm. de obedientia tom. 10. *Si præmia æternæ vitæ volumus promereri, præcepta Dei totis viribus ſatagamus cuſtodire, præcepta namque Dei nolentibus grauia ſunt, nolentibus levia.* Quorum

in-

insuper onus præceptorum, seù crucis, quam leve gaudenter ipsum assumentibus evadat, ex præmio postmodum inspecto gloriæ, benè dignoscitur, ut cum D. Gregorio supra 19. retulimus.

25 Præterea quam emolumenti sit homini Crucis ipsa mortificationum assumptio, ostenditur cum D. Th. 2. 2. q. 147. a. 2. quo inquit. *Quod cum abstinentia, actus virtutis sit, specialiter habet pro suo obiecto, conseruare bonum rationis. Unde infertur abstinentiam specialem esse uirtutem, quia virtus moralis conseruat bonum rationis contra impetus passionum, & ideò ubi inuenitur specialis ratio, qua passio à bono abstrahit rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem: delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem à bono rationis: tum propter earum magnitudinem, tum propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad conservationem vitæ, quam maximè homo desiderat, & ideo abstinentia est specialis virtus.*

26 *Et ad secundum dicendum, quod per abstinentiam corpus castigatur, non solum contra illecebras luxuriæ, sed etiam contra illecebras gulæ, quia dum homo abstinet, magis redditur fortis ad impugnationes gulæ vincendas, quæ tanto fortiores sunt, quanto magis homo eis cedit.* Unde ut validior exurgat homo ad repellenda vitia, & elevationem mentis in Deum, sivè ad contemplanda cęlestia, ac perindè ad concupiscentias carnis edomandas, assumendum est jejunium, hortatur D. Th. 2. 2. q. 147. a. 1. quod ad tria conferre dicitur.

27 *Primo ad carnis concupiscentias reprimendas, quia ut Apostolus scribit. In jeiuniis multis, in scientia, in castitate, eo quod per jeiunium castitas conservatur, & ut ait Hieronymus lib. 3. contra Jouinianum. Sine Cerere, & Bacco friget Venus. Idest per abstinentiam cibi, & potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc, quod mens liberiùs elevetur ad sublimia contemplanda, unde Daniel 10. post jeiunium trium hebdomadarum, revelationem accepit à Deo. Tertio ad satisfactionem pro peccatis, unde dicitur Joelis 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio, & fleta, & planctu. Et hoc est, quod Augustinus dicit in serm. de tempore, scilicet de jeiunio, & oratione tom. 10. Jeiunium purgat animum, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Et Ecclesia in præfatione canit. Qui corporali jeiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.*

28 Quinam quæso uberiores fructus, bonaque salubriora exoptari unquam poterunt ex tam pretiosa virtute, quæ sic hominem macerando, Crucem amplexari facit afflictionum, sive sponte assumptarum, sive ab alio injunctarum, patienterque sint, & ipsæ susceptæ? Quęnam inquam pro spirituali præcipuè salute, efficacior pensanda est medicina,

Digitized by Google

na, mediumque commodiùs adhibendum? Quam hoc verum habeat, universa sacra dogmata resonant in præconiis Sanctorum, & primo ipsius Sancti Sanctorum Principis Christi Domini; qui ut D. Hilarius in can. 17. & 19. *Dites cere nos detrimento animæ, & corporis voluit, & esse sui similes hortatur: quia in figura Dei constitutus, usque ad mortem humilis, & obediens factus, principatum potestatis totius, quæ in Deo est accepit. Sequendus igitur est Cruce assumpta passionis suæ, & si non sorte, attamen voluntate comitandus est. Quid enim prodest occupasse mundum, & toto terrenæ potestatis dominatu opibus seculi incubare, si perdenda anima, & suscipiendum vitæ detrimentum est?*

29 D. item Augustinus serm. 47. de divers. *Tollat Crucem suam, & sequatur me. Quo sequendus est Dominus? Quo iit, novimus: resurrexit enim, & ascendit in Cœlum: illo sequendus est. Planè desperandum non est, quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Jam quare desperemus, si membra illius capitis sumus? Bonum est illo cum sequi, sed videndum qua. Etenim verba ista Dominus Jesus non tunc dicebat, quando à mortuis jam resurrexerat. Nondum erat passus: Venturus erat ad Crucem, venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. Quasi exasperata est via, pigrum te facit, non vis sequi? Sequere; nam quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est.*

30 Idemque S. D. serm. 1. de Annunciatione Dominica tom. 10. sic in medio super psalmum 50. inquit. *Ascensiones in corde ejus disposuit in Convalle plorationis, in loco quem disposuisti. Ubi fiunt ascensiones? In corde, inquit. Sed unde ascendendum est? Utique à Convalle plorationis. Et quo ascendendum est? In locum, inquit, quem disposuit. Quis iste locus est, nisi quietis, & pacis?* (Hinc Molinos addiscat quinam veræ quietis locus est, & qua ad illum ascendendi via sit) *Ibi enim est illa clara, & quæ numquam marcescit sapientia, unde ad nos excitandos quibusdam doctrinæ gradibus descendit Esaias à sapientia usque ad timorem, à loco scilicet sempiternæ pacis usque ad Convallem plorationis, ut nos in confessione pœnitentiæ; dolendo, gemendo, flendo, non remaneamus in dolore, & gemitu, & fletu, sed ascendentes ab ista Convalli, in montem spiritalem, ubi Civitas Sancta Hyerusalem Mater nostra æterna fœcunda est, impertubabili lætitia perfruamur, &c.* Et hæc pro capite 26. ad vias nempe purgativam, illuminativam, unitivamque astruendas, quamque ad hanc illas necesse sit præire, ipsa quoque sunt adnotanda.

31 Adhuc pro præsentis confirmatione dicti, quamque insipiens sit è contra Molinos assertum. D. Gregorius Pontifex homil. 27. in Evang. super his verbis. Et fructus vester maneat. Discrimine facto inter labores pro hujus sœculi quæstu, ac futuri Cœlorum, ait. *Omne quod secundum præsens sæculum laboramus, vix usque ad mortem sufficit, mors namque in-*

interveniens fructum noſtri laboris abſcindit. Quod verò pro æterna vita agitur, etiam poſt mortem ſervatur, & tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus cęperit non videri. Ibi ergo illa retributio inchoat, ubi iſta terminatur. Quisquis igitur jam æterna cognovit, apud ejus animum temporales fructus vileſcant. Tales fructus operemur, qui maneant: tales fructus opęremur, qui (cum mors cuncta interimat) ipſi exordium à morte ſumãt. Nam quod à morte incipiat fructus Dei, teſtatur Propheta, qui dicit. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hęreditas Domini. Omnis, qui dormit in morte, perdit hęreditatem terrenam, ſed cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hęreditas Domini: quia electi Dei poſtquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hęreditatem. En quomodo apparet quam fructuoſi ſint effuſi ſudores in laborando, aut in cruce ſuſtinenda mortificationum pro Cęlorum Regni adeptione, ſeu hæreditate: quamque è regione ſteriles, pro hujus Mundi lucru conſperſi: pro quibus reſpuendis, illis autem lucrandis, ad veræ Crucis ſubmittenda noſtra cordium colla.

32 D. iterum Auguſtinus homil. de quatuor virtutibus tom. 10. pro ductu ad Cęlos viam indicans, inquit. *Per ignem, & aquam harum tranſire paſſionum, via nobis ſternitur pro ductu ad æterni gaudii refrigerium. Et quod ita ſit, primus per illam tranſire voluit Chriſtus Dominus, & ſic in ſuam intrare hęreditariam gloriam, quod & ipſe ut caput viam parans, & faciens dixit* Joan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita. Via factus eſt tibi ipſe Salvator, ſurge, ambula, habes quo, noli pigreſcere. Quæris quo? Vides eam. Quæris quo ducat, ſcilicet ipſa via? Ad veritatem, & ad vitam ducit. Si ergo amas veritatem, & deſideras vitam, ſi cupis ad veritatem, & ad vitam venire, à vita noli errare. Video inquis, viam, & cupio ambulare, ſed aſpera eſt. Stricta eſt enim via, quæ ducit ad vitam. Sed Chriſtus tranſivit, & adhuc aſpera eſt? Caput tranſivit, & adhuc membra dubitant? Sed Chriſtus, inquis, Deus, & homo. Vide quot millia tranſierunt. Senes enim, & Juvenes, pueri, & puellæ tranſierunt, & viam, quam times, tritam tibi fecerunt, &c.*

33 Conſonus ad hæc D. Hieronymus Presbiter lib. 2. in Matth. cap. 16. de ſequela differens ad Chriſtum, Cruciſque denique glorioſo fructu, hæc habet. *Qui deponit veterem hominem cum operibus ſuis, denegat ſemetipſum dicens: Vivo autem non ego: vivit verò in me Chriſtus: tollit Crucem ſuam, & mundo crucifigitur: Cui autem mũdus crucifixus eſt, ſequitur Dominum Crucifixum. Aut quã dabit homo commutationem pro anima ſua? Pro Israel dãtur commutatio Ægiptus, & Æthiopia, & Syone: pro anima humana, illa ſola eſt retributio, quam Pſalmiſta canit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & Nomen Domini invocabo, Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. Petrus ad prædicationem Dominicæ mortis ſcandalizatus, ſententia Domini fuerat increpatus: provocati ſunt diſcipuli, ut abnegarent ſe, & tollerent Crucem ſuam, & morientium animo ſequerentur Magiſtrum.*

Gran-

Digitized by Google

Grandis terror audientium, & qui posſit, Principe Apoſtolorum perterrito, etiam aliis metum iniicere. Idcirco triſtibus læta ſuccedunt, & dicit: Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis. Times mortem? Audi gloriam Triumphantis. Vereris Crucem? Auſculta Angelorum miniſteria. Terrorem Apoſtolorum ſpe medicare voluerat promiſſorum dicens: Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis. Inſuper auctoritate Judicis addita: Reddet unicuique ſecundum opera ſua, &c. Quid plurà pro Cruce bajulanda perpeſſionum, ſive ſpontè, ſive ab alio impoſita, libentique corde ſuſcepta poſt Chriſtum? Quid ampliùs pro ejus dulcibus, pretioſis, hominique ſaluberrimis fructibus? Quidque tandem ultrò pro ejus levi, ſuavique jugi pondere, ac neutiquam omittendo labore?

34 Nec valet cum Molinos occurrere, hæc omnia, eiſque affinia pro ferenda cruce argumenta, vim pro homine exteriori habere, pro quo faciunt opera externa, ſtudiaque, labores: non autem pro homine interiori, qui per viam incedit internam; velutque alteriùs reputandus eſt regionis; degere namque videtur ſub perpetuo ameno, ſerenoque Cœlo, ac ceù ſuper olimpi verticem, quo ſtrepitus non pertingunt nubilum, tempeſtatumque paſſionum, aut operum exteriorum.

35 Quandoquidem hoc imaginationis commentitium Idolum, haud difficulter evertitur ex omnibus quæ ſupra, & ubicumque retulimus dictis, nec non attento examinatis animo, Sanctorum Patrum. Quod ſcilicet adhuc, & ipſe homo interior ſuos elicit actus, ſeque ipſum exercet, cum homo exterior ſuos efficit pios actus externos, vel Crucem portat excruciatus paſſionum, aut mortis. Attamen præterea valeat, eo quod maximè ad rem confert, referre quod Sanctus Maximus Epiſcopus homil. 2. de Sancto Cypriano, ſic eum collaudans, inquit. *Quid hoc clariùs Sacerdote, qui inter hominum turbas, gloria cœleſtis converſationis emicuit, atque inter Angelicos cœtus, & ſua factus eſt, & aliorum morte conſpicuus? Juſtiſſimè hic cum Patriarca David cantavit Domino Deo ſuo dicens: Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deo vivo, cum morientis, ac morituri ſeculi vanitate deſpecta* (en actus hominis interioris) *totum ſe diuinis mancipauit obſequiis: exultauit, & caro eius in Deo* (en actus hominis exterioris) *quæ de hoc mundo non miſeri corruptionis languoris, ſed piis pro religione ſuppliciis conſecrata migrauit.* Operatur ergo homo interior, cum homo excruciatur exterior: Actus ille virtutum edit erga Deum, dum alter pro Deo patitur, vel crucem, aut mortem ſubit. Unde uterque cum pro Deo laborat, eique inſeruit ſimul una eidem ſe in holocauſtum offerunt. Quod nequaquam juxta Molinicum evenire queit excogitatum, cum per ipſum omnibus demptis actibus hominis interioris, inaniter in hoc permanere præſumens actum fidei priorem, vel amoris, ut fusè ſupra convicimus cap. 25. 1. p. obdormiente, ac penè

Digitized by Google

mortuo homine interiori, de morte ad mortem censendus est parare sibi viam, atque construere Molinicum affectam.

36 Ad quem denique redaguendum, libeat ab exemplis arguere priscorum illorum crucis amantium, deserta accolentium Æp ptiaca, quorũ quemcumque sumas, exemplar invenies pœnitentiæ, crucisque acerrimum gestatorem. Vnde pro ipsorum asperitate vitæ legitur de quodam devoto Equite, quod admiratus, illam inspiciens, & quomodo sic ferventer, libenter, nec non alacri, ac invicta perseverãtia agerent eam, die, noctuque orationibus, canticis, vigiliis, frugalitatibusq; consistentes heremiticæ illi vitæ cultores? Vocem audivit de Cœlo ipsi dicentem: Talia pati, soli meruere Beati. Suavitatem innuens, sicut & levitatem, atque beatitudinis expetibilem fructum Crucis, his qui se se macerando, strenuo eamdem, costantique corde amplexantur.

37 Et commodè notabile fertur de quodam ex illis, qui longè fontem habens aquę à cellula sua, intervallo duodecim ferè milliarium, dum aliquando ad hauriendum pergeret aquam, lassus ex itinere media via defecit, & penè spiritum agens, ait. Quid opus est, ut tantum hunc patiar laborem, adeam ergo, & propè aquæ fontem ædificata cellula mea, commodius habitabo. Et cum hoc dixisset, Conversus retrorsum vidit quemdam sequentem se, & numerantem vestigia sua. Quem interrogans inquit. Quis es tu? Respondit ille, Angelus Domini sum, & ab eo missus numerare vestigia tua, tibique dare mercedem. Quod cum audisset Sanctus ille Pater, addito animo, factus est fortior, promptior, ac pro nihilo ducens longum viæ intervallum, plus ultra longiùs domunculam plantavit suam à fonte, quinque insuper milliaria. En quam dulces est pro Cœlo laborantibus, quamque leve crucis onus, passioque suavis.

38 Quam autem prædictum Crucis onus sit carè complectendum, nec unquam dimittendum, seligatur pro exemplo quidam nobilis, & delicatus Juvenis, qui ut ex Cronicis Sancti Patriarchæ Francisci habetur, ingressus ejus ordinem, habituque indutus: non post multos inde dies, diabolo instigante taliter cœpit illum in abominationem habere, quod videbatur, sibi sub illa cinerea tunica, ceù sub vilissimo sacco, abjectissimam inter homines agere vitam, & contemptibilem, nec non ob illius asperitatem importabilem fore. Sic ergo crescente de religione tędio, auctoque horrore, decrevit dimisso habitu, redire ad sęculum: quod cum quadam nocte exequi jam vellet, Deus, qui eum, ut filium Seraphici Patris, & ipsum Seraphicum ab æterno statuerat, rapuit illum in spiritu, & aperto mirabilis visionis spectaculo ostendit ei, quamplurimam multitudinem coram eo processionaliter transeuntem, ejusque binos, & binos splendidissimis indutos vestibus, superque solem longè lucidiores, Novissimè verò postremũ omnibus vidit, cunctisque clariorẽ quen-

Digitized by Google

quemdam, ingentique ſuper illos gloria, & honore decoratum. Dictus autem Juvenis hæc videns admodum mirabatur, & neſciebat quid hoc eſſet, nec interrogare trãſeuntes audebat, nec poterat prę nimia dulcedine ſtupefactus Sed cum proceſſio pertranſiſſet, & ipſe adhuc videns extremos, reſumens animũ cucurrit, & illos inquirens ait. O' cariſſimi rogo vos quæſo, oſtendere placeat quinã ſunt iſti tam admirabiles quos continet hæc veneranda proceſſio? Illi verò convertentes ad eum ſplendidiſſimas facies, dixerunt. Nos omnes ſumus Fratres minores, qui modo venimus de Paradiſo. Et ille rursùs interrogans quæſivit de poſtremò tam ſingulariter gloriosè effulgente. Cui ſubjungentes reſponderunt; quemdam eſſe de ſuis Fratribus proxime de mundi ſeculo migratum, qui validè inter aſperitates ordinis degens, & uſque ad finem ſtrenuè contra Sathanæ propugnans inſidias, præcelſam ſibi gloriam promeruit: & ita profecto tibi feliciter eveniet, ſi ita te geres, ac nobiſcum ſimili quoque pacto fulgebis, ita his dictis viſione tranſacta: Juvenis ad ſe rediit, & confortatus, ac roboratus ex ipſa, cuncta dęmonis tentamenta reiiciens, culpam coram ſuperiore, aliiſque Fratribus recognovit, & aſperitatem, crucemque religionis, ut cęleſtem theſaurum concupiſcens, & complectens, deinde mutatus in meliùs in Sancta vita complevit, & hinc de Crucis pretioſo pondere omiſſis quampluribus aliis confirmantibus actis, confracta remanet trigeſima octava propoſitio Molinos, videlicet ut ſupra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

Trigesima nona Propositio Molinos. *Le Opere più sante, e le Penitenze, che hanno fatto li Santi, non bastano per leuare dall' Anima un solo attacco.*

Oppositum è contra dictum.

Vim habent opera bona, actæque pœnitentiæ, ad remouendum, ab homine uincula quæcumque uitiorum.

1 NOn est tam durus, tamque pertinax animus, cor tam asperum, tamque saxeum, ut Adamas, ut ad virtutum repetitos actus, ictusque ceù mallei repercutientis, non tenerescat, aut emolliatur, unde illud, gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo. Recalcitret, ut maximè ferus equus indomitus, minax intueatur ut membra discerpat cruda Tigris, aut Leo: obsistat audax, & firma obsessa Civitas armis, impetibusque hostilibus: quoniam demum equorum domitor edomabit equi duritiem, Ferarum mansuefaciet Indus feritatem, Fortisque Arcis, abrumpet iteratis irruptionibus Dux hostium, pertinaciam. Hæc autem simili conspiciemus in homine pacto, qui quamquam, & quantumlibet in vitiis obduruerit, obduxeritque in nequitia callum; potens est tamen virtus congeminatis suarum virium, ceù impressioribus actibus, illius duritiem effringere, ac de sub vitiorum durissima, nec non miserrima ditione, ad jucundam traducere vitam, beatamque deinde, ac celebrem uti est sapientis gloriosè ducendam. Et ita de Manlio Torquato, Scipione Africano, Cajo Valerio Flacco, Quinto Fabio Maximo, Quinto Catulo, Lucioque denique Sylla, Valerius refert Historicus lib. 6. cap. 9. de mutatione morum, & fortunæ. Qui cum solutioris vitæ, primos adolescentiæ annos egissent, vitiisque confertos in luxu, libidine, ac voluptatibus, aut per imperitiam, vitam agrestem: Devicta postmodum omni nequitia, dejectaque infamia, ut sol è tenebris orti, radiantes effulsere virtutibus, patriamque Triumphis collustravere præclaris, Trophæis locupletarunt uberrimis, Imperioque dilatarunt ampliſſimo.

2 Cum ergo virtutes ordinis inferioris, sivè naturæ sic agant in homine, & ad vitia ex illius pectore eradicanda, aut illum illaqueantia perfringenda sic valeant. Quid fatendum de superiori, sivè gratiæ ortis? Eo magis igitur, fortiusque ad eadem ex corde hominis evellenda, aut effringenda, hominemque de illis liberum facere, arguendum est fore potentes. Sed ad plane noscendum, quinam isti laquei vitiorum, ho-

Digitized by Google

hominem innodantes, cujuſque generis. Prænoſcendam eſt, triplicis, eſſe generis. Superbiæ dicimus, avaritiæ, atque luxuriæ. Primò namq; laqueantur homines per ſuperbiam, & iſti ſunt ſicut aves, quæ cum ſe ad volatum appellunt, ſæpè cum non advertunt, laqueo capiuntur. Quia ſuperbi dum faſtigia, & volatus mundanæ gloriæ appetunt, ſæpe fit quod à Diabolo per ſuperbiam laqueantur, unde Eccleſiaſtic. 9. ſicut aves apprehenduntur laqueo, ſic capiuntur homines. Secundò laqueantur homines per pecuniam. Sicut enim lupus quandoque capitur laqueo, vel pedica dum famelicus prædam ſatagit devorare, quamvis non intendat, niſi ſatiari, & recedere, cum tamen pedem ponit in laqueum, neceſſe eſt ipſum ibi remanere detentum, ſic homo, dum ad prædam divitiarum fameſcens, & peroptans inhiat ſatiari, & repleri, diveſque fieri credit, & curat, illicò pes ſuæ affectionis laqueo ſuæ avaritiæ capitur, in quo inevaſibiliter detinetur; Vnde 1. Tim. 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem Diaboli. Et Proverb. 21. Qui congregat theſauros, impingetur ad laqueos mortis. Tertio laqueantur homines per luxuriam. Mulier enim eſt ſicut aranea, quæ non ceſſat filare laqueos ſuos ad capiendum muſcas. Quia ſcilicet mala Mulier non ceſſat parare, & ornare ſe, & laqueos capillorum ſuorum tendere, ut poſſit muſcas, quæ expetunt ſanguinem, ideſt Luxurioſos, qui appetunt carnalitatem, attrahere per luxuriam, & ligare, unde Eccleſiaſtici 7. dicitur. Inveni mulierem morte amariorem, quæ laqueus venatorum eſt ad capiendas animas, ſagena eſt cor ejus vincula ſunt manus ejus.

3 Quid autem in his conterendis laqueis præfactæ cęlicæ virtutes agant, quamque ſtrenuè ſe gerant in hominem ab illis eripiendum, audiamus D. Thom. in 4. ſent. q. 14. & in add. ad 3. p. q. 15. a. 13. *Ex eo quod ſatisfactio, peccatorum cauſas excidit, ipſorum evellendo radices, quæ ſunt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ, ut* 1. *Joan. habetur.* Manifeſtum eſt autem ſatisfactionem pro peccatis per opera fieri pęnalia, ſive pęnitentiæ: & hæc contra prædictum ceù inferni Trifaucem, monſtrumque teterrimum animarum, militare prævalidè dicendum eſt, ac velut Herculeas faces ad incinerandum illud adniti. Ipſis enim ut armis è Cęlo præſtitis utitur homo ad enecandum tam horrificum hoſtem, cum ſe de vitiorum vinculis eripere cupit. Quandoquidem cum tria ſint vitiorum genera armorum, ut dictum eſt, ter armiger homo adverſum ea decertare tenetur, Jejunio ſcilicet, oratione, ac eleemoſina, his inquam ceù fatalibus armis, Trifax proſternitur hoſtis, Stricto namque jejunii gladio, vim habet homo ad caput reçidendum concupiſcentiæ carnis. Gladium verò tractans eleemoſinæ, ad obtruncandum valet illud concupiſcentiæ oculorum. Orationis autem adhibito, ad conterendum illud ſuperbiæ vitæ: Igitur

Digitized by Google

tur si per talia strenuitatis arma, opera puta bona præallata, causæ præciduntur, sivè radices evulsæ conteruntur peccatorum, ligamina, per consequens obtruncantur animas obstrigentia, earumque ad terrena resecantur prorsus affectus, ita ut illorum nec scintilla remaneat.

4 Quod quo pacto effici videatur, subsequentem attendamus discursum, Divi Thomæ authoritate constructum. Quoniam nempe si remissa culpa, vel funibus peccatorum quibus circumplectitur abruptis, adhuc remanere dicantur quædam quasi reliquiæ, seu vestigia ipsorum: non per hoc tamen reputandus est homo alligatus ab illis, eisque irretitus. Ex eo quia ut resolvit D. Th. 3. par. q. 186. a. 5. *Nihil prohibet, quod remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ, remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quod homini non dominentur: & hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes peccati post baptismum.*

5 Ut compertum enim habendum, regulariter loquendo, quod posita per Dei gratiam, conversione ad ipsum, adhuc homo difficultatem pati videtur ex priori prava consuetudine ad prosequutionem boni, & fugam mali, ut passum esse fertur in sui conversione D. Augustinum, Mariam Ægiptiacam, aliosque quamplures, quos in maximis fuisse angustiis hac de causa enarratur: Verumtamen per Dei gratiæ vim, repetitorumque operum bonorum, præfata difficultas ad bonum, quæ reliquia quædam est, vitiorumque tamquam vestigium in corde relictum, omnimodè deletum deperit, ut in præmemoratis experimentum extitit Sanctis, cæterisque verè pœnitentibus, Deique persistentibus in amore: rectè noscentes quod ad ipsius perfectionem amoris, gradumque faciendum à charitate incipiente, proficiente ad usque perfectam, nonnisi per opera pervenitur assidua virtutum exercita, ut in collationibus Patrum expressit Abbas Moyses profitens. *Jejunium, inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, cæteraque virtutes, debere nos suscipere noverimus, ut ad perfectionem charitatis, istis gradibus possimus ascendere.* En quomodo in eradicandis elaborat vitiis homo, ut ad culmen illud divini perveniat amoris, quo radicitus evulsa maneant in ipso vitia, eorumque perfracta ligamina. Quamquam aliquoties hoc totum assequatur divina elargiente clementia in ipso conversionis initio.

6 De quo vario conversionis more, apposita est D. Th. annotanda doctrina in præcitato 3. p. q. 186. a. 5. *Ad tertium dicendum, quod uno actu humano, non tolluntur omnes reliquiæ peccati, quia ut dicitur in prædicamentis, parvus ad meliores exercitationes deductus, ad modicum aliquid proficiet ut melior sit: multiplicato autem exercitio, ad hoc pervenit, ut sit bonus virtute acquisita. Hoc autem multo efficaciùs facit divina gratia sive uno, sive*

Digitized by Google

sive pluribus actibus. Uno quidem ut patuit de Maria Magdalena Lucæ 7. sive pluribus, ut mystice Marci 8. legitur de Cæco illuminato, paulatim lumen oculorum acquisito.

7 Quandoquidem ut ibidem Sanctus Doctor. *Ad primum dicendum, Deus totum utique hominem perfectè curat (quod est cum ei ad benè operandum gratiam elargitur, auxiliumque præbet, gratumque per illam efficit) sed quandoq; subito, sicut socrum Petri, statim restituit perfectæ sanitati, ita ut surgens ministraret illis, ut legitur Lucæ 4. quandoque autem successivè, sicut de Cæco illuminato Marci 8. Et ita etiam spiritualiter, quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccatorum reliquiis, ut de Magdalena Lucæ 7. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem, successivè tollit peccati reliquias, cujus figura est cæcus illuminatus, de quo legitur Marci 8. quod primò restitutus est ad imperfectum visum, unde ait, video homines velut arbores ambulantes, deinde restitutus est perfectè, ita ut videret clarè omnia. Illuminatio autem cæci, significat liberationem peccatoris à tenebroso carcere culparum, vinculisque quibus detinebatur à Sathana captivus, in quo* (erepto puta de vinculis peccatore) *post primam remissionem culpæ, qua restituitur ad vitam spiritualem* (exemptus scilicet è tenebris quibus involvebatur suorum peccatorum) *adhuc remanent aliquæ reliquiæ peccati præteriti.*

7 At istæ ut jam confractæ, & eversæ hostium moles, viresque atrinæ relictæ, nullatenus est, quod de ipsis paveat homo jam conversus ad Deum, cum ipse quin potius dominetur eis, tamquam subactis hostium viribus, dum in Dei gratia permanet, easque ulterius per repetitos postmodum virtutum actus, penitus adimere valeat. Quo fit ut omnimodè solutus, reputandus denique sit, ac liber è subjectione, & captivitate peccati, necnon ab omnibus vitiorum vinculis, laqueisque animas obstringentibus: opus utique divinæ gratiæ, hominem ad opus optimum pœnitentiæ moventis, roburque in virtutibus proficiendi subministrantis. Tametsi quandoque è vestigio hoc per ipsam eveniat, ut supra jam est ex D. Th. relatum, &c. Quo circa vel hoc, vel altero pacto, exultans justorum Dei populus possit cum Vate citharizante psallere cantico 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, ut nos liberati sumus.*

8 Item præfatorum evulsio vitiorum, eorumque perindè vinculorum effractio, inferri adhuc, & congruè potest, ex eo quòd insuper docet D. Th. 1.2. q. 54. a. 3. Habitus corrumpi, vel diminui per solam etiam ab operibus cessationem pravis, quod simul ipse probat, & explicat, ut sui moris est in *Respondeo dicendum quod sicut dicitur in 8. Physic. Aliquid potest esse movens dupliciter. Uno modo per se, quod scilicet movet*

Digitized by Google

secundum rationem propriæ formæ, sicut ignis calefacit. Alio modo per accidens, sicut id quod removet prohibens, & hoc modo cessatio ab actu causat corruptionem, vel diminutionem habituum, in quantum scilicet removetur actus, qui prohibebat causas corrumpentes, vel diminuentes habitum. Dictum est enim, quod habitus per se corrumpuntur, vel diminuuntur ex contrario agente, unde quorumcumque habituum (ac ex consequenti vitiosorum) *Contraria subrepsunt per temporis tractum, quæ oportet subtrahi per actum ab habitu procedentem, hujusmodi habitus diminuuntur, vel etiam tolluntur totaliter* (nota) *per diuturnam cessationem ab actu, &c.* Ergo per diurnam cessationem ab actibus vitiosis, perque oppositorum virtutum actuum productionem, ad totalem demum deveniet pravorum habituum abolitionem, eorumque per consequens quorumlibet ligaminum abruptionem.

9 Horum autem occasione, haud omittendum censui animadvertendum mirificum Sanctæ Matris Ecclesiæ studium pro abolendis à suis fidelibus filiis, peccatorum reliquiis, Sacramentum extremæ unctionis instituens præcipuè ad hunc præstitum effectum, ut concludens, inquit, Angelicus Magister in add. ad 3. p. q. 30. a. 1. *Unde dicendum, quod principalis effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum, quoad reliquias peccati, & ex consequenti, etiam quoad culpam si eam inveniat.* Quo fit ut emendatus, ceu laqueis obiens liber evolet, levatusque ad Cœlum, aut ad locum purgandi causa salutis.

10 Præterea de præfata vinculis ereptione D. agens Augustinus tract. 4. in Evang. B. Joan. Evangelistæ super his verbis. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, &c. Perpendens tunc hujusmodi fieri confectationē, cum ipsorum malorum habituum sublata sunt velut compedum impedimenta. Sic ait præ cæteris plurimis salubribus doctrinæ documentis. *Ergo Fratres mei, quia Dominus breviter ait. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. In quibus verbis, aliud est quid jussit, aliud quod promisit: faciamus quod jussit, nè impudenti fronte postulemus, quod promisit, nè dicat nobis in judicio suo,* (dignissima notatione verba). *Fecisti quod jussi, ut petas quod promisi? Quod ergo jussisti Domine Deus noster? Dicet tibi, ut sequereris me? Modo faciamus, sequamur Dominum, solvamus compedes,* (nota) *quibus impedimur sequi. Et quis idoneus est solvere tales nodos, nisi ille adjuvet, cui dictum est, dirupisti vincula mea: de quo alius psalmus dicit, Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos? Et quid sequuntur soluti, & erecti, nisi lumen à quo audiunt, Ego sum lux mundi, &c.* Nunc ergo si ut sibi Molinos effingit, nequiret homo per opera bona de vinculis vitiorum eximi, neutiquam solutus, & ereptus posset lumen sequi divinum, cujus oppositum cum aperte per os Divi pateat Augustini, manifestè falsitate devincitur Molinica positio, alligatos reputans viros Sanctos

adhuc

Digitized by Google

adhuc adhibito ab eis quolibet, & præcipuo sanctorum operum præclarè facto, minimè sat fore ad animam de quocumque eripiendam vinculo quo teneretur erroris.

11 Amplius ex eodem D. Augustino adversus hoc fit manifestum serm. 41. de verè pœnitentibus tom. 10. ubi super illud Regis David 2. Reg. cap. 12. cum increpatus à Nathan propheta, propter adulterium, homicidium esse commissum, verè pœnitens exclamavit. *Peccavi, & protinùs audivit: Dominus abstulit peccatum tuum. Tantum valent tres syllabæ. Tres syllabæ sunt, peccavi, sed in his tribus syllabis. Flamma sacrificii coram Deo ascendit in Cœlum. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento* (nota) *quo obstrictus erat & à Christi corpore separatus, & benè post pœnitentiam vixit post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, Regno Dei non privabitur, à populo Diaboli separabitur, &c.* Quæ Sancti Doctoris saluberrima verba, nullatenus cohærere possunt cum his, quæ fallaciter Molinos intendit, quod nequeant per opera sancta homines, etsi optima, quæve Sancti peregerunt, à vinculis prorsus eripi vitiorum.

21 Cujus item liberationis opus, bracchio primum ascribit divinæ Omnipotentiæ, & egregiè D. Gregorius Pontifex in Job. cap. 23. super illa verba: *Quis dimisit Onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?* ubi ad rem sic inquit. *Asperum quippe jugum, & duræ servitutis pondus est, jubesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transitoria, sed cum transeuntibus nolle transire. Liber ergò dimittitur, qui calcatis desideriis, ab appetitione rerum temporalium, securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis solvit? Subaudis, nisi ego? Solvuntur verò uniuscuiusque vincula, dum divino adjutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Solvit itaque Deus Onagri vincula, quando ab electi uniuscuiusque animo, infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne quod illectam mentem ligabat, &c.* Cæcutit profectò Molinos, & omnimodè orbus est intellectu, si ad hæc Sancti Pontificis luce meridiana lucidiora verba, veritatem nostri non inspicit asserti, suique perinde apertam falsitatem.

14 Quam amplius cum suo auctore idem Sanctus Pontifex oppugnet, sicut & nostrum indicat veridicum dictum, in expositione super Cant. Canticorum, super his verbis: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, ubi de invicta Sanctorum strenuitate agens, qua audacter, ac prorsus terrena deferentes, hisque omnibus se spoliantes, & ad Cœlestia tendentes, inquit. *Sunt quippe nonnulli, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in Cœlestia erigunt: & quia in infimis nihil quod eis dulcescat conspiciunt, totum cor ad superna amanda convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, sensum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad invisibilia tendunt: & quo ampliori desiderio illis inhærent, eo magis, ac*

Digitized by Google

magis molestè corruptionem ferunt, quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt, quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quo amplius, dum hic morantur, deseri metuunt, eo quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa gradiuntur, in quibus cum fuerint, nihil amplius, quod eos amoveat jam timebunt. Quid ad hæc Molinos, ejusque quilibet assecla? Etenim si ut ipse putat per quodlibet opus bonum, nequit homo nec ab uno quidem vinculo vitioso liberum fieri: quo pacto Sancti, totque Servi Dei, se sic invictè gesserunt, ut possent à terrenis omnibus exui, ipsa contemnere, deserere, ac penitùs velut è laqueis hujus mundi erepti, ad superna corde conscendere, & evolare, ut de illis præfatus auditur eloquens Sanctus Præsul?

15 Confirmatur ex aureo Doctore Chrisostomo, qui prædictam à peccatorum vinculis libertatem asseverans in conversione Sanctæ Mariæ Magdalenæ, de gratia Christi super illam fusa, sic ait. *Bona indulgentiæ, atque remissionis fragrantia super peccatricem ex mensa Christi venit. Ut quæ aliquando fuerat lasciva, atque impudica, nunc facta est modesta, & casta: Quæ quondam fera, nunc autem ovis: olim peccati serva, at nunc per pœnitentiam libera, &c.*

16 Præterea quam insuper innumera extent exempla ad præfatam, & absolutam à captivitate peccati comprobandam ereptionem, planum est apud omnes; Libeat tamen aliqua exercitii causa, & pro collatione cum simplicibus in medium ducere. De quibus obvius mihi primitùs est Abbas Seraphion, ut fertur in vitis Patrum, qui cum die quadá per quemdam Ægipti vicum transiret, & videret meretricem ante ostium domus suæ ad capiendas animas præparatam, dixit ei. Expecta me serò quoniam tecum hanc noctem degere statui. Ad quam eum expectantem veniens, ut spopondit, clauso ostio. Dixit ei. Sustine paululum usquequo legerim, quod pro meo debeo officio. Incipiens autem psalterium, in singulis finitis psalmis, rogabat Deum, ut illam converteret ad pœnitentiam. Quod cum videret Mulier, Deum pro ea senem orantem, ac inde intelligens quod non propter peccatum ad eam venerat, sed propter ejus conversionem, compuncta est, & ad pedes ejus prostrata rogans, ut duceret eam ad locum, ubi condignam agendo pœnitentiam, salvam faceret animam suam. Tunc senex duxit eam ad Monasterium Virginum, ubi paulatim seipsam perficiens in via, vitaque Spiritus, benè incipiens melius proficiens, optimè tandem perfecta in charitate, in maxima sanctitate vixit, obiitque exempta prorsùs à mundi laqueis, peccati immunditiis, dæmoniisque insidiis omnibus.

17. Non in pari pacto Dei gratia suaviter operans, ac fortiter à fine usque ad finem attingens, egisse legitur in quodam penè perdito peccatore, qui Princeps erat, caputque latronum, tantæ nequitiæ,

Digitized by Google

tiæ, ac ferocitatis, ut omnes per semitas antri, ubi cum sociis latitabat, transeuntes non contentus expoliare, jugulabat. Hoc audiens quidam Sanctus Abbas, non hæsitans vitam pro Deo exponere, proximique salute, optimis indutus vestibus, superque generosum sedens equum, & pulchrè phaleratum, ad locum perrexit quo grassator ille morabatur. Et captus statim ductus est ad illum. Cumque interrogasset eum quid vellet: respondit latro. Equum, & vestes vestras. Tunc Abbas. Iustum est, quod petis, quia ista Dei sunt, & communia; unde cum per plures annos fuerim eis usus, justum est, ut & tu etiam utaris. Sed rogo ut dicatis mihi, quid facietis de ipsis. Subjunxit latro. Vendemus, ut emamus nobis victui necessaria. Tunc Abbas. Fili quare cum tanto labore, & periculo quæritis victum, & vestitum vestrum? Venite mecum, & absque eo quod ullatenùs laboretis, & vestram exponatis vitam periculis ullis, omnia vobis necessaria ministrabo. Cumque latro renueret, ex eo quod non posset comedere fabas. Dixit Abbas. Noli per hoc timere fili quoniam dabo tibi quidquid tibi placuerit, tam de carnibus, quàm de piscibus, vinum, & panem optimum, & pro quiete lectum mollem, plumeamque, si vis etiam culcitram. Hec ergo audiens ille acquiescens, & sequutus Abbatem, ductusque ab hoc ad Monasterium, statuit ei servum, qui ipsi omnia fideliter, & promptè promissa ministraret: Imposuitque ulteriùs ut dum latro comederet, & juxta suum placitum opipare, Monachus puta servus addictus sub oculis illius in terra sedens comederet panem, & aquam. Hoc videns, & obstupescens, quæsivit causam tantæ pœnitentiæ latro quid feciſti? Ei dicens. Num aliquod commisisti homicidium; aut in fornicatione degens, carnalem vitam effrenatè egisti? Aut quo aliquo deformi delicto convictus, quod ad talem damnatus es asperam vitam. Tunc humiliter respondit ei Monachus. Absit, inquiens, à me ut hominem occiderim aliquem, aut carnem meam luxuria, vel aliqua, ut putatis deformitate gravi vitiosa fœdaverim, quoniam in hoc Monasterio ab ineunte mea ætate Dei gratia vixi. Sed ideò hanc pœnitentiam ago, ut habeam Deum in mea morte propitium. Tunc latro hæc audiens, in suo corde compunctus dixit: Ego miser infelix, qui tot furta, rapinas; tot homicidia, tot adulteria, tot sacrilegia feci, nunquam jejunium agnovi, numquam ad aliquod me bonum opus apposui, quomodo ergò Deum propitium habebo? Et provolutus in lachrimis ad pedes Abbatis, sic se afflixit in pœnitentiis, ut omnes in abstinentiis, suique macerationibus superaret. Quo evenit, ut qui Sathanæ latro deserviebat ei, tamquam Ministeq ad grassandum in mundo, ac in hominibus desevire, postmodum

modum, ut bonus Dei latro, ad deserviendum ei valuit, liber ab infernalibus dæmonis rapinis, & pro captura Regni Cœlorum cæteri caperentur suo peccatores exemplo pœnitentia ducti. De quibus ut vererem, renovantibus hominem per opera sancta, conversisque in virum alterum, ex tricis liberi, laqueisque Mundi soluti, tamquam de cœlestibus astris, fama laudum resonat in æternum, Deique piissima gratia. Unde dilapsa remanet trigesima nona Propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XL.

Quadragesima Propositio Molinos. *La Beata Vergine non fece mai un' opera esteriore, e fù la più Santa di tutti li Santi; Dunque si può arrivare alla Santità senz' opera esteriore.*

Oppositum ex adverso dictum.

Beata Virgo Maria opera operata est bona, non solum interiora, verum etiam exteriora.

1 MEmorandum illud Zeusis celeberrimi pictoris fuit excogitatum. Quod injunctum ipsi à Senatu Athenarum, ut Elenam Græciæ Reginam effingere vellet, ac veluti denuò ad lætificandum orbem, illius in hoc exponere venustatem. Recogitans præfatus artifex incomparabilem dictæ Reginæ speciem, ejusque completam numeris omnibus perfectionem, quæve in cæteris, ut avara natura divisim, dona profudit, in ea prodiga cuncta ipsi donavit. Eâ fortasse mente, ut prodigium speciositatis in orbem deferens, in Dei pulchritudinis notitiam magis homines elevati, ad eum magis, magisque amandum inflammarentur. Quinque selegit, de puellis spectabilibus Virgines, quarum decoris præcipuas dotes inspiciens, sic unum perfecit mirabile simulacrum, quod velut instillatum opus ab ipsomet divino actum Opifice, non videbatur natura ipsa originalis effectrix, quid supra suam jactare copiam posset. Unde si pro illo rapiendo audaces extitere Parides, cupidique amantes; Pro copia, non minus avidè furanda extitissent quamplures, ejus gratia capti.

2 O' quam longè præstantius in Sacratissimæ Virginis Deiparæ corpore formando, animaque exornanda peregit Opitex increatus, ex toto nâq; universo optima quęq; carpens, miro recollecta pacto expressit in ipsa: Undè tametsi multæ filiæ congregaverint gratiæ divinæ, donorumque divitias, ipsa supergressa dicatur universas, qua merito Cœlestium celsitudine donorum, pulcherrima mulierum appellatur, primaque inter omnes. Et hoc tam gradu præcelso, quod ipsam ipsemet contemplatus Divinus Sponsus, & Conditor, ultroque admiratus, congeminatis ad eam vocibus inclamat. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Quibus inde cordis afflatibus, per singula ejus membra decurrens, ac venustis inscribens ea parelis, non jam terrenum, sed cœlicum, divini pennicillo intellectus effectum opus ostendit. Cujus

jus denique ut captui coaptaret noſtræ intelligentiæ vitam, ſub duarum ſimilitudine celſium dominarum, expreſſam nobis exhibuit: Donum vitæ inquam indicans contemplativæ in Maria Magdalena, donumque activæ in Martha. Quod utrumque vitæ, virtutumque genus planè claruit ex eo inſuper, quod ut Cœlum animatum apparuit in Cœlo, utque univerſi ſignum magnum, & admirabile, Cœlorum univerſis exculta luminibus, quoniam virtutum omnium genera in ſe comprehendit, omniumque opera geſſit, pro meritorum immenſo complendo cumulo, gradibuſque conſcendendis gloriæ ſupremis. Quorum operum plurima non ſolum mente perfeciſſe credendum eſt, ſed etiam exterius egiſſe dicimus, firmiterque fatendum aſſeveramus.

3 Quod primò ex omnium fundamento, ex humilitate ſcilicet ſuademus, cujus actum expreſſit nè dum mentali verbo, verum etiam vocali ipſa Virgo Maria in Angeli annunciatione cum dixit. Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Quo actu promptam ſe ad Dei obſequium obtulit, & imperium, ut ſuggerit D. Th. 3. p. q. 30. a. 1. Ipſoque promptitudinis actu, & corde, & ore humilitatis opus effecit: Cum enim honorificè ab Angelo ſalutaretur, & Mater Filii Altiſſimi vocaretur, ac per conſequens hominum, Angelorumque Regina, non inde ſuperbiit, nec ſe Matrem Dei appellavit, vel Dominam, ſed Ancillam, orétenus exprimendo, quod interius, humillimo ſui cognomento de ſe ſentiebat. Et huc ut conferentia ad comprobandos in Virgine actus exteriores bonorum operum, recolenda fierent, quę de ipſa in ſuo perpendimus annunciationis ſacro Myſterio, cap. 29. nu. 25. uſque 28. inclusivè.

4 Cujus item Virginis almæ de humilitatis hic virtute proſequentes, admirabile de hac habetur ab illa exterius exemplar: Quod videlicet audiens gravidam fore Eliſabeth Cognatam ſuam, ut Lucæ 5. traditur, non elata miſit ad eam, quamque utpotè puri hominis Matrem, ad ſe venire potius decens eſſet, quam è converſo Dei hominis Genetricem ad ipſam, ſed humiliter ipſa perrexit ad illam, aſperitatem itineris non pertimeſcens, non incommoda vitæ, non vitæ vexationes. Quod heroicum humilitatis opus commendandum, amplius ſe oſtendit, ex eo quod ad illud tam impigrè, tam properè ſe accinxit, unde dicitur, quod abiit cum feſtinatione; promptitudinem exhibens illius animi, in quo Deus theſauros omnes ſuæ gratiæ fudit.

5 Præterea domum ingreſſa cognatæ, ſigna humilitatis expreſſit. Cum enim Eliſabeth Spiritu Sancto ducta agnoviſſet, quod in Beata Virgine actum eſſet exclamavit. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quibus verbis hanc Dei Matrem jam profitebatur effectam,

Digitized by Google

ctam. At ista nihil de se alte sapiens, nec ad laudes sibi adhibitas aures aperiens, ad solum autem Deum anima conversa, ejus solummodo immensam commendavit misericordiam, atque potentiam, psallens: *Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, &c* Quos omnes actus tam responsionis ad Angelum, quàm progressus ad Elisabeth, quamque subjunctionis ad eandem, eximiæ sanctitatis, humilitatisque virtutis opera fuisse, ullatenus locus est hæsitandi ut patet. Cumque insuper externos adhuc extitisse constet; actus ergò externos, nedum internos sanctitatis elicuisse fatendum est Beatissimam Virginem Dei Matrem. Indeque perindè argumenta supereminentis suæ dedisse sanctitatis extrinsecus acta dicendum est, nobisque bonitatis præbuisse Ideam, celsumque virtutum exemplar.

6 Sic etiam de Virginitate arguitur habuisse actus exteriores, quoad emittendum de illa votum. Virgo namque Maria Virginitatem vovit; votum una simul faciens cum Sponso Joseph, de quo Virginitatis voto loquens in 3. p. q. 28. a. 4. D. Th. inquit. *Quod Mater Dei, non creditur antequam desponsaretur Joseph, absolutè Virginitatem vovisse: sed licet eam desiderio habuerit super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum verò accepto Sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum Virginitatis emisit.* Quod utique externis actibus, quibus ad invicem notitiam de sui voluntate dederunt, & proposito, factum esse credendum est; Cum non solis internis actibus, seu cogitationibus, & propositis cordis, eos talia egisse credamus, ita ut quasi modo Angelico se ad invicem intelligerent, per solam Conceptuum internorum communicationem, vel directionem; ut locutio, aut illuminatio inter Angelos.

7 Item charitatis, simulque iterum humilitatis opera noscimus eam externa effeciisse, ut Ioan. 2. Ubi humilitas Beatæ Mariæ Virginis multum apparet ex eo quod ad pauperes nuptias ire voluit. Et deficiente vino, tota charitate succensa, tenerescente pietate, non requisita ab aliquo, verecundorum pauperum ex se ipsa, ut advocata, exposita, dixit filio, Vinum non habent. Virtutem enim, & præcipuè tunc opus operata est charitatis, ac pietatis, illudque ex loquutionis externo actu interceſſivo expressum! Clarum est namque quod cum mediator, aut advocatus pro clientulo apud Iudicem, vel Principem loquitur, actum exercet externum, suamque ad extra promit pro illius patrocinio voluntatem.

8 Amplius quis ejus non admirabitur magnanimam liberalitatis virtutem, nec non indè misericordiæ in erogando bona pauperibus, miserisque generosè subveniens? Cum enim à Regibus Orientis pretiosa munera recepisset, Auri, Thuris, & Myrrhæ, paulò post in-

Digitized by Google

purificatione ſua, non habuit nec agnum quidem quem offerret, ſed ut paupercula duos pullos ſolum obtulit columbarum. Ex quo credendum eſt, quod ea munera pauperibus erogaverit. O' magnum planè pietatis opus. O' admirabile miſericordiæ geſtum. O' maximæ charitatis incomparabile facinus. Vera quidem Mater fontis totius boni, dignaque bonorum omnium Largitoris parens.

9 Adhuc ex his, quæ de ipſa referuntur per Lucam cap. 2. quod cum neſcientibus ipſa, & Joſepho, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & anxii requiſiſſent eum inter cognatos, & notos, & non invenientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem, quem demum poſt triduum invenerunt in Templo ſedentem in medio Doctorum diſputantem. Tunc Mater ejus dixit ad illum, *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, Lucæ 2.* In qua flammantis materni pectoris feſtiva quærimonia, intenſus ejus amor exprimitur, ægrè imò ullatenus abſentiam à ſe filii ferens; nec non ejus cum prudentia, modeſtia, ſic dulciter ipſum interrogando, eumque tanti doloris in ipſa cauſam extitiſſe. De quo ſe prudenti, modeſtoque more gerendi plenius infra.

10 Et ut de cultu Dei occurrit, noſtrum ultrò ſuadetur aſſertum per actus quos exercuit Religionis Beatiſſima Virgo, quam nulli dubium eſt religioſiſſimam fuiſſe, ac erga Deum ſicut amore, ita pietate pleniſſimam. Inter actus autem Religionis computantur etiam exteriores, etſi non principaliter ſecundatio tamen, & ut ad interiores ordinati. Eos ergo virtutem exercendo Religionis, elicuiſſe fatendum eſt Beatiſſimam Virginem excolendo ſcilicet, ne dum interioribus Deum actibus, ſed etiam exterioribus, juxta illud pſalm. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quibus verbis probat D. Th. 2. 2. q. 81. a. 1. argumento ſed contra, Deum eſſe colendum, non ſolum interioribus actibus, verum etiam exterioribus, ac per conſequens hos ad Religionem itidem pertinere, tametſi ſecundario, ut ibidem D. Thom. in *Reſpondeo dicendum docet, quod Deo reverentiam, & honorem exhibemus, non per ſeipſum, quia ſeipſo eſt gloria plenus, cui nihil à Creatura adiici poteſt, ſed propter nos, quia videlicet per hoc, quod Deum reveremur, & honoramus, mens noſtra ei ſubiicitur, & in hoc ejus perfectio conſiſtit. Quælibet enim res perficitur per hoc quod ſubditur ſuo ſuperiori, ſicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, & aer per hoc, quod illuminatur à ſole: mens autem humana indiget ad hoc quod conjungatur Deo ſenſibilium manuductione, quia inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ut Apoſtolus ad Rom. 1. & ideo in divino cultu neceſſe eſt aliquibus corporalibus uti, ut eis quaſi ſignis quibuſdam, mens hominis excitetur ad ſpirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideò Religio habet quidem interiores actus, quaſi principales, & per ſe ad Religionem pertinentes: exte-*

Digitized by Google

teriores verò actus, quasi secundarios, & ad interiores actus ordinatos. Cum ergò procul dubio sit, Beatissimam Virginem Mariam, virtutem habuisse Religionis ipsam exercuisse, debitum Deo reddendo honorem, & excellentissimè super omnes dicendum est creaturas: Sicut & ipsum amasse, fideliter adorasse, eique credidisse, ac perinde actus exteriores asserendum est elicuisse Religionis.

11 De cujus præcipuo actu, puta latriæ, scribit Beatus Albertus Magnus opusc. Super missus est cap. 80. eximiè in Beatissima fuisse Virgine Maria. *In tribus enim,* docet ipse, *Consistere latriæ cultum, aut servitutem. In actu scilicet cordis, qui est cognitio, & dilectio. In actu oris qui est laus, & oratio. In actu operis, ut genuflectio, adoratio, immolatio, & hujusmodi. Omnia autem hæc in Beatissima Virgine in summo fuerunt. Virtutibus namque interioribus, omnem creaturam excellit.* (de quibus idem Doctor infra fusè) *Habent enim Angeli virtutes inamisibiles, sed præmii essentialis, non meritorias. Habent etiam homines virtutes meritorias, sed amisibiles. Habet autem Beatissima Virgo virtutes meritorias, & inamisibiles, cum Angelis, & hominibus, & ita habuit excellentissimam Latriam in actu cordis.*

12 *Item actus latriæ ab ore, ut est laus, & oratio, excellentissimè fuit in Beatissima Virgine. Pro laude, quænam major, quam ab illa prolata in cantico Magnificat? Quænam dulcior, quam à voce sic pulcherrimæ sponsæ? Quænam suavior, quam ab ita amatissima, & amantissima Matre expressa. De oratione similiter. Oratio enim aliorum Sanctorum non innititur alicui juri ex parte sui, sed tantum misericordiæ ex parte Dei. Oratio autem Beatissimæ Virginis innititur gratiæ Dei, & juri naturali, & justitiæ Evangelii, vel Decalogi. Quia filius tenetur non tantum exaudire, sed obedire matri, juxta illud Exod. 20. Honora patrem, & matrem. Et Apostolus ad Ephes. 6. Filii obedite parentibus vestris. Quod & ipsa videtur innuere in modo orandi, & utens non obsecratione simplici, sed insinuatione dicens, vinum non habent, &c. Dicit Magister Ugo de Sancto Victore. Quod nobilissima species orationis est insinuatio, exemplificans in eodem verbo scilicet, vinum non habent. Et latria orationis ejus fuit in summo. Tum quia ibi erat nobilissimus modus orandi. Tum quia ejus oratio habebat rationem jussionis, & Imperii. Tum quia erat impossibile eam non exaudiri, iuxta illud 3. Reg. 2. Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. Et iterum Hester 5. Quæ est petitio tua Hester? Pro qua re postulas? Etiam si petieris dimidium Regni mei obtinebis.*

13 *Item actus latriæ in opere exteriori principalis in oblatione, & excellentior in Templorum consecratione, & conservatione. Hoc autem totum fuit in Beatissima Virgine in summo, quæ corde, & corpore, Templum se Spiritui Sancto construxit. In quo seipsam, & in seipsa summam castitatem cordis, & corporis Deo, omni Sacrificio acceptabilius obtulit. Imo ipsum*

Digitized by Google

filium ſuum, & filium Dei, non prout panis, & vinum in corpus ipſius tranſferebatur, & ſub ſpecibus alienis immolabatur: ſed ſecundum quod ejus propria Carne, & Sanguine, ſecundum Corpus formabatur ſub ipſa ſua ſpecie propria, in qua eum genuit, ſpontaneo conſenſu, & in ejus paſſione pro omnibus nobis obtulit, per quam ſufficientiſſimam, & gratiſſimam hoſtiam, ſemel oblatam, Deum toti generi humano reconciliavit. Qui nimirum excellentiſſimus actus latriæ in opere fuit.

14 Ita pariter de adoratione exteriori dicendum eſt, perfectiſſimè Beatiſſimæ Virginis fuiſſe actum. Ad cujus adorationis rationem, actus interiores opus eſſe docet D. Th. & exteriores 2.2. q.84. ex eo quod Damaſcenus dicit in 4. lib. fid. Ortod. cap. 13. *Quia ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliattione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exteriùs refertur ad id quod eſt interiùs, ſicut ad principaliùs, ideo ipſa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubiiciendum ſe Deo, quia connaturale eſt nobis, ut per ſenſibilia ad intelligibilia perveniamus.*

15 Credendum eſt autem ſic Deum adoraſſe, ut ſummum Dominum, & Creatorem Beatiſſimam Viginem, cum etiam, & ipſa cenſenda ſit per ſigna ſuæ profundiſſimæ humilitatis, quam adhuc corporaliter exhibebat, exciraſſe ſuum maximum affectum ad ſubiiciendam ſe Deo, quem intenſiſſimè ſicut amabat, ità & fervidè colebat qualibet excellentiùs creatura, ut ſupra etiam cum Beato dictum eſt Magno Alberto.

16 Nec præfatam deneges exteriorem adorationem, ductus ex eo, quod dicitur Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*: Sed id quod fit in ſpiritu non pertinet ad corporalem actum, ergo adoratio non importat ſecundum ſe corporalem actum, ac neque per conſequens exteriorem, & ex conſequenti, nec illum in Beatiſſima Virgine præſupponens, aut includens.

17 Reſpondetur enim cum D. Th. in præcitato. *Ad primum dicendum, quod etiam adoratio corporalis in ſpiritu fit, in quantum ex ſpirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur.* Quod benè ita fieri credendum eſt in omnibus veris adoratoribus, & conſequeter, & ardentiùs in ipſa Beatiſſima Virgine, in qua ſuper omnes ſpiritualis vigebat, interiorque cordis devotio.

18 Et hinc de Oratione perinde profitendum eſt fuiſſe ne dum mentalem, ſed etiam vocalem in Beatiſſima Virgine. Quod agitur ex his, quæ docet D. Th. 2.2.q.83. a.13. ubi triplici ratione, inquit, habendam eſſe orationem vocalem, *Primò ad excitandum interiorem devotionem. Secundo*

Digitized by Google

eundo ut serviatur Deo, secundum totum quod ipse tribuit, animam scilicet & corpus. Tertio propter redundantiam animæ ad corpus ex vehementi affectione, vel amore in Deum.

19 De quarum opportunitate rationum, licet prima non necessariò simpliciter asserenda sit in ipsa Beatissima Virgine, cum bene fuerit, & copiosè semper, & ad semper ad devotionem in se parata, ac intentissime succensa. Quoniam, ut dicit D. Th. ibidem. *Quod contingit cessare à signis externis, vel vocibus in oratione in his quorum mens, sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata, unde Psalm. 29. dicit psalthes. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea. Et de Anna legitur 1. Reg. 1. Quod loquebatur in corde suo.* Quinam autem potuit unquam reputari magis ad devotionem dispositus, vel paratus, quam fuit ipsa Beatissima Virgo, utpotè omni gratia plena, totiusque cœlestium thesauri donorum Arca in summo repleta? Quamquam ut supra num. 15. innuimus ob ingentem humilitatem, non sit abnuendum excitasse se externis latriæ actibus ad subiiciendum se Deo, recognoscens ipsum ut supremum suum, omniumque Dominum, universique boni fontem, atque largitorem.

20 Secunda tamen ratio affirmanda prorsus est in Beatissima Virgine, sicut & Tertia. Secunda quidem quia servire studebat ipsi Deo, secundum totum quod ab ipso habuit, animam videlicet, & corpus, & cum maximo intensa esset erga illum affectionis ardore, uberrimè redundabat ad corpus ab anima tamquam tanti flaminis fonte, assidua devotio: unde.

21 Tertia in ipsa asseveranda est ratio, qua vocaliter, etiam, & exterius orare ipsam arguimus. Quoniam ut subsequitur D. Th. adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima ad corpus ex vehementi affectione, secundum illud psalm. 15. Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea. Quænam autem major infra Christum Dominum, quam in Beata Virgine sua Genitrice affectio erga Deum? Quinam intensior quam in illa erga suum Creatorem, filiumque amor? Quod & potissimè arbitrandum est in ipsa, utpotè maxima infra filium gratiæ plenitudine prædita. In ipsa igitur maximum fatendum est effluxisse devotionis servorem, ex corde veluti fornace in corpus, erumpente, quo ad vocalem evolabat orationem, actusque egregiè virtutis peragebat Religionis, præterque internos, externos, repetens illud Psalm. 3. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

22 Quid autem de ipsius sentiendum sit summæ Sapientiæ dono, quemque quove modo ejus usum habuerit? Opus est D. Thom. audire 3. p. q. 37. a. 5. *Ad tertium dicendum non esse dubitandum, quod Beata Virgo excellenter donum acceperit Sapientia, & gratiam virtutum, & etiam gra-*

Digitized by Google

gratiam prophetiæ, non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus; sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiæ enim usum habuit in contemplando, secundum illud Lucæ 2. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Non autem habuit usum Sapientiæ, quantum ad docendum, quia hoc non conveniebat sexui muliebri, secundum illud, 1. ad Timo. 2. Docere autem Mulieri non permitto. Miraculorum autem usus sibi non competebat dum viveret, quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis, & ideo soli Christo, & ejus Discipuli, qui erant bajuli doctrinæ Christi, conveniebat miracula fatere. Propter quod etiam de Joanne Baptista dicitur Joan. 10. *quod signum fecit nullum, ut scilicet omnes Christi intenderent. Usum autem sapientiæ habuit, ut patet in cantico, quod fecit, Magnificat anima Dominum, &c.*

23 Quod concinens felicissima Virgo Dei Genitrix, complures expressit fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum actus, atque donorum, ultra propheticum, ut annuit in præcitato D. Th. Quo ad donum verò Sapientiæ, adhuc & aliquantum posset dici, subdit ibidem Cajetanus, quod usum habuit Beata Virgo Maria. Non autem publica doctrina, ut veluti sedens in Cathedra doceret, hoc enim pacto vetitum est ab Apostolo docere Mulieribus, sed familiari quadam instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, Beata enim Virgo aliqua particularia facta explicavit Apostolis. Divus autem Thomas secundum scripturam sacram loquens, negat ab ea usum sapientiæ, quoad actum doctrinæ, ut supra exposuimus. Cum quo benè stat etiamnum, & actum sapientiæ, vel usum habuisse externum Beatam Virginem, opusque peregisse Sanctum, ac pium instructionis, &c.

24 Denique quoad modestiam, quæ pars est virtutis temperantiæ, ut ex Tullio docet D. Th. 2.2. q. 143. a. 1. quamque versari dicit, & circa actus interiores, & circa exteriores q. 160. a. 2. perfectissimè in Beatissima fuisse Virgine, nullatenus est hæsitandum, quam modestissimam, Idęamque modestiæ, fatendum est fuisse in cultu vestium, in gestiendo, loquendo, aliisque hujusmodi exterioribus actibus, de quibus D. Th. ait; quæst. relata a. 7. *Circa motus, & actus corporales moderationem, & refrenationem facit modestia, quam Andronius in tria dividit. Ad quorum primum pertinet discernere quid sit faciendum, & quid dimittendum, & quid quo ordine sit agendum. Et in hoc firmiter persistere, & quantum ad hoc ponit bonam ordinationem. Aliud autem est, quod homo in eo quod agit, decentiam observet, & quantum ad hoc ponit ornatum. Tertium autem est in colloquiis amicorum, vel quibuscumque aliis, & quantum ad hoc ponitur austeritas.*

25 Quod ergo in his tribus agendis, Beatissima Virgo Maria prudentissimè, & modestissimè se gesserit, nulli dubium esse potest. Cum

tam

Digitized by Google

tam in Colloquiis, quam vestibus, aliisque hujus generis rebus, neutiquam ipsam, nec peccasse venialiter credimus, aut aliquo deliquisse, penitus in praxi pacto, vel convictu, irreprehensibilem se præbens in cunctis, ideamque virtutum omnium, totiusque bonitatis, ac sanctitatis exemplar; Quod certò annotans, tantam admiratus Divus celsitudinem Dionisius, nisi fide rententus alium fore Deum, ipsam utique, ut divinum Numen adorasset. De qua opportunè D. Ambrosius, ut canonem totius rectitudinis, ac moralitatis exponens, collaudando sic inquit, lib. de Virginibus: *Sit vobis tamquam in Imagine descripta Virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis.* Et infra de interioribus virtutum actibus, exterisque sic eloquendo prosequitur. *Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in præce pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior. Ut ipsa corporis species, simolacrum fuerit mentis, figura probitatis &c.* Sic, & fusius Sanctus Antistes dotes inenarrabiles enarrando depingit Sponsæ, Matrisque divinæ, à qua velut à mensura virtutum omnium, & forma supereminenti donorum, edoceri quilibet in bonitate potest, merita lucrandi addiscere per opera benè acta ac virtutum, harumque demum regulam prudenter agendi, ac normam, ceu cœlestem habere.

26 De quo laudabili se gerendi more Beatæ Mariæ Virginis agens ejus Beniamin dilectus Beatus ille Magnus Albertus opusc. Super missus est; articulatim ipsa descripta, ac ceu divinus ad vivum expingens Apelles à planta pedis usque ad verticem capitis, ejus universas annotans dona, dotesque, tum animæ internas, tum exteras corporis, de modestia inter cæteras diserens cap. 93. & 46. inquit. *Quod cum modestia consistat in duobus: in dictis scilicet, & in factis. Utrumque Beata Virgo habuit in summo. In dictis. Quia nemo unquam linguam domare potuit, ut dicitur Iacobi 3. Hoc intelligitur communiter de Viatoribus. Sed Beatissima Virgo linguam in summo domavit, quia nunquam in lingua lapsa fuit. Ergo modestia Beatissimæ Virginis in dictis omnem creaturam excellit.*

27 *Item in factis Ecclesiastici 7. Non est justus, qui non peccet proverb. 24. Septies in die cadit justus. Hoc intelligitur communiter de viatoribus, & de casu veniali. Sed Beatissima Virgo nunquam peccavit, & nunquam cecidit, ergò in modestia facti omnem creaturam excellit.*

28 De modestia verò in cultu vestium, post allatas utrinque opiniones cõcludit cum Divo Hieronymo, mediocritatem illam adhibuisse. Quoniam ut præfatus ait Sanctus Doctor. *Ornatus vestium, & sordes pari modo fugiendi sunt. Cum ergo Beata Virgo non sit locanda in extremis,*

Digitized by Google

mis, utpotè vitiosis, sequitur agnoscendam fore in medio, quod sedes est virtutis, ac per consequens in mediocritate in genere cultus vestium.

26 *Item nihil tantum placet Deo quantum zelus animarum: ad hunc autem ordinatur conformitas, iuxta illud; omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem 1 Cor. 9. Conformitas autem est in mediocritate. Ergo cum Beatissima Virgo fuerit maxima zelatrix animarum, quæ omnes maximè lucrifacere voluit. Ipsa omnibus hominibus se maximè comparauit, ergo mediocritatem habuit in cultu vestium.*

30 *Item virtus in mediocritate consistit, ergo cum Beatissima Virgo omnibus exemplum virtutis extiterit: etiam in mediocritate habitus exemplum dedit.* Ambigendum autem ullatenus est ad genus operum exteriorum hæc omnia, sicut & ad ipsa prædicta pertinere, ut ostendimus; Ergò ut erroneum, & prorsus abjiciendum ut perfidum asserrum audens denegare Beatissimæ Dei Genitrici virtutum opera exteriora. Est utique ipsa post Filium Sanctissima Sanctorum, ac inde super omnes eminens Angelorum ordines, ipsiusque increatæ Trinitatis summo Throno affinior: At ad sic mirabilem celsitudinem, tamque præcelsum gloriæ apicem, evolasse fatendum est illam, tum interioribus suæ gratiæ operibus, tum exterioribus. Tum corde in Deum exultando vivum, tum carne. Tum anima excolendo ipsum, tumque corpore. Tum intraneis deserviendo potentiis, tum extraneis. Tum denique spiritualibus agendo viribus, tum corporeis opera sancta. Unde meritò Deus ipse sub figura Rubi incombusti præsignavit ipsam, & Arcæ flammantis, flammeam ejus indicans charitatem, qua Deum ex tota sua diligens anima, ex tota mente, totisque viribus suis, in omnibus erumpebat ignifera ad opera patranda sancta perurgens, non enim in ea poterat tantus amor immorari otiosus.

31 Quem sic in pectore Virginis ebullientem, nec non præmimia vehementia ad extra persusum, admiratus S. Pater Augustinus, velut fluvium igneum de ore ipsius Virginis egredientem inspiciens, ad illam ut nobiscum alloquentem hoc pacto serm. 14. de Natali Domini, nos vocat inquiens. *Audite Fratres, audite Mariam nobiscum loquentem, carne absentem, spiritu præsentem, verecundia Virginitatis vultum avertentem à colloquutore, & indicantem quomodo impregnata sit à Creatore. Eram, inquit Maria, in domo mea, puella Iudæa, ex semine David Regis generata. adulta facta sum, & desponsata sum conjugi, & placui alteri, non interveniente adulterio, sed intercedente Spiritu Sancto; desponsata sum homini Iudæo, & placui homini Deo. Desponsavit me vir Iudæus, & amavit me Christus Deus. Ignoravit quidem sponsus meus David, quod me amasset Deus meus, & putavit quod adulterio impregnatus esset venter meus. Nam ignaro Ioseph Sponso meo, venit ad me quidam Magnus Christi Paranimphus non Patriarca primus, aut Propheta egregius, sed Gabriel ille*

Ar-

Digitized by Google

Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili, viſitavit, & pertubavit me, ſalutavit, & gravidavit, dixitque mihi, Ave gratia plena, Dominus tecum, Dominus inquit, tecum, ſed pluſquam mecum. In me autem licet ſit Dominus, memetipſum creavit Dominus, per te genitus eſt Dominus. Ita eſt Dominus tecum, ut ſit in corde tuo, ſit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam, procedat formoſus de utero tuo, tamquam Sponſus de thalamo ſuo, egrediatur Rex de cubiculo ſuo, procedat Princeps de aula regali, ita ut Virginitatem tuam non faciat violari. Dixitque ei, quomodo fiet iſtud, ut ego graveſcam pudico, & mundiſſimo Marito, quoniam virum penitùs non cognoſco? Deſponſata ſum homini iuſto, ſi cum illo non convenero, unde erit, quod generabo? Sed ſi poteſt fieri, ut concipiam intacta, & generem clauſa, indica modum, & invenies paratum cor meum, omnibus modis enim exopto me ego Deo meo, ut habeam prolem, & non perdam pudorem. Hucuſque alloquens verba ſanctiſſima creditum eſt eructaſſe de ſuo corde Maria, & in rei veritate reſponſa dediſſe Angelo nuncianti. In quibus tenerrimis, mirificiſque colloquiis pro certò fatendum eſt in actibus prorupiſſe, nè dum interioribus, verum etiam exterioribus Sanctitatis. Unde collapſa remanet quadrageſima Propoſitio Molinos, videlicet ut ſupra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Quadrageſima prima Propoſitio Molinos. *Iddio permette, e vuole, per humiliarci, e farci giungere alla vera trasformazione, in alcune anime perfette, etiandio non arrettitie, che il Demonio cagioni violenza nel loro corpo, e le faccia commettere atti carnali, anche in vigilia, anche ſenza offuſcazione di mente, movendogli fiſicamente le mani, & altri membri contro loro volontà. E lo ſteſſo ſi dice in ordine ad altri atti per ſe ſteſſi peccaminoſi, nel qual caſo non ſono peccato, perche non vi è il conſenſo.*

Oppoſitum è contra dictum.

Moraliter loquendo, ſive juxta conſuetum vivendi hominum morem. Sub Dei ſuavi providentia rectum, nequit homo taliter à dæmone tentari, aut aliquam pati violentiam, ut adhuc vigil, cumque ſui eſt compos, ad actus prorumpat illicitos contra eius voluntatem, ita ut nullo pacto dicatur ad illos præbere aſſenſum, ſeù aliquo concurrere pacto.

1. QUid ſanè dæmone poſt Deum, Sanctoſque Angelos fortius, quidve ſagacius? Referant jactanter ut maximè ſecula ſuos Heroes, Hercules, ſacroſque Sanſones, quoniam præciſa Dei mirifica gratia, non ſecus, ac paleæ comparatione perſpicientur illius: Quo circa ſic eum annotans patientiæ Princeps, potentiſſimum ſub nomine Behemoth depinxit illum, ſubque Leviathan cap. 40. & 41. *Non eſt*, inquiens, *ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret*. Et Joannes Evangeliſta exul in Pathmos, ſub ſpecie Draconis rabide pugnantis deſcripſit illum Apocal. cap. 12. Unde pro ejus extimeſcenda potentia, *Væ terræ*, (ibidem clamitat,) *& mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam*; Et infra cap. 13. Ad fortitudinem indicendam beſtiæ, vicem Draconis in virtute, & poteſtate magna gerentis, nec non ad voces populorum ipſam adorantium, atque magnificantium referendum, dicentes illas, inquit. *Quis ſimilis beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum ea?*

2. At ò quam dulcia viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, quamque paterna, piaque tanti præcordia Proviſoris. Sit præpotens quantumlibet, vigeatque in ſuo robore Sathan: Quoniam de ipſo inaniter de ſua vi confidente, nec non ſuperbiente verſutia, auditur idem patientiſſimus in præallato capite ſubdens, *Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus*

Digitized by Google

bus cunctis præcipitabitur. Et ut idem solitarius exul in Insula Pathmos super prædictum cap. 12. projectum è Cœlo innuens horridum Draconem ait. *Et projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit universum orbem, & projectus est in terram.*

3 Spectata dęmonis ergo physica potentia, viribusque ipsi insitis attentis, posse patrare Magnalia, ipsumque pervertere orbem, procul esse dubio apud omnes existimo, ac per consequens eo magis, magisque sine comparatione violentiam inferre homini, ejusque movere membra ad actus inhonestos, & turpes, illo etiam reluctante, ac positivè dissentiente, voluntate prorsus in contrarium obstante: Imò & hoc posse ab ipsomet homine super alium robustiore, planum est, & sæpe compertum, ut stupra per vim perpetrata apud Tribunalia clamantia perstreperunt, aliaque ad idem genus acta luxuriæ, fędaque spectantia. Quod si præfata vis potest ab homine in alterum inferri, velit iste nolit contranitens, totoque obstans illi conatu. Non enim unicæ fuerunt in orbe Lucretiæ, Dinæque per vim, metumque oppressæ. Igitur à fortiori hoc à Dęmone effici poterit.

4 At quia Dei attento pio regimine, nequit exercere in homine, sicut & in ipso terrarum orbe, quantum in se validitate polleat suarum virium Sathan, cum optimè reprimatur, nec permittatur ad tam ultra progredi, ut exoptat, repressus ut Fera pessima, Leoque rugiens, tametsi rabidè in se sistat, neutiquam divina Dei Misericordia permittente, nos supra id, quod possumus tentari. Quandoquidem in maximum duceretur discrimen humana fragilitas, si in tam proxima tentationis occasione, & ita in extremis exponeretur, ut ad illa vix, aut nunquam, nisi divino, ac efficaciissimo divinæ gratiæ protegente auxilio, evadere queat, uti foret in casu, admotis ad turpia membris, manibusque ad illicita tractis, aut usque ad contactus perducere objectum, quod sua formositate sit alliciens, & attrahens, vel horrore terreat, sivè ut supplicium excruciet. Cum hujusmodi modi agendi, qui in singulari, & in individuo sunt actus, valdè periculosi sint, præcipitemque penè faciant hominem, sic in arcto per eos inductum.

5 De quo opportuna est D. Th. doctrina quodl. 1. a. 9. quo inquirens. *Utrum contritus teneatur velle magis esse in inferno, quam peccare. Respondet dicendum, quod contritus tenetur in generali velle pati magis quamcumque pœnam, quam peccare. Et hoc ideo quia contritio non potest esse sine charitate, per quam omnia dimittuntur peccata. Ex charitate enim plus homo diligit Deum, quam seipsum: peecare autem est facere contra Deum, punire autem est aliquid pati contra seipsum: Unde charitas hoc requirit, ut quamlibet pœnam homo contritus præeligat culpæ. Sed in speciali descendere ad hanc pœnam, vel ad illam non tenetur: Quinimò stultè faceret,*

ceret, si quis seipsum, vel alium sollicitaret super huiusmodi particularibus pœnis. Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi; ita terribilia plus terrent si in particulari considerentur. Et aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui fortè maiori caderent; Sicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras, magis moveretur. Et similiter aliquis non refugeret pati, pro Christo mortem: sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas magis retraheretur; Et ideo descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem peccandi. Ita & maximè appositè D. Thom. ad rem.

6 Cui consonus P. Hermannus Busembaum inclitæ Societatis Jesu S. Theolog. Licentiatus, in sua Medulla Theologiæ Moralis tract. 4. de Sacramento Pœnitentiæ dubio 2. num. 7. inquit. Quod etsi dolor contritionis debeat esse summus appretiativè, ita ut nihil magis detesteris, quam peccatum, magisque omnia mala hujus mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est, imò nec expedit, particulares facere collationes, v. g. Mallem hoc, vel illud malum subire, quam mortaliter peccare, quia periculosæ sunt.

7 Ex qua doctrina, planè quod à nobis est prædictum infertur: Quod nempè in talibus inductus homo angustiis, ut undique præmant ipsum motiva peccandi, alliciant, obstringantque impudenter, & audaciter petulantia objecta, aut minitantia mortem, immanitatis objiciant jam parata instrumenta, ut impossibile reputandum moraliter est, quod non corruat, nisi maximo divini brachii subveniatur auxilio, quodque Deus suæ manum pietatis promptè supponat, ad eum ex illis eripiendum instantibus sic propè periculis. Ut in ipsomet Divo Thoma mirificè claruit, cum Mulierem, quæ ad ejus inquinandam puritatem venerat, fitione fugavit. Sicut, & in Divo Vincentio Ferrerio, qui nobilem, pulcherrimamque adolescentulam, quæ sponte seipsam amore capta, perfruendam ei exhibuit, strenuè respuit: Unde dæmon, qui postmodum protinùs ad pœnam infligendam mulieri eam invasit, neutiquam ab ea se exiturum clamavit, quam præcepto illius, qui in medio positus ignis, æstuatus minimè foret, quod de ipso invicto Vincentio, ut ex liberatione præfatæ Mulieris patuit, intendebat. Ita itidem de fortissimo famoso illo Niceta, qui super lectulum obstrictè devinctus, ceù manicis, compedibusque retentus, & ab impudenti Muliere tactibus, osculisque petitus, obtruncando sibimet suis dentibus linguam, in illius expuit faciem: velut exprobrans illam, ipsa perlingua, in ipsum exercitam impudentissimam audaciam, non satis ad eam repellendam se fortè habentibus solis verbis. Hisq; similia, & heroi-

ca

Digitized by Google

ca feruntur acta, & admiranda de aliis compluribus, ut in vitis est videndum Sanctorum Patrum, sacrisque legendis. Sicut etiam de invictis ad objecta tormentorum instrumenta Martiribus, eaque insuper proterendo, nihilipendentibus.

8 Præfatæ autem, ac præcipuæ gratiæ, non omnibus, & usitatè descendunt è Cœlis, solum autem nonnullis ergà quos Deus pro sua bonitate, majori se complacet affici benevolentia, donaque pretiosiora tribuere, juxta urgentiorem, in qua tentatos aspicit vexari, necessitudinem. Optimè namque noscit infirmitatem hominis, & quomodo impetibus ab hoste Sathana, ejus tentamentis, versutiisque implexus, impossibile foret illi, moraliter loquendo, ab inimico vaferrimis implicationibus liber evadere, aut victor de illis palmam deferre triumphi. Unde non est putandum, quod ita deserat eum, ut in extremis sic inducatur angustiis, circūseptus ab hoste, prorsùs inclamet, plusquā susāna, omni spe derelictus, undique sunt mihi angustiæ. Propterea ita sua suavissima providentia regit illum, ut suo se propugnando libero arbitrio, sub assistentia tamen auditorii divini, repellere à se valeat machinationes hostis cunctas, & conatus. Quod si aliundè sub armis corruat illius, nonnisi per suæmet voluntatis assensum, fatendum est hoc evenire, ac ex seipso suam fore perditionem, perindèque meritò plectendus, & ut suam agnoscens inertiam fateatur. Heù patior telis vulnera facta meis.

9 Non ergò censendus est excusabilis homo, cum ad actus prorumpit inhonestos, ex eo quod illos agat per vim motus à dęmone, membra ad opus trahentis, cum hoc non patiatur suave divinæ providentiæ regimen, ejusque assueta regendi hominem ratio, non permittens, attenta hominis fragilitate, sic violenter eum tentari, quod esset supra id quod ex se posset ille, ac valeret. Unde inspecta hominis infirmitate ad bellum cum dęmone gerendum expositi, opem fert illi de Cœlo, estque præsidio, quo benè bellare potest, hostemque devincere: quænam sint hæc auxilia à Deo præstita, insinuat D. Th. 1. p. q. 114. a. 1. *Ad secundum dicendum, quod ad hoc, ut non sit inæqualis pugnæ conditio, fit ex parte hominis recompensatio, principaliter quidem per auxilium divinæ gratiæ: Secundario autem per custodiam Angelorum. Unde 4. Regum 5. Elisæus dixit ad Ministrum suum, Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Concluditur ergo quod Deus non sic deserit hominem, quod prorsùs, ut derelictum omittat sub dęmonis dira violentia, & hæc in turpibus, pravisque exercita actibus, cum validè suffragetur, sitque expeditè in adjutorium. Et apparet quam falsum sit opinari, quod admovente homine ad turpia, vel mala opera, manus, & membra, hoc fiat ex dęmonis acta violentia, Deo sic permittente, circumtegendo quasi pravitatem actus sub operculo violentiæ illatæ à

dę-

Digitized by Google

dęmone, quodque liber ille remaneat à cenſura peccati, cum minimè ad ipſum concurrat per aſſenſum voluntas, homine adhuc exiſtente vigili, ſuiqui compote. Quam inanem à culpa purgationem prævidens Divus Auguſtinus, ſic hominem eam pro ſe excuſando afferentem confutat, & reiicit, homil. 12. tom. 10. *Reſpondet ergo peccator, & dicit Diabolus hoc fecit, quaſi re vera traxerit eum Diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim, & ſollicitare poteſt, cogere omninò non poteſt.* Quid expreſsiùs ex ore tanti Doctoris pro tollenda de mente hominum Molinica violentia? Non ergo per illam excuſabilis fit homo, cum actus agit illicitos, & peccaminoſos, quinimò culpabilis, & obnoxius, eo quod per aſſenſum concurrit ad illos cum vigil eſt, &c.

10 Ad quod inſuper explanandum, ac ſimul Molinicum tollendum errorem, prænotatis que hucuſque pro dilucidando dicto tradidimus, oſtendendum eſt modo ad illud ſanciendum, & abſolutè loquendo, quod nequeat homo cum vigil eſt, ſuiquè compos, & ſana mente, plenèque ad ſuos actus advertens, non præbere, cum illi pravi ſunt, turpes, & illiciti, ad eos aſſenſum, cumque error in parte fuerit inferiori, non præcedat, & etiam in ſuperiori. Ita & primo ſtatuitur cum Divo Thom. 2. 2. q. 163. a. 1. docente. *Quod primò invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis, quia ut Auguſtinus dicit in 1. de Civit. Dei cap. 18. Non amittitur corporis Sanctitas, manente animæ ſanctitate. Oportet igitur ad inordinationes actus exterioris, inordinationem præcedere interioris, quod eſt ad illicitam effectionem illius præbere aſſenſum, ſeù voluntate inordinata concurrere, atque ad illum, ipſam ſuo imperio potentias movere ſubjectas.* Nequit ergò ex hac ſic dilucida doctrina, abſolutè, ſivè regulariter loquendo, ſic homo à dęmone tentari, aut in actibus ipſis exterioribus libidinoſis, vel quocumque pacto illicitis, vim pati, ut ipſis effectis, immunis ipſe dicatur à culpa in eis agendis, cum vigil eſt, ſuique compos, cunctaſque ſuas potens advertere actiones.

11 Quod luculenter, & ſcitè cum ipſomet Angelico Doctore confirmatur, & explicatur 3. c. g. cap. 10. ubi ait: *Quod in actionibus moralibus inveniuntur per ordinem quatuor activa principia, quorum unum eſt virtus executiva, ſcilicet vis motiva, qua moventur membra ad exequendũ imperiũ voluntatis; unde hæc vis à voluntate movetur, quæ eſt aliud principium: Voluntas verò movetur à iudicio virtutis apprehenſivæ, quæ iudicat hoc eſſe bonum, vel malum, quæ ſunt voluntatis obiecta, unũ ad proſequendũ, aliud ad fugiendum: ipſa autem vis apprehenſiva movetur à re apprehenſa. Primum igitur activum principium in actionibus moralibus eſt res apprehenſa; ſecundum vis apprehenſiva; Tertium verò voluntas; Quartum vis motiva, quæ exequitur imperium rationis. Actus autem virtutis exequentis iam præſupponit bonum morale, vel malum; non enim ad mores huiuſmodi*

actus

Digitized by Google

actus exteriores pertinent, nisi secundum quod sunt voluntarii. Unde si voluntatis sit actus bonus, & actus exterior bonus dicetur, malus autem si ille sit malus: nihil enim ad malitiam pertineret, si actus exterior deficiens esset defectu ad voluntatem non pertinente. Relinquitur ergo (paulò infrà D. Th. infert) *quod morale vitium in solo actu voluntatis primò, & principaliter invenitur, & rationabiliter, cum ex hoc actus moralis dicatur, quia voluntarius est. In actum ergo voluntatis quærenda est radix, & origo peccati mortalis.*

12 Ex quibus Sancti Doctoris vocibus, luce clariùs apparet, non posse hominem ad actum excurrere illicitum carnis, aut ad aliud nefarium facinus, quin ad illud motio sit anterioris priùs, interioriſque principii apprehensivæ scilicet, & volitivæ potentiæ. Nec ullo pacto reputandus est, sic in eo pati violentiam homo, vel vehementer à dæmone vexari, sicut tentari, ut membris agat externis, & nullatenus ad ipsum illicitum actum voluntas assensiendo concurrat, cum liber est, ac vigil, suique animi compos, ut dictum est.

13 Et amplius suadetur cum eodem D. Thom. 1.2. q 80. a. 3. Quo inquit, culpabilem fore hominem in actibus peccaminosis, ad quos à dæmone tentatur, cui potest, & viriliter agendo, strenuè obsistere cum vigil est, nec in sua ratione ligatus. Ad ergo dubium: *An Diabolus possit ad peccandum necessitatem inferre. Respondet dicendum, quod Diabolus propria virtute, nisi refrænetur à Deo* (*nota benè cuncta, quæ diximus in prænotandis*) *potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est, non autem potest inducere necessitatem peccandi. Quod patet ex hoc quod homo, motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest movendo imaginationem, & appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet: sed tunc ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputabitur ei ad peccatum, sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte, qua est libera, potest resistere peccato: Unde manifestum est, quod Diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.*

14 Qua sic apposita doctrina planè habetur, quod supradiximus initio capitis, quòd scilicet esto dæmon posset propria vi, nisi cohibeatur à Deo, necessitare hominem ad aliquem indebitum actum, puta movendo manus ad turpia, vel ad stringendum gladium contra aliquem, &c. Et hoc præciso humanæ voluntatis assensu, quod esset physicè tantum impellere hominem ad actum illicitum, non autem moraliter: attamen ut subjunximus, hoc dicimus non evenire, spectato Dei suaviſſimæ providentiæ regimine, & juxta consuetum regendi ritum in orbem, non permittentem sic in angustiis tentationum perducatur homo, ut vigil, compoſque animi, actus agat turpes,

ac

Digitized by Google

ac delectabiles, & quod in illis tamquam marmorei pectoris non delectetur, eosque minimè ut insensato corde deguſtet; Quamobrem, ut ibidem innuimus, in hujusmodi eventibus, specialissimæ opus est Dei gratiæ, præcipuique auxilii opis, & opus brachii divini. Profitendum est ergò, præciso quolibet extraordinario casu, quod secundum usitatam, seù ordinariam humanæ vitæ viam, seù cursum, præmotis membris, vel manibus ad actus obscœnos, vel nefarios, meritò imputentur homini ad culpam, cum vigil erit, atque sui compos, suasque benè dignoscens actiones, earumque bonitatem, vel malitiam, conformitatem ad rationem, vel difformitatem. Quoniam in præfato manente statu, optimè pòsset molestiæ resistere peccandi, eique nullum præbere assensum, quod si facit, signum est assensisse, non restitisse, atque in se hostem admisisse tentatorem, non repulisse, qua prævia inordinatione interna, sequitur ex illa postmodum in cœteris inferioribus potentiis, exterisque membris inordinatio actus illiciti, regulariter loquendo, ut dictum est.

15 Pro quo denuò manifestus est D.Th.1.2.q.78.a.7.docens. *Quod membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis.* Cum igitur homo dum liber in sui est arbitrio, ad præfatos se moveat actus, non secundum quod oportet, & indebito modo, peccare censendus est, nec agere nisi secundum suam pravam voluntatem, postque suam currendo concupiscentiam, inordinatumque appetitum, quia cum sic agit assentiri fatendum est Diabolo suadenti potius, quam moventi physicè ad actus vitiosos externos, sivè sint carnales, sivè homicidiales, aliosque peccaminosos. Undè D. Augustinus 12. de Trinit. cap. 13. *Non potest peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi illa mentis intentio, penès quam summa potestas est* (nota) *membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat, & serviat, &c. Et lib. Confess. tom. 1. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facultas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Expressè quidem ad indicandum inescusabilem hominem, cum stante libero judicio rationis, ad actus movetur illicitos, qualibet dæmonis tentatione urgente.

16 Præterea. In his dicitur homo peccare, ad quæ suum potest imperium rationis extendi, potestque, debetque reprimere, & non reprimit, aut cohibet: atqui cum actus agit illicitos, per imperium rationis agit, ac voluntatis, eosque reprimere potest, & debet, non autem reprimit: in eis ergo peccare censendus est, eisque suum præbere assensum, ac perinde voluntarii reputandi sunt ipsi. Quod ex eo quod suggerit D. Th. 1.2. q.74. a.5. *Quod si defectus rationis sit circa id, quod homo potest, & debet scire, non omninò homo excusatur à peccato, sed ipse defectus imputatur ei ad peccatum. Defectus autem qui est solum in dirigendo alias vires semper imputatur ei ad peccatum: quia huic defectui occurre-*

re

ve poteſt per proprium actum. Quod ex ipſomet Sancto Doctore patet, & explicatur ibidem in corp. articuli. Quia peccatum cujuslibet potentiæ conſiſtit in actu ipſius. Habet autem ratio duplicem actum. Unum quidem ſecundum ſe in comparatione ad proprium objectum, quod eſt cognoſcere aliquod verum. Alius autem actus rationis eſt, in quantum eſt directiva aliarum virium: Utroque igitur modo contingit eſſe peccatum in ratione. Et primò quidem in quantum erratur in cognitione veri, quod quidem tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorantiam, vel errorem circa id quod poteſt, & debet ſcire. Secundo quando inordinatos actus inferiorum virium, vel imperat, vel poſt liberationem non coercet.

17 Peracto itaque carnali actu, membriſque ad illicita, vel noxia motis viribus externis, peccatum eſt homini, non præſuppoſito ipſo mente capto, aut præter rationem agente, cum in ipſo prædicta ſtante advertentia, coercendi ſint omnes inſurgentes illiciti motus, Deique adjutorium efflagitandum, ad hoſtem ſic acriter vim inferentem abigendum: Quod cum non agit homo ſana mente, animique compos exiſtens, concurrere arguendus eſt ad illos, eoſque reprimere nolle, ac per conſequens eis reputanndus eſt aſſentiri, ejuſque ratio ſic deficiens culpabilis, ſuaque pœna condigna.

18 Quod ibidem a. 6. repetit inquiens idem Doctor. *Quodcumque peccatum contingit eſſe in ratione, quandoque quidem in quantum eſt directiva humanorum actuum: manifeſtum eſt autem, quod ratio non ſolum eſt directiva exteriorum actuum, ſed etiam interiorum paſſionum, & ideo quando deficit ratio in directione interiorum paſſionum, dicitur eſſe peccatum in ratione; ſicut etiam quando deficit in directione exteriorum actuum quod quidem accidit cum poteſt, & debet dirigere, vel cohibere, & non dirigit, nec cohibet, unde aſſentiri cenſetur, & culpabiliter deficere.*

19 Urgetque artic. 7. *Ad ſecundum dicendum, quod ex hoc ipſo, quod ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſivè cogitet de lege æterna, ſivè non; Cum enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit; Cum vero non cogitat eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam. Vnde omnibus modis conſenſus in actum peccati procedit ex ſuperiori ratione, quia ut Auguſtinus in 22. de Trinit. non poteſt peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penès quam ſumma poteſtas eſt, membra in opus movendi* (Nota) *vel ab opere cohibendi malæ actioni cedat, aut ſerviat.*

20 Ex quibus planè patet reum fore criminis hominem, qui cum compos ſui fuerit, liberoque polleat arbitrio, regio neſciat uti regimine intellectus, in viribus tam internis dirigendis, quàm externis; unde merito his corruentibus, ac in actibus prorumpentibus illi-

Digitized by Google

illicitis, illi primitus imputetur defectus, qui vice munus agendi, prudentis humani corporis, cordisque rectoris, semitas Phethontis, ut pessimus auriga sequutus, seipsum cum omnium humanarum virium curru præcipitem dedit. A' capite namque putrescit piscis, quoniam sicut in capite corona gubernii residet, ita & sceptrum imperii, quapropter labente corpore, culpa illius est ruina totius, & lapsus. Qua forte ratione Christus Dominus dormientibus, orante ipso in horto discipulis, Petro dixit objurgans, Symon dormis? Insinuare tacitè volens, capiti devolvendas populi fore culpas, cum in regimine illud deficit, obdormitque inertia, cum ergò in dirigendis, vel regendis viribus deficit humana ratio, quæ capitis locum tenet in actibus humanis, imperitè in tractanda virga vigilante se gerens insiti gubernii, in eadem, ac illę damnatione collapsę, ipsarum assensiendo criminibus, & ipsa corruit, peccatique reatum incurrit, estque pœnæ obnoxia.

21 Nec sat est dicere, voluntatem in præfata violentiæ hypothesi, non præbere assensum, aut merè negativè se habere, vel præcisivè, ut ipsemet reputat, & intendit Molinos, utque ex pluribus ejus arguitur propositionibus, & præsertim ex 24. 37. & 47. Quandoquidem positivè opus est dęmoni sic infestè vim inferenti obsistere, ut in propulsatis, & infra noscendum est propulsandis ejus propositionibus. Hinc fraus suæ fallaciæ detegitur, quod scilicet non assensiente voluntate ad opus nequam, & hoc perpetrato per vim illatam à dęmone, immunem indicat esse hominem ab omni culpæ reatu, innocentemque denunciat. In hujuscemodi subdolo verborum sonitu, cum lateat anguis sub herba, non superficiei enus accipienda sunt, & ut apparent in cortice: Quoniam non assentiri voluntatis, non ut ipse proponit, vel putat, sumendum est, ut prædiximus; sed contrariè, perque vim positivè adhibitam, vim repellere dęmonis, quod est arma virtutum strenuo corde tractare, hostemque quoad fieri poterit impugnare, quod optimè fieri poterit, divino opitulante auxilio, ab homine vigili, suique compote animi, nec non juxtà Dei consuetam regendi ipsum hominem methodum, ut præmisimus.

22 At quis ulterius acie directa mentis ad Molinos intentum, ex ejus non conspicit asserto virus occultum? Quoniam exempto ab omni peccati noxia, ut ipse asserit homine, in casu dęmonis illata violentia, &c. peramplus aperiretur campus, quo omnes excusabiles reddi possent, in omnibus etsi enormissimis criminibus, dicendo se tale, ac tantum egisse facinus, ex dęmonis violentia inductos, & sic impunè cujusvis generis, & contra seipsum, & contra proximum, & contra Deum, delicta suborirentur, absque eo quod in illis culpabilis reputetur homo ea peragens, ac perindè in ullius pœnæ reatum incursus: Quod quam absonum sit quamque auditui ipsi terrificum, uni-

Digitized by Google

universique cordati hominis dictamini monstruosum, non est, qui ratione pollet, non evidenter agnoscat, indeque hujus vitæ calamitates, quam usquam deplorare, ac denuò cum Democrito per plateas effundere lachrimas, prudentiam, charitatem, justitiam, universasque contuens virtutum series speciosas eversas.

23 Nec occurrere quidquam valet cum ipso Molinos, illud nonnisi in nonnullis evenire animabus perfectis, pro illarum demissione, seu humiliatione, veraque transformatione in Deum, ut ipse profert. Unde non est quod pro omnibus universim peccantibus, ac delinquentibus trahi possit ad eximendum à culpa consequentia.

24 Talis enim occursus nihil satis alicui facere valet; Quod ex ipsomet benè argui potest, ipsumque redarguere, nec non ad hominem convincere. Quoniam ut ipse ex pluribus ea evenisse fatetur exemplis, ut ex posterioribus suis propositionibus extat; Quidni illud idem effingi non poterit, in cæteris omnibus similia perpetrantibus sivè carnalia, sivè homicidialia delicta? Omnis enim homo sivè fornicarius, sivè adulter, sivè homicida, innocentem se fateri valebit, omnisque culpæ labe immunem, actum evenisse profitens, ex dæmonis illata vi sibi, se autem illi nullum præbuisse suæ voluntatis assensum. Undè sub assimulatione, seu specie diabolicæ violentiæ delitescens seipsum homo, nequitiamque occultans, ad omnia excurrere posset patranda flagitia. Quod quam ingentia involvat absurda, quantum veneni in orbe scateat, quàm liberius, uberiusque trahat ad inferos homines, libertati eorum prorsus laxatis fere habenis, luce plusquam meridiana constat.

25 Non ergo assentetur sibimet homo, posse sua sub violentia dæmonis occulere prava facinora, ac illi fortè totam referendo nequitiam, seipsum excusabilem facere; Quoniam ut ex præjactis jam patet, valdè fallax est sic adinventa violentia, cum juxta suave Dei regimen, consuetumque providentiæ cursum, non sic in arcto deseritur homo, ut à dæmone violenter oppressus, excurrat adhuc vigil, suique compos, ad turpes, fœdosque actus, & noxios. Semper enim attendere ad se quit, suasque dignoscere actiones, quod est cum animi compos est, liberique judicii rationis, repellere à se dæmonem potest, quantumlibet molestus iste sit, & importunus. Quænam tentamenta, non pertulerunt in hoc mundo Sancti degentes? Quorum si vim observabimus, conatus, pertinaciam, impulsus, verè fortè violentias nuncupabimus dæmonis, & nihilominùs obsistentibus Sanctis illis Spiritibus, victoriæ demum palmam de hoste reportarunt abyssi. Nonne rabidam appellabimus vim illam adhuc adolescentulo illatam à Sathana, Magno Benedicto cum in Eremum abjecto mundo se contulit? Et tamen invictus obsistens, adhibitis tandem ut lanceis contra hostem

Digitized by Google

veprium ſpinis, fudit illum, victorque fugavit.

26 Præterea quis infeſtiſſimam non reputabit impugnationem illam, quam in ſeipſum actam retulit, ut legitur in vitis SS. Patrum, quidam ex ipſis, nomine Paſco? Qui ſpatio ferè ſupra duodecim annorum, jam penè ſenex, & longævus talem ſuſtinuit à dæmone tentationis ſtimulum, ut pertinaciter nocte, dieque impetum agens exagitabat animam ſuam, & hoc ſic acerrimo pacto, ut putaret, quod fortè reliquerit eum Deus, ſuique prorsùs oblitus. Quamobrem hac ipſum tempeſtate agitante, citiùs elegit indignè mori, quam talem pati corporis, cordiſque paſſionem. Egreſſus ergo circumiit omnem penè ſolitudinem, & inventa leenæ ſpelunca, jacentem ſe ibi expoſuit, & nudum per diem totam; & noctem, ut ingredientes, vel egredientes feræ devorarent ipſum, at iſtæ odorantes eum à capite uſque ad pedes, liniterque lingentes receſſerunt ab eo. Quocirca cogitans quod pepercerit ipſi Deus, reverſus eſt ad cellam ſuam. Poſt paucos autem dies, iterum eadem tentatio validiùs inſurrexit in eum, & ita rabidè ut penè prorsùs deſtitutus deſperaret. Converſus ergo dæmon in Æthiopiſſam puellam, quam viderat aliquando in juventute ſua ſpicas in meſſe colligentem, ſedit ſuper genua ſua, & vehementer ipſum commovit, undè in nimium furorem versùs, dedit ei pugnos, & alapas in maxillas. Quo illicò evanuit phantaſma illud, & per biennium manus ejus, (res miranda) fœtorem effiabant, & brumam intolerabilem. Excruciatus ipſe, & triſtis præ nimio ferè mœrore tabeſcebat. Denique ſuum patefaciens Cœlum indeficiens auxilium, lumen in ipſum irradians, ſic ei clam inſinuavit in corde. Fortis eſto Paſco, certare audacter. Propterea namque hæc permiſi te pati, ut non altum ſapias, nec extollaris in virtutibus tuis, ſed recognoſcas infirmitatem tuam, & non in converſatione tua confidas, ſed ſubditus, & humilis ſis in adjutorio Dei confidens. Ita certus de auxiliante miſericordia Dei, pacificos deindè duxit reliquos vitæ ſuæ dies in Domino. Quis in hunc hominem tentamenta Sathanæ conſpiciens, violenta ea non fatebitur, ac penè ad turpes agendos actus coactoria? Et tamen quo forti pectore ſuerit eis occurſum, jam ex prælati relatione Sancti viri viriliter agentis claret, ſicut & aliorum complurium Sathanæ conatus abigentium, quos de militia eductos profiterer Michaelis Archangeli, ejus robur imitantes, impetus evertentes Draconis abyſſi.

27 Quod optimè quidem poſſet ab homine peragi auribus attentè accipiens quod D. Auguſtinus inquit ſerm. 2. de verb. Apoſtoli hoc pacto. *Magnum eſt hoc, cum ſit ex carne concupiſcentia, & ad carnem pertineant corporis membra, quando regnat peccatum, ideſt carnis concupiſcentia, plus habet juris mens ad tenenda membra carnis, ne dentur in arma iniquitatis,* (nota) *quam ipſa concupiſcentia carnis ad membra*

mo-

Digitized by Google

movenda carnis. Itaque concupiscentia est carnis, & membra carnis: mens tamen quia dominatum habet, tantum valet, ut de membris ipsius carnis, contra concupiscentiam carnis possit agere, quod suadet Apostolus ad Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis carnis. Quæ omnia de homine solum cum pervigil est, compositique animi verificantur, quique propter mentis dominium supra carnem, carnis insolentiam, & potest, & debet reprimere, quod si non facit in culpa proculdubio erit.

28 Non igitur aliundè, quam defectu nostræ voluntatis, quæ divinum negligit adimplere præceptum per os injunctum Apostoli, ac per consequens ad culpam meritò imputabitur homini lapsus carnis, vel facinoris pravitas, qui nefariis relaxando concupiscentiis habenas, effrenatisque sensibus, eorum satisfaciens indignis appetitibus, super ipsummet facit regnare peccatum. Et tametsi Molinica callidtas oblinire studeat præfatos concupiscentiæ, vel irascentiæ vehementes, acresque motus, sub suæ efficiæ diabolicæ violentiæ, coloribus, quo liberiùs, libentiùsque, ut excusatus homo ad illius excurrat incontinentiæ, noxiosque actus; in cassum attamen, detecto suæ nequitiæ veneno, ut supra perpensum est, spe firma ducor in Deum, eum elaborasse, nec suam deinde versutiam hominem habituram afferclam', caveatque quisque ut ex bilinguis anguis virulentis ejus afflatibus.

29 Ut autem prorsùs evincatur, ejusque appareat subdolus error; Sciendum est quod etsi aliquando Deus, ut summus omnium Rector, & Provisor, suorumque electorum pervigil præcipuè Pater, & Patronus, eos cadere nonnumquam permittat in peccatum, ut suam agnoscentes postmodum imperfectionem, humilientur, & convertantur, cautiùsque se in posterum hâbeant, vel quod de Cœlo sublevamina recognoscant sui esse, seù benè valere, atque profectus, ut de solitario prisco Patre relatum est num. 26., unde de ipsis dictum est prædestinatis, quod eis omnia cooperantur in bonum, & ut dicit Gloss., etiam peccata, ut ad eorum ordinata à Deo maximum bonum, quod est gloria, eo quo innuimus pacto, &c. Verum enim vero, casus, seù lapsus in quem permittit suum ruere Deus electum, & prædestinatum, peccatum est ipsi, perque illud obnoxium eum effici pœna æterna, nec ut intendit falsò Molinos, inculpabilem in illo fore hominem perpetrantem, quasi quod ad illud nullum reputetur præbere assensum. Quandoquidem ex eo quod non restitit concupiscibilis stimulis, vel irascibilis, nec adjutorium de Cœlo tunc petiit, vel neglexit, ad cum tentatore, aut vim inferente pugnandum, ad culpam imputatur ei pravum opus effectum, deque ipso supplicium subiturum, quamquam hæc omnia ad ipsius valeant ad uberio-

ris

Digitized by Google

ris gratiæ lucrum, quæſtumque denique gloriæ, ut dictum eſt.

30 De quo Dei patrio, ſapientique regimine erga ſuos electos, nec non omnes fideles, ut tendere noſcant ad Patriam, quam adeundo peregrinantur, ſic D. Gregorius Pontifex ait lib. 23. ſuorum moralium ſuper his verbis. Increpat quoque per dolorem in lectulo. *Lectulus, vel ſtratum, requies temporalis accipitur, ſicut ſcriptum eſt, univerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate ejus. Cum enim quiſque curis ſecularibus fatigatus, deſerere per divinam gratiam, huius mundi itinera laborioſa cupit, & compugitur: Cogitare ſolet, quomodo præſentis vitæ deſideria fugiat, & ab eius laboribus requieſcat, ſibique mox deſideratæ quietis ordinem quærit, & velut quoddam ſtratum à cunctis laboribus ceſſationis locum invenire concupiſcit. Sed quia in hac vita adhuc homo poſitus in cuiuslibet ſecreti ſeceſſu vivere ſine tentationibus nullatenus poteſt; plerumque in id quod ad requiem conſtruitur, maior dolor tentationis invenitur. Rectè ergo per Prophetam dicitur. Univerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Ac ſi diceret. Omne quod ſibi hic paravit ad requiem, hoc & mutaſti occulto iudicio ad perturbationem. Quod pio quidē Dei conſilio agitur, ut huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur.* (nota quomodo ſuos Deus probat, & regit, qui tamen ut animæ perfectæ præſupponendi ſunt, nec ideò ut effingit ſibi Molinos, tentamenta, quæ patiuntur, ut referemus violentias eis à dęmone illatas, ullus unquam ſomniavit) *Via quippe eſt vita præſens, qua ad Patriam tendimus: & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro Patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores cum amęna fortaſſe in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras iunectere, & à cępti itineris rectitudine declinare? Eorumque greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo ſuis ad ſe pergentibus Dominus, hujus Mundi iter aſperum facit, nè dum vitæ præſentis requie quaſi amęnitate viæ paſcitur, magis eum diù pergere, quam citò pervenire delectet, nè dum oblectatur in via, obliviſcatur quæ deſiderabat in Patria. Quia ergo in hac vita, omnis noſtra, quam fortaſſe paravimus, requies turbatur rectè dicitur, increpat quoque per dolorem in lectulo, ideſt, in præſentis vitæ requie, vel tentationis nos ſtimulis, vel flagelli afflictione conturbat, nam ſępè humanus animus quamlibet brevi tempore ſine tentatione in bonis ſtudiis fuerit, mox de eiſdem ſtudiis in quibus quieſcendi ſe exerit, & de ipſis virtutibus, quibus multiplicari nititur, dum proficere ſe ſentit, elevatur. Unde pro rectoris noſtri moderamine impulſu tentationis afficitur: ut in eo ipſo profectus ſui elatio comprimatur.*

31 Ut autem obſtruatur os Molinicum ad reſponſum fortè paratum, pertinaciter in nuncupando præfatum, ut dęmonis violentiam, impulſum, ac perindè opus effici nequam velit nolit homo. Cum eodem ſubjungimus Sancto Pontifice, qui lib. 4. moral. cap. 34. ſuper his verbis. Qui ædificant ſibi ſolitudines, ſic ait. *Sancti viri, quia nihil hujus Mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur: omnes quippe*

inor-

Digitized by Google

inordinatos desideriorum motus à cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt: & quia transitoria despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur, &c. Si namque præssi à dæmone vim paterentur, & illius tyrannicæ subjicerentur, imò ceu Carnificis immitissimæ iracundiæ, quomodo nullos præmerentur cordis tumultibus? Quoque inordinatos ejicerent desideriorum motus? & quo pacto molestias non pati censerentur ex tranſitoriis in mente bonis exortas?

32 Divus denuò Augustinus serm. 6. de verbis Apostoli cohærenter ad hæc loquendo iuquit. *Quidquid illa concupiscentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, sivè in factis, sivè in dictis, sivè in cogitationibus, totum deletum est sacro baptismate, omnia debita delevit una indulgentia. Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas, inest, titillat delectatio illicitæ concupiscentiæ. Pugna, resiste, noli consentire, & impletur hoc post concupiscentias tuas non eas: quia & si quando surrepunt, & usurpant sibi oculum, aurem linguam, volaticam cogitationem, nec sic desperemus de salute nostra. Ideò quotidie dicimus demitte nobis debita nostra &c.* Quid plura pro abjicienda Molinica phantasia? Quoniam eo pacto, quo hucusque à Sanctis Patribus indictum est, gerendum fore ab homine in certaminibus tentationum, fatendum est evenire in ejus vitæ curriculo, quæve militia ipsius est super terram, atque tentatio, ut ex Job loquitur D. Greg. lib. 23. suæ moralis expositionis.

33 Quam autem callidè se gesserit in hoc bellandi genere D. Bernardus in ejus vitæ sacra legenda fertur. Estque cum aliquando apud nobilem Matronam quandam simul una cum aliquot sociis hospitaretur. Considerans Mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit, velut altera uxor Putiphar erga Joseph adolescentulum. Cumque tamquam honoratiori omnium seorsum lectum præparari feciſſet: surgens ipsa de nocte, impudenter accessit ad eum: quam Bernardus sentiens, nec consilii inops clamare cœpit: Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier; Familia omnis excitata surgit: Lucerna accenditur: Latro quæritur: sed minimè invenitur. Ad lectulos singuli redeunt: fit silentium: redeunt tenebræ, sicut prius: quiescunt cæteri, sed illa misera. Denuò surgit, denuòque ille clamat. Latrones, latrones. Quæritur iterum: & latet iterùm: nec ab eo, qui solus noverat publicabatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem metu, seù desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quidnam esset, quod toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille veraciter inquit, aderat latro, & quod mihi prætiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre. Fortis equidem, & invictus, victor extitit, ut priscus ille Patriarcha Joseph in Ægipto, cum hoc tamen discrimine, quod ille mulier vim inferenté fugit: Bernardus autem fugavit.

34 De

Digitized by Google

34 De eodem adhuc Adolescentulo, virtute tamen, ut strenuissimus veteranus heroica prædito, enarratur. Quod cum quadam vice curiosius aspiciendo, defixos in quamdam speciosissimam feminam oculos aliquandiu tenuisset, continuò ad se reversus, ac de se ipso erubescens, apud semetipsum in seipsum severissimus ultor exarsit. Stagno namque gelidarum aquarum, quod in proximo erat collo tenus insiliens, tamdiu ibi permansit, donec penè exanguis effectus per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnali concupiscentiæ, torus refriguit: innuens illius castitatis effectum, quo dicebat, pepigi fœdus cum oculis meis. Quo admirabili fortitudinis actu, inclitum se ducem prædixit, almæ Religionis, & Patrem, ac perindè virtutum exemplar, Angelicæque puritatis Idęam; Nec non amplissimi Benedicti eelsitudini parem, atque Francisci, discrimato solum, quod unus ex illis, spinarum aculeis stimulos retudit infestæ concupiscentiæ, alter igne ignem extinxit: ipse verò juxtà naturam, gratiam in se coaptando, contrariis contraria curavit.

35 Has autem sic molestè impetentes impugnationes Sathanæ, violentias fortè hujus nuncuparet Molinica classis, & tamen nec jota quidem ad actus irrumpendo illicitos, hostis omnes evertendo apparatus, & moles, strenuissimis obsistendo virtutum actibus invictissimi Heroes, inanes effecerunt impetus, irritosque conatus. Quorum sic acta prælia prospiciens ab alto Deus ipse exercituum, ita de ipso fatur D. Augustinus super psalmum 32. super his verbis. Exultate justi in Domino. *Justus ex fide vivit. Fides tua, justitia tua est: quia utique si credis, caves: si autem caves, conaris: & conatum tuum novit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam cum carne considerat, & hortatur, ut pugnes, & adjuvat, ut vincas, & certantem inspectat, & deficientem sublevat, & vincentem coronat. Ergo exultare justi in Domino. Hoc dixerim, exultate fideles in Domino, quia justus ex fide vivit. Rectos decet collaudatio. Discite gratias agere Deo, & in prosperitatibus, & in tribulationibus.* In via verò Molinica quęnam fides invenitur? Quæ cautio? Quænam contra hostem impetentē propugnationes obsistunt? Quęnam cū ipso, luctæ conspiciuntur? Quæ pugnæ? Quænam demum Dei, validè certantium militum, ut coronentur ab ipso, glorioſæ victoriæ? Nihil horum profectò: Verum potius sub specie, aut assimulatione effictæ, & adinventæ violentiæ illatæ, Dei permissu, à dęmone, turpia, nefaria, nefanda, totiusque infandi generis flagitiosa facinora, reperientur; Omnia quippè illicita, licita sibi facit, indignaque digna per prædictam viam gradiens assecla Molinicus, ut ex omnibus suis se manifestat assertis.

36 Nos autem, ut hortatur D. Augustinus, addiscamus Deo gratias agere per auxilia ab eo nobis in nostris exhibita præliis cum dęmone actis, in quibus, ut tantummodo in ejus innitamur adjutorii dextera, sic

ad

Digitized by Google

ad fidelem cum eodem alloquitur Auguſtino, ſuadetque ſerm. 4. de verbis Apoſtoli dicens. *Noli præſumere de viribus tuis. Vide parvum David contra Goliam, vide parvum contra ingentem, ſed in nomine Domini præſumentem. Tu venis ad me, inquit, cum Clypeo, & Lancea. Ego in nomine Domini Omnipotentis. Sic ſic, aliter non, omnino aliter non proſternitur inimicus. Qui præſumit de viribus ſuis, antequam pugnet ipſe proſternitur.* Et infra ſerm. 11. de primo exemplificans homine inquit, *Creatus eſt primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vitio, creatus eſt rectus, non ſe fecit rectū. Quid ſe autem ipſe fecerit notum eſt, cadens à manu figuli fractus eſt. Regebat enim eum ipſe, qui fecerat, voluit deſerere à quo factus erat, permiſit Deus tamquam dicens, deſerat me, & inveniat ſe, & miſeria ſua probet quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo ergo oſtendere voluit Deus homini, quid valet liberum arbitrium ſine Deo. O' malum liberum arbitrium ſine Deo.*

37 Quam his oppugnantur commenta Molinos ex ſuis planè patet aſſumptis, & præſertim ex 15. & 27. gratiarum non agnoſcens actiones, neque nullam de manu Dei petitionem beneficii, nec ullam cum dæmone pugnam, aut ei oppoſitionem, ut conſtat, & ſpeciatim ex 24. 37 & 47. aſſertis. Vndè non eſt apud ipſum, quod addiſcamus cum D. Auguſtino Deo gratias agere de adjutrice gratia ab ipſo præſtita in luctâ, quamtoties cum dæmone agimus, neque ipſam ab eo petere cum prælíamur, neque perinde de laurea triumphali, qua nos victores in Cœlis gloriosè coronat: quæ quam ſint abſurda, utque figmenta abigenda, pluſquam luce meridiana claret.

38 Quamobrem ad ſuum denique coarguendum errorem, excuſabilem indicentem hominem turpia patrantem, vel noxia, ſub ſpecie, ſeu aſſimulatione, vel colore violentiæ dæmonis, unde minime pœnitentem illum agnoſcit, ſuaque delicta flentem ex converſione ad Cœlum, nec non ab iſto ſuæ converſionis gratiam, ut cauſam agnoſcentem, valeat concludere cum D. Gregorio Papa homil. 10. in Ezechielem Prophetam ſuper his verbis. Abii amarus in indignatione ſpiritus mei: Manus enim Domini erat mecum confortans me. *Mentem, quam Spiritus Sanctus replet, in amaritudinem temporalium, delectatione æternorum commovet. Dulce enim eſt eſſe in rebus humanis, ſed ei, qui adhuc de cœleſtibus gaudia nulla guſtavit: quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requieſcit. At ſi quis jam cordis ore guſtaverit, quæ ſit illa dulcedo cœleſtium præmiorum, qui illi hymnidici Angelorum chori, quæ incomprehenſibilis viſio Sanctæ Trinitatis: huic quanto illud dulce ſit, quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris ſuſtinet. Rixatur ſecum de his, quæ malè egiſſe ſe recolit, & ſibimetipſi diſplicet, cum ei ille placere jam cœperit, qui omnia creavit. Reprehendit ſe de cogitationibus inſequitur de verbis, & punit ſiendo de factis.* (hii ſynderesis actus, remorſuſque conſcientiæ non reputantur in Molinico fore pectore, utpotè in quo

Digitized by Google

non præsupponitur peccasse hominem turpiter agentem, ex violentia excusatus dęmonis illata sibi, ac in actibus impulsus illicitis) *Supernis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat. Et quamdiu illud, quòd desiderat, adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, se seque continuis lamentis affligere. Et quia nec dum se esse in Patria, ad quam creatus est, videt, in hujus vitæ exilio nihil ei plus quam sua amaritudo placet. Dedignatur itaque subjacere temporalibus, & ardenter suspirat æterna.* Et post nonnulla. *Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam, quod accusat: fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo: Sed sciendum, quia nullus hæc præ amore Omnipotentis Domini ex toto corde agere prævalet, nisi in is cujus animum Spiritus Sanctus assumpserit. Nam quando homo sufficiat ex sua virtute terrena despicere, cœlestia amare pacem cum Deo quærere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, & gemitibus punire? Nullus hæc agere, nisi quem divina gratia roboraverit, valet. Undè & subditur, manus enim Domini erat mecum confortans me. Ad bona quippè assurgere perfectè non possumus, nisi nos spiritus, & præveniendo elevet, & subsequendo confortet.* Cum igitur actus omnes isti pœnitentiæ, vel detestationis erga patrata facinora, nec non ex amore erga cœlestia exorta suspiria, à Molinica non agnoscantur adinventa in hominem violentia, seu impulsu per dęmonem ad obscęnos, aut noxios actus, juxta Dei suave, consuetumque super homines providentiæ regimen, quid quid sit extra ordinem, usitatumque degendi morem, ut supra ostensum est, & amplius ex dicendis patefiet inferius, ex omnibus hucusque dictis, ut improba imbulsa remanet quadragesima prima Propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLII.

Quadragesima secunda Propositio Molinos. *Può darsi il caso, che queste violenze ad atti carnali, siino nello stesso tempo per parte di due persone, cioè huomo, e donna, e ne segua l' atto per parte d' entrambi.*

Oppositum ex adverso dictum;

Luxuriæ actus quilibet deliberatus extra limites Matrimonii est peccatum mortale.

1 UT magis Molinici Serpentis calliditas agnoscatur, & pateat ex hoc, quod ultimum moliri videtur hominis exitium, habenas fere relaxando luxuriæ sub assimulatione, seù specie violentiæ sibi à dęmone illatæ ad actus turpes: quo facilè posset aliquis vehementissimis agitatus concupiscentiæ stimulis, sibimet persuadere, violentiam forè dęmonis commotionem illam, vimque fortè illatam ad coeundum, seque cum muliere commiscendum, sivè cum nonnulla tertia persona. Et sic permissum sibi faceret, & innoxium quodcumque indignum, & illicitum opus, viaque plusquam lata esset, ac dilataretur ad perditionem homines inducendum: natura enim quæ prona est ad malum, paululum quod sibi campi datur ad illud paulatim se laxando, ad ingentia tandem prorumpit, atque flagitiosa facinora, undè vulgò dicitur, principiis obsta, serò medicina paratur: & parvus error in principio, magnus in fine. Quam ob causam in pœnam ipso orbis initio, statuit serpenti Deus, ut à muliere caput ei conteratur, innuens in hoc præcelsi sui consilii statuta, quod ut primum ipsa nequitia caput foras emittit, initium videlicet sui sceleris explicans, conterendum ejus est caput, occasionem pura obrumpendo, ac enascentem enecando malitiam, ne de cætero se nimium inserpiens, totum inficiat hominem. Quod sanè denotans armonicus Rex Israel, Beatumque concinens, cautè tale scientem declinare venenum, intonuit Cantic. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram.* Ille siquidem, qui in se vix exortos cogitatus advertens antequam adolescant, ad petram conterit, Christi Domini scilicet, qui mistica petra est, contemplato mysterio. Sic ergò admonito prius homine de virulenta Molinicæ versutiæ fallacia, ut cautiùs ab ea se præcaveat, utque fędissimum monstrum aufugiat. Ostendendum est primò quemlibet luxuriæ actum deliberatum, extra matrimonii limites, peccatum fore mortale, ex ejus contra ordinem rationis excessu, quod nonnisi ab homine præsupponitur fieri pervi-

Digitized by Google

gili, animique sui compote. Postmodum, quam perniciosè sit tale vitium, quamque damniferum; ac tandem, quam acriter puniatur, sitque undique homini exitiale.

2 Dicimus ergò primò: Peccare mortaliter hominem extra limites Matrimonii luxuriantem per hoc, quod contra rectum ordinem rationis agit. Quod probatur primo ex eo quod inquit Apostolus ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, impudicitia, luxuria, &c.* Quæ cùr peccati vim habeant per inobservantiam ordinis rationis rationem præbens D. Th. 2. 2. q. 153. a. 3. docet in *Respondeo dicendum, quod quanto aliquis est magis necessarium, tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo servetur, unde per consequens magis est vitiosum, si ordo rationis prætermittatur. Usus autem venereorum est valdè necessarius ad bonum commune, quod est conservatio humani generis, sicut enim ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborũ, ita etiam ad conservationem totius humani generis usus venereorum: Unde Augustinus dicit in libro de bono conjugali cap. 16 tom. 6. Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. Et iacò circa hoc maximè attendi debet rationis ordo, & per consequens si quid circa hoc fiat præter quam ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, ut ordinem, & modum rationis excedat circa venerea, & ideo absque dubio luxuria est peccatum.* Quod utique mortale fatendum est, cum extra limites matrimonii committetur, eo quod in hujusmodi vitii genere, cum deliberatè agitur, parvitas non est admittenda materiæ. Imo in conjugatis ipsis, extra matrimonii bona, vel limites agere, peccatum est mortale: Unde D. Thom. in 4. dist. 26. q. 1. a. 4. inquit ad quæsitum, *Utrum actus matrimonii sit meritorius. Quod si ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius, si autem movet libido* (intellige voluptatis causa) *sistens intra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale: Si autem extra bona matrimonii efferatur, ut scilicet cum quacumque muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem movere non potest, quin vel ordinetur ratione, & sic erit motus virtutis, vel non ordinetur, & sic erit motus libidinis.*

3 Adhuc idem ostendi posset per omnes excurrendo luxuriæ species in quarum qualibet præcipuam invenies, suamque specialem, propriamque deformitatem, qua specifice altera ab altera discriminata collocatur in contradistincta specie, ut eas inspicienti patet super D. Th. 2. 2. q. 154. per totam. Quocirca velut horrificam intuendo septiformem Hydram ex abyssi eructam antris in orbem, horrescentes aufugiamus ab illa, sicut ex tremendo Sathanæ, invisoque conspectu. Ad quod advertens Sanctus ille Patriarcha Tobias, inter monimenta, quæ filio tuo reliquit hoc fuit. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præ-*

Digitized by Google

& præter uxorem tuam, nequaquam patiaris crimen scire. Documentum profectò saluberrimum, ipsis gentilibus, ut valdè laudabile gratum, uti de Cajo Cęsare fertur, qui numquam terminos sui matrimonii trasgressus, numquam aliam præter suam agnovit uxorem: Unde ut exemplar, & Idæa conjugalis continentiæ effectus, tamquam Canon, & Norma sponsibus appositus est imitandus, ex quo illud sponsæ ad sponsum. Si tu Cajus, ego Caja.

4 Secundo dicimus, Luxuriæ actum extra limites Matrimonii exercitum, peccatum fore mortale, ex damnis quibus afficit hominem, jacturaque eidem illata. Probatur primo ex contemptu, quem in se luxuria dicit erga Dei mandata. Quoniam ubi est contemptus, & trangressio mandatorum Dei, est peccatum mortale, cum actus ipse sit contra Dei mandatum, luxuria est hujusmodi: nam dicitur Exodi 20. *Non mechaberis*: ergò Luxuria præfato modo peracta est peccatum mortale. Unde dicitur ab Augustino 32. q. 41. *Nomine machis omnes illicitos concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.*

5 Probatur secundo. Omne illud, quod excludit homines à Regno Cœlorum est peccatum mortale, luxuria est hujusmodi quo dictum est pacto patrata, &c. Dicit enim Apostolus 1. ad Cor. 6. *Nescitis quia iniqui Regnum Dei non possidebunt, nolite errare: Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, &c.* & ad Colost. 6. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Vnde D. Augustinus lib. de conflictu vitiorum: *O' quam prava concubitus hora, per quam perditur æterna patria.* Et idem in quodam sermone: *Nulla major insania, quam pro delectatione momentanea, perdere æternam patriam, & obligare se ad æterna supplicia.*

6 Probatur tertio, ex vi rationis naturalis, quæ juxta naturæ legem dictat carnalem concubitum non debere fieri in præjudicium, & damnum boni prolis: Sed concubitus concubinarius, seù fornicarius est in notabile detrimentum, & damnum boni prolis, ergò est peccatum mortale: Sicut enim D. Augustinus 9. super Genesim inquit. *Bonum prolis est, ut amanter suscipiatur: benignè nutriatur: religiosè educetur: quo bono, ut in pluribus caret proles genita per concubitum concubinarium.* Ad quod inconveniens aciem figendo mentis, nec non lachrimantem oculum D. Hieronymus ad Eustochium scribens ait. *Pudet dicere quot quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio perdat Mater Ecclesia. Super quot sydera superbus inimicus ponat Thronum suum; quot petras excavet, ut habitet coluber in foraminibus earum. Videas, pleraſque viduas antequam nuptas, & infelicem conscientiam, mentita tantum veste protegere, quasi nisi tumor uteri, & infantum prodiderit vagitus,*

ere-

Digitized by Google

erecta cervice, & ludentibus pedibus incedere. Aliæ verò sterilitatem præbent, & nondum nati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum senserint concepisse de scelere abortivo venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ cum mortuæ fuerint, trium criminum reæ ad inferos perducuntur: Christi adulteræ, sui homicidæ, & nondum nati filii homicidæ, &c. Sunt, & alia mala, quæ incurrit proles genita ex fornicatione, vel adulterio, quę causa brevitatis omittuntur.

7 Quam verò maximam patiatur homo causa luxuriæ inordinatæ jacturam, quo etiamnum probatur ipsam esse mortale, ex multiplici illustrium virorum, Doctorumq; auctoritate ostenditur. Inquit enim Seneca in prohemio declamationum. *Nihil tam mortiferum ingenii, quam luxuria.* Et idem in Tragediis; *Luxuria est pestis blanda.* Idemque ad Lucilium. *Vanas fuge voluptates breves, & pœnitendas.* Et lib. 2. declamationum. *Adolescens luxuriosus peccat, senex luxuriosus insanit.* Tullius 1. de officiis. *Si considerare volumus, quæ sit in natura excellentia, & dignitas, intelligemus, quam sit turpe defluere luxuria, & delicatè, atque mollitèr vivere.* Valerius Maximus lib. 9. *Blandum malum luxuria.* Et idem ibidem de Hannibale hyemante apud Campanos agens sic ait. *Quid luxuria fœdius? Quid ea damnosius? A' qua virtus atteritur, ratio languescit, sospita quoque gloria in infamiam commutatur, & animi vires, & corporis expugnantur.* Idemque apud alios prophanos, ergregiosque Auctores inculcatur, tamquam monstrum indicantes luxuriæ vitium, ex quo ut ex pestifero stipite, vel fonte plurima suboriuntur, & scatent in hominem pessima mala.

8 Quibus astipulantes Sacri Doctores, acriusque de tam fœdo deterrentes damnifero vitio, dehortantur illud. Ita D. Hieronymus in quadam epistola inquit. *Quantumcumque virtutibus polleas, quibuscumque operibus niteas, signaculo castitatis careas, omnia per terram trahis.* Gregorius lib. 2. *Omnis, qui luxuriam amat cæcus est.* Itemque Hieronymus ad Susannam. *O' quam acerbus est luxuriæ fructus, amarior felle, & crudelior gladio.* Denuòque Gregorius 32. lib. moral. *Diaboli propriè corpus sunt, qui suggestionum turpium blandimentis decepti ei per luxuriæ fluxum succumbunt.* Divus autem Ambrosius dominatum, atque potentiam, quam in orbe retinet luxuria penè immensam recensendo dicit, quod. *Illa tantæ improbitatis est, impudentisque validitatis, quod ubi se ingerit, referat palatia Principum, penetrat cameras prælatorum, possidet aulas clericorum, subvertit currus contemplativorum, rumpit cellulas religiosorum, in senibus fumigat, in juvenibus militat, in mulieribus imperat, totum fœdat, totum inficit, totum aquis diluvii consumit.* Quid plura pro tanto abhorrendo vitio? Quapropter ad complendum cum D. Gregorio per gradationem, quod conglobans innuit D. Ambrosius. Sic ille in moralibus inquit, *Ex quo semel luxuria mentem alicujus inficit,*

Digitized by Google

cit, vix eum per bona desideria aliquid cogitare amplius permittit, quia scilicet ex suggestione oritur cogitatio : ex cogitatione affectio : ex affectione delectatio : ex delectatione sensus : ex sensu operatio : ex operatione consuetudo : ex consuetudine desperatio : ex desperatione peccati defensio : ex defensione gloriatio : ex gloriatione damnatio. Ecce terminus ad quem postremus luxuriæ, puntusque finalis, nisi divina reparet divinæ Misericordiæ manus. Ecce sic teterrimi monstri virulenti afflatus, mortiferique plusquam Basilischi, vel Draconis aspectus. Ecce demum quæ percipit ex ejus illecebris nocumenta homo, bonis omnibus Animæ, corporis, atque fortunæ denudatus, & orbus, ac maximè maximi tandem, quod est beatitudo æterna.

9 Ad quod item exprobrandum vitium innumera suppeterent ejus causa miseranda exempla, Et primo de Sacris per illud insanientibus, ut de Adamo dignissimo, de Sansone fortissimo, de David sanctissimo, de Salamone sapientissimo, qui omnes per Mulieres infatuarunt. Undè Hieronymus contra Jovinianum ait. *Amor formæ, rationis oblivio est, & insaniæ proximus.* Et à Gregorio 31. moralium. *Prima luxuriæ filia ponitur cæcitas mentis.* Et Ovidius in Epistolis. *Quid deceat non videt ullus amans!* Propterea apud antiquos, impudicus amor cæcus depingebatur. Ideo docet Hieronymus scribens ad Nepotianum. *Hospitium*, inquit, *tuum mulieres nunquam teneat. Omnes Christi Virgines, aut æqualiter diligas, aut æqualiter ignores, nec de præterita castitate confidas, quia non es Adam dignior, David sanctior, fortior Sansone, sapientior Salamone, qui tamen omnes mulierum fallaciis perierunt.* Cum his utpotè famosioribus nominatim annotatis, nonnè super numerum arenæ maris, perditos adnumerabimus ad postremam inductos ex præfato vitio perniciem? Quot filios inspicies prodigos, qui causa luxuriosè vivendi, jam denique perierunt, & infames? Quot Ammones lugebimus, qui per effrenatum vim inferentes amorem, morte tandem, & ipsi violenta objerunt? Quotque demum Holophernes, aliorumque complurium deplorabimus calamitates, qui impudenti, dementique amore furentes, ut cæci à cæco ducti animi motu, præcipites, vel sibimet manus inferentes, aut ab aliis jugulati, morte postremò miserrima interierunt.

10 O' fatua, & infortunata Medea, (apostrofans quidam sacrus auctor ait) cur tibimetipsi mortem intulisti? Clamant Poetæ tui propter amorem Jasonis, qui te rapuit: qui te de patria eduxit, qui te decepit, & dereliquit. O' damnabilis amor, qui ad tantam te dementiam perduxit: ut in unico momenti signo corpus simul, & animam interimeres. Et tu, ò Cleopatra Regina, quanta perpetrasti scelera pro tui Marci Antonii amore? Scribit namque Plutarchus in ejusdem Marci Antonii vita, Quod sæpius in Alexandria noctu, famulorum ve-

Digitized by Google

veſtibus indutus circumibat urbem, domos popularium obſidebat, illudebatque homines, & quandoque non modica reportabat ab illis benè merita verbera, quem & ipſa Cleopatra ſequebatur deferens ancillæ veſtimenta. Et cum bellum navale committeretur inter Marcum Antonium, & Octavianum, affuit, & ibi Cleopatra in aurea puppi ſedens, & pompatice. Et poſt multas fatuitates, devicto Antonio, & à ſeipſo gladio peremptо, præ mœrore Cleopatra prolapſa eſt in febrim, & tandem depulſis omnibus præter duas ſibi amiciſſimas puellas, januas claudi juſſit, acceptoque aſpide, nudo illi expoſito bracchio, cujus morſu, atque veneno mortua eſt. Hinc apoſtrophen proſequitur ad Didonem celebris illius Carthaginis emulæ Romæ Reginam conditricem, quam vulgo reputat Virgilii relatu, ſibimet pro Æneæ amore mortem intuliſſe. Verum cum illud Æneides poema fundetur ſuper quoddam ipſius Virgilii commentitium cogitatum, eo quod falſum ſit Reginam illam per amorem obiiſſe Æneæ, libeat aliquantulum digredi, & oſtendere hiſtoriæ veritatem, quam manifeſte patefacit diſertiſſimus P. Franciſcus de Mendoza Doctor Theologus Illuſtriſſimæ Societatis Jeſu, in ſuo Viridario ſacræ, ac prophanæ eruditionis lib. 5. problemate 64. quo pro veritate perquirens.

11 Verumne ſit, quod Virgilius de Didone, tota Æneide commemorat? Reſpondet, & reſolvit. Ea omnia, quæ ad Didonem ſpectant apud Virgilium, à veritate prorsùs aliena eſſe, hoc uno argumento luce clariùs oſtenditur. Nam Carthago ſeptuaginta duobus annis condita eſt ante Romam conditam, ut videre eſt apud Juſtinum, lib. 18. propè finem: Cujus hæc ſunt verba. Condita eſt urbs hæc (de Carthagine loquitur) ſeptuaginta duobus annis, antequam Roma. Hoc idem affirmat Oroſius lib. 4. cap. 6. à quo non videtur diſſentire Joſephus, ut videre eſt apud Genebrardum. At verò Æneas trecentos annos minimum ante Romam conditam in Italiam penetravit, ut ex eodem poeta conſtat 1. Æneid, ut ſuo eum gladio jugulemus, dum ita canit:

At puer Aſcanius multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum, totos dominabitur annos
Gente ſub Hectorea, donec Regina Sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde Lupæ fulvo Nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavorita condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.

Ergo Æneas ducentos, & viginti octo annos ad Italiam appulit, priuſquam Carthago conderetur. Undè apertiſſimè deprehenditur Virgilianum

Digitized by Google

num commentum. Accedit D. Auguſtini auctoritas lib. 1. Confeſſ. ubi ait eam eſſe dictorum hominum ſententiam, ut negent ea omnia, quæ Virgilius de Didone literis prodidit. D. Hieronymus 1. contra Jovinianum. Dido, inquit, cum peteretur ab Jarba Rege Lybiæ in Conjugium, pauliſper diſtulit nuptias, donec conderet Civitatem, nec multo poſt extructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyra, maluit arderę, quam nubere. Vbi aliter videtur ſentire Hieronymus, ac Virgilius. Hieronymi ſententiam Tertull. lib. 7. cap. 4. haud obſcurè inſinuat, Virgiliumque condemnat. Jam verò Auſonius de imagine Didonis audiatur, ubi ipſa loquitur Regina:

Illa ego ſum Dido vultu, qui conſpicis Hoſpes
Aſſimulata modis, pulchraque mirificis.
Talis eram, ſed non Maro quam mihi finxit erat mens,
Vita nec inceſtis læta cupidinibus,
Namque nec Æneas vidit, nec Troicus unquam,
Nec Lybiam advenit claſſibus Iliacis.
Invida cur in me ſtimulaſti Muſa Maronem
Fingeret ut noſtræ damna pudicitiæ.

Quæ Doctorum veridica dicta valeant ad tollendum de mundo errorem, ſic in præjudicium caſtitatis evulgatum præfatæ Reginæ, quæ aliundè quia voluntaria morte deceſſit, juxta quod de illa canit Auſonius, pari pœna cruciari meretur, ut ſuo, & ipſa cęca errore, ac cęci torquentur in abyſſi flammis amantes.

12 Et hinc viam cępti repetentes itineris, ad rem revocati noſtram de vitii luxuriæ ſuppliciis; Dicimus tertio deteſtabile illud eſſe, ac maximè præcavendum, ob ipſam quam infert aſperrimam pœnam. Uti & prima fuit illa omnium tremendiſſima tempore diluvii, quando excepto Noè, & uxore ſua. Sem, Cham, & Japheth cum uxoribus ſuis, qui ſalvati ſunt in Arca, conſūpta eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, ut Gen. 6. legitur, & ut ex ibidem colligitur, cauſa tantæ cladis, peccatum fuit impudentis, & effrænatæ luxuriæ, eo quod omnis caro corruperat viam ſuam Indè monſtruoſius tale vitium excurrens ad fędiora, ac turpia facta, ab aquis ad ignem prorumpentia Cœli ſupplicia, fęculentæ aſcendunt, & fumigeræ de Civitatibus Sodomiticis flammæ, iram auctoris naturæ, oſtendentes ex alto, quamque inviſum ſit aſtris, & odioſum ſic fędum vitium, & execrabile malum. Et quis non horreſcet ad inundantia ſanguine flumina, ad tot Regna everſa, ad tot populorum interitum, adque tot animarum ad inferos diluviem, nec non in dies catervatim collapſus? Clamant tranſacta ſecula de Troja, clamant Hyſpaniæ, totuſque clamat orbis pro tanto

Digitized by Google

flagitioſo vitio ſic malè perpeſſus, imò & aliquando prorsùs extinctus.

13 Hæc autem quæ de tam pernicioſo vitio hucuſque dicta ſunt, & magis admodum dicenda ſuppeterent, eo ducta ſunt fine, ut quam irrationabile ſit appareat Molinos aſſertum, quod attenta ſcilicet præfati vitii deformitate, quamque damniferum ſit, quamque punibile, corruat in ipſum homo, pervigil adhuc, & in ſe benè compote, per vim paſſus à dęmone, & hoc eveniat ſub regimine paterno degens, ac ſuaviſſimo Dei. Non enim hoc pati putandum eſt tanti Proviſoris; ac piiſſimi Regentis orbis, erga ſalutem hominum zelum, cum alias, ut capite ſuperiori perpendimus, ſub ſpecie quadam aſſimulatæ cauſæ, vehemęter ſtimulis agitatus homo libidinis, poſſet immunis, & facile ad actus excurrere turpes ſuadendo ſibi hos efficere per vim ipſi illatam à dęmomone, & ſic ſe innocentem in illis, & excuſabilem fore, quod quam abſonum, imò deriſibile ſit, luce clariùs extat.

14 Diligenter ergò debet in ſe attendere homo, nè ſibimet aſſentando, vel blandiendo in foveam tanti incidat erroris, ex tali deceptus imaginata, ſeù efficta violentia dęmonis, cum non aliud reputanda ſit ipſa, ac forte ipſius dęmonis commentum, per os humanum expreſſum, ad illaqueandas, & capiendas animas; Et ſanè ſi ſeipſum homo probaret, nec non linceo cognitionis reflectentis in ſe ipſum oculo, in ſuum velket penetrare pectus, ac viſcera, corque examine ſevere acto inquirere, proculdubio evidenter inſpiceret, non per vim ei aliquam illatam, ſed per voluntatem patratum ab eo fuiſſe opus illicitum: non ab extrinſeco cogente aliquo, ſed ex intrinſeca ejus libidine, facinus actum eſſe libidinoſum: non denique impulſum, vel coactum actum perpetraſſe indignum: quinimò voluntariè patraſſe illum, ac ſpontè: quo certò noſcet, ut peccatum, imputandum ei fore illum, ultroque lęthale, juxta quod inquit Angelicus Doctor 2.2. q. 154. a. 2. inferens in, ſed contra. *Fornicatio igitur, & omnis concubitus, qui eſt prater uxorem eſt peccatum lęthale.*

15 Idemq; innuens hominis torpedinę, quodq; ſponteneè, non autem coactè ad opus illud turpe collabitur, ſubdit ipſa 2.2.q.157.a.1. *Ad tertiũ dicendũ quod cõcupiſcentia carnis in eo qui eſt incontinens, ſuperat ſpiritũ, nõ ex neceſſitate, ſed per quandam negligentiam ſpiritus non reſiſtentis fortiter,* & a.2. *Ad ſecundum dicendum, quod in eo, qui eſt incontinens, vincitur iudicium rationis, non quidem ex neceſſitate, quod auferret rationem peccati:* (juxta quod intendit Molinos) *ſed ex negligentia quadam hominis non firmiter intendentis ad reſiſtendum paſſioni per judicium rationis, quod habet.* Quid expreſſius contra Molinicam phantaſiam. Ad quam uberiùs refellendam, D. Cyprianus ad Pomponium lib. 1. epiſt. 11. de Virginitate, turpidinem arguens luxurioſi commercii, ita fatur. *Certè ipſe concubitus, ipſe amplexus, ipſa confabulatio, & oſculatio, quantum dedecoris, & criminis*

ſit,

Digitized by Google

fit, confitentur. Ergò per hæc omnia, advertenter ab homine facta, fit reus ipse criminis, nec non peccati mortalis obnoxius, sublata omnis efficiæ violentiæ fallacia, omnisque doli de corde eliminato errore.

16 Rejecta igitur adinventa dęmonis, & commentitia violentia, tamquam hominum mortifera, præcepsque seductio, attendamus pro vero animæ profectu, ductuque salutis ad id quod Magnus Pater Augustinus cohortatur admonens serm. 2. de castitate conjugali, tom. 10. post multa in adulteros ait. *Unde coram Deo, & Angelis contestor, atque denuncio ista mala, adulterari, scilicet fornicari, &c. Et semper prohibuisse, & numquam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere numquam licuit, & numquam licebit, unde clamat Apostolus ad Hebr. 13. Fornicatores judicabit Deus. Et illud. Neque adulteri Regnum Dei possidebunt, & iterum, omnes adulterantes, & adulteros tamquam Clibanus corda eorum*. Et paulò infrà à peccato non conjugatorum arguens ad peccatum conjugatorum, ut ad majus, inquit. *Illud attendite Fratres, si in tam gravi periculo sunt, qui uxorem non habent, aut concubinas sibi adhibent, aut adulteria committunt, quid de se infelices illi cogitant, qui fortè conjugia habentes adulterant, & insano furore, vel crudeli infelicitate de judicio desperant, qui nec supplicia inferni formidant, nec desiderant præmia æterna? &c.*

17 Et serm. 1. de castitate, & munditia idem Doctor. *Numquid abscondere potest homo, ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, & non comburerentur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam, similiter, & Beatus Apostolus admonet nos. Bonum est, inquiens, mulierem non tangere. Quasi statim in tactu periculum esset*; Et infra ibidem. *Qui mulierem habet legitimam legitimè utatur ea, temporibus opportunis, ut secundum Apostolum possit vacare orationi, & benedictionem mereatur filiorum à Deo accipere. Nemo dicat à fornicatione se custodire non posse.* (quod fortè Molinos ait causa suæ à [illegible] inventæ violentiæ) *Fidelis enim est Deus, dicit Apostolus, qui non permittit nos tentari supra id, quod portare possumus, sed cum tentatione proventum*. Quæ verba valdè notanda sunt pro præsenti, sicut, & superioris capitis intellectu, ut exposuimus, &c.

18 Idemque Doctor alibi hoc ipsum inculcat, & præsertim serm. 2. de incauta familiaritate mulierum tom. 10. post multa concludit. *Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò projecerit, nihil nocebunt. Si verò diutiùs tenere voluerit, sine vulnere eos jactare non poterit: Ita & ille, qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens moras in suis cogitationibus habere permiserit, exutere à se sine animæ occisione, vel plaga non poterit*. Quod est in eam vulnus infligere peccati mortalis, quo patet, ut planum macula peccati

Digitized by Google

mortalis infici, extra limites Matrimonii actum agere luxurioſum, ſive deliberatè luxuriantem, ut diximus.

19 Celeritatem qua velut ignem à nobis tentationem excutere debemus, ſuadetque D. Auguſtinus, ô quam gloriosè factus omnibus caſtitatis exemplar, exercuit Magnus ille Joſeph in Ægipto, cum impetitus à ſua Domina fuit. De quo D. inquit Ambroſius in Hexam. lib. de Joſeph Patriarcha cap. 5. *Magnus quippe vir, qui venditus, ſervile tamen neſcivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit, qui cum ab uxore Domini ſui conveniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit: ac ne ipſa quidem verba, diù paſſus eſt; contagium enim judicavit, ſi diutiùs moraretur, nè per manus adulteræ libidinis incentiva tranſirent. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit, & relictis quibus tenebatur exuviis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat rectior indumento pudoris. Non eſt enim nudus, niſi quam culpa nudaverit, &c.*

20 Tam præclarum facinus imitatum fuiſſe legitur inter cæteros hujuſmodi tentationum Victores, quemdam cujuſdam Abbatis eremiticam vitam in Ægipti ſilvis agentis, diſcipulum, ut ex vitis eorumdem Sanctorum Patrum habetur, qui à ſuo Magiſtro miſſus ad hominem, ei conſuetum miniſtrare neceſſaria victui, pergens ad prædicti hominis domum ſimplex ipſe diſcipulus, illo non invento filiam verò ejus ſolam reperit. Cumque interrogaret eam de patre ſuo, illa invitabat eum, ut domum intraret, ſimulque trahebat eum, ipſo minimè acquieſcente: ſed eum fortiter, diuque traheret, prævaluit illum ad ſe introducere, eumque complexa, cohortans incitabat eum ad commixtionem corporis ſui. Ille autem videns ſe ad luxuriam trahi, indeque fœdis obrui illecebris, ingemiſcens clamavit ad Deum dicens. Domine propter orationes Patris mei ſenis Magiſtri, libera me, ex hac ſic impellente tentatione. Et cum hoc dixiſſet protinùs inventus eſt ad flumen propè Monaſterium, raptus à Spiritu Dei, (mo[illegible] quo Philippus Chriſti Diſcipulus Baptizato Eunucho) & illud ingreſſus, illeſus reverſus eſt ad Abbatem ſuum. Quis autem, ſi præfato intereſſet ancipiti, ac periculoſo ſpectaculo, retentumque à muliercula juvenem in tanto diſcrimine poſitum, violentiam non affirmaret eam fore per manus mulieris à dæmone tunc illi illatam? Et tamen ſi lapſus eſſet, in peccatum ei imputaretur, & grande, nec ullatenùs utpotè animi compos excuſaretur à culpa, aut ad iſtam aſſenſum non præbuiſſe voluntatis. Propterea ſapienter tentamento tam vehementi reſiſtens, recurſum fecit ad divinum auxilium, per quod miraculosè de periculo ereptus liber extitit, & permanſit: per quæ datur intelligi, quam inanis ſit adinventio violentiæ, eo pacto, quo illam ſibi effingit Molinos, cum ut prædiximus juxta Dei ſuaviſſimum regendi curſum, quo præcipua, & ſpeciali

Digitized by Google

ciali providentiæ Manu regit hominem, non finit hunc tentari supra id quod potest, sed facit cum tentatione proventum: ita ut semper obsistere possit, Cœlique invocare adjutorium, ad quod præstandum, cum semper præsto sit ipse Deus, ad culpam imputabitur homini si illud negligit, sub armis sucumbendo perurgentibus hostis, atq; ut in nostro dicto statuimus, ad actus excurrens illicitos extra limites luxuriando cohonestantis vinculi Matrimonialis, grave crimen perpetrabit, gravisq; pœnæ periculis exponet, quod fortè considerantes Ægiptii tempore Abrahæ, plus abominari videbantur adulterium, quam homicidium. Unde timebat Abraham nè eum occiderent: ac postmodum Sarai uxorem suam Pharaoni offerrent, quasi nollet eam cognoscere, quamdiu crederetur virum habere. Ad evitandum autem cum illa adulterii crimen propter ipsam flagellavit Dominus plagis, & maximis Pharaonem, ut Gen. 12. & per somnium comminando exterruit Abimelech Regem, ut ibidem 20. & hinc abjecta remanet oppositum his omnibus sentiens Quadragesima secunda Propositio Molinos, videlicet, ut supra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

Quadrageſima tertia Propoſitio Molinos. *Iddio ne' tempi paſſati faceva i Santi per mezzo de' Tiranni, hoggi li fà per mezzo de i Demonii, che cagionandoli le dette violenze, fà che quelli maggiormente ſi avviliſcano, s'annientano, e ſi raſſegnino in Dio.*

Oppoſitum è contra dictum.

Deus dęmonum miniſterio utitur ad vexandos homines propter iſtorum bonum, vel profectum, aut alia ſua occulta judicia: hoc autem non per vim ab illis phiſicè hominibus illatam, ſeù violentiam actam; ſed tentando, ſuadendo, moraliterque quoad bona tamen, ac præcipuè interna movendo.

2 ACre bellum fuiſſe noſcimus illud, inter rebelles, fideleſque ſpiritus Angelicos, juxta quod ex ſacris relatum eſt dogmatibus; cum ex quo de ſummo conditoris verbo promanarunt ad extra, in oppoſitis diſcriminati claſſibus, exercitibus ceù formatis cãpeſtribus ad arma, fera pugna venerunt. In adverſa namque infidelium acie, Dux erat, caputque Lucifer, qui ſuam maximè oblectatus in ſpeciem, de ſeipſo extumeſcens, ſupercilio erecto, ſuperbiſſima cervice renuit ſuum obſequi tamquam omnium bonorum fontem Creatorem: Inde ſigno rebellionis erecto innumeras ad ſe traxit ſectantium legionum phalanges, ſimilitudine illectas contra Deum præſumpta: Verum è regione, ut cœlici fortes adamantes fidelium extructæ acies bellatorum, Duce primario Michaele, auſpice Verbo Dei, expoſitoque pro ſigno ad contra ſimilis ero Altiſſimo temerè dictum, Quis ut Deus. Collatis ſignis perſonantibus claſſicis, ad pugnam conſertiſque manibus irruperunt. At quid contra Solem umbræ? Contra cœleſtia, infernalia, contraque Deum ipſum, creatura? Cecidit ad impetus divini luminis, ſuorumque propugnantium aſtrorum, cum omnibus ſuis aſſeclis ad ima Lucifer, & ut beſtia magna repulſus ad ictus ſtricti gladii ex ore Regis Regum, Dominique Dominantium, cum univerſo ſectatorum exercitu, merito pœna de ſua elatione coactus eſt, deniq; ferre, ut adnotat exul in Pathmos Evangeliſta Ioannes in admirandis ſuarum vi-

Digitized by Google

visionū objectis spectaculis c. 12. *Factum est prælium magnum in Cælo: Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt.*

2 Ex his ergo infelicibus de Cœlo lapsis, quamplurimi per divinæ providentiæ decretum, ad impugnandos homines, remanserunt super terrām, cęteris detrusis ad inferos, ad torquendos eos, quos ad malum induxerunt. De qua dęmonum molestia loquens Angelicus Doctor 1. par. quæst. 64. a. 4. docet quod Angelis malis duplex pœnalis convenit locus: infernus pro ipsorum culpa, & aer iste caliginosus usque ad diem Judicii ad bonorum exercitium. *Quoniam hoc habet divinæ providentiæ ratio, quod inferiorum bonum per superiora procuretur: Bonum autem hominis, & procuratur per divinam providentiam, uno modo directè: dum scilicet aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos: alio modo indirectè, dum scilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarii. Et hanc procurationem boni humani conveniens fuit per Angelos malos fieri. Sic ergo dęmonibus duplex locus pœnalis debetur; Unus quidem ratione tuæ culpæ, & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanæ protenditur usque ad diem Judicii.*

3 Hinc primam dicti partem, & primò confirmatam habemus per Doctorem Angelicum, quod est Deum ministerio dęmonum uti ad urgendos homines ad istorum bonum, & suæ gratiæ lucrum. Deus enim, qui intentator malorum est, non aliud, pro suæ bonitatis summo decore, quam bonum intendit hominis, & levamen, quod & sua studet paterna exequi providentia. Undè cum per dęmones vexat homines, nō ut isti deteriores fiant hoc agit, sed permittit, quinimò meliores, ac tamquam aurum in fornace probatum puriores evadant. Quod aliundè benè evenit, cum his impetentibus, & molestis hostibus obsistentibus, merita lucrantur apud Deum, ulterioresque gratiæ, gloriæque gradus consequenter sibi accrescunt, ex quo corona victoris intexitur, braviumque æternitatis acquiritur. Similes ipsi quippè suos expetit affectas Agnus ille divinus, qui sicut ipse, ut leo fortissimus certavit, vicitque antiquum illum hostem, vafrumque Draconem: sic itidem, ut perficiantur, suos illi suos exponit ad pugnandum Commilitones electos, cum alias vilem, abjectamque sciat fore coronam, sine adversarii contentione possessam, quæve subsumit Apostolus ullatenus est promissa torpentibus, eo quod coronam minime spe ducatur assequi, quam qui legitimè, strenuèque certaverit.

4 Item ad idem bonum hominis à Deo intentum in oppugnationibus dęmonum comprobandum, tametsi isti ad oppositum hoc est ad malum

malum attendant, loquitur D. Th. ipsamet 1. p. q. 114. a. 1. quo inquit. *Quod circa impugnationem dæmonum duo est considerare, scilicet ipsam impugnationem, & impugnationis ordinem. Impugnatio quidem ipsa ex dæmonum malitia procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur, & propter superbiam, divinæ potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem; sicut & Angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem. Sed ordo impugnationis ipsius est à Deo, qui ordinatè novit malis uti ab bona ea ordinando, sed ex parte Angelorum tam ipsa custodia, quam ordo custodiæ reducitur ad Deum, sicut ad primum actorem.*

5 Dæmon ergo impugnando, eversionem, intendit hominum, Deus autem conversionem. Ille dejectionem, hic erectionem! Ille animæ, corporisque perniciem; hic verò exaltationem, & vitam. Quod si labitur homo victus à Dæmone, permittitur hoc à Deo juxtà justa ejus, & occulta judicia, per quorum ultrò sapientiam, ut hominem puniat, immittit aliquando dæmones ad impugnandum, aut afficiendum molestiam, in qua tamen admota contra hominem pugna, alio se pacto gerit ipse dæmon, alio Deus, ille namque ductus ex odio, hic ex amore, aut ex sua incomprehensa justitia regens, ut fuit in Job, & Tobia, aliisque virtutis patientiæ, vel constantiæ professoribus, Sanctisque compluribus.

6 Quod planè insinuatur ibidem à D. Thom. *Ad primum dicendum, quod mali Angeli impugnant homines dupliciter. Uno modo instigando ad peccatum, & sic non mittuntur à Deo ad impugnandum: Sed aliquando permittuntur secundum Dei justa judicia. Aliquando autem impugnant homines puniendo, & sic mittuntur à Deo, sicut missus est Spiritus mendax ad puniendum Achab Regem Israel, ut dicitur 3. Reg. ultimo. Pœna enim refertur ad Deum, sicut in primum actorem, & tamen dæmones ad puniendum missi, alia intentione puniunt, quam mittantur. Nam ipsi puniunt ex odio, vel invidia: mittuntur autem à Deo propter ejus justitiam.*

7 Ad quæ cohærenter, ac pro bono à Deo in suis intento permissionibus, idem auditur D. Thom. 1. 2. q. 187. a. 2. *Ad primum dicendum, quod hoc etiam, quod aliqui puniuntur à Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonum virtutis ordinatur, quandoque quidem, etiam ipsorum, qui peccant, dum scilicet post peccatum humiliores, & cautiores resurgunt: semper autem est ad emendationem aliorum, qui videntes aliquos ruere de peccato in peccatum, magis reformidant peccare.*

8 Quod autem hoc eveniat ex dæmonum illata, ceu tyrannica violentia hominibus, futile commentum est Molinicum, ut satis constare potest ex dictis in præfatis capitibus, & claret insuper ex eo quod suggerit

Digitized by Google

gerit D. Thom. 1. p. q. 114. a. 3. ubi per moralem motionem dæmonis peccata exoriri hominum docet, non autem physicam, & violentam, eo pacto, quo priores nostros ad peccandum progenitores induxit. Quod cum D. Isidoro asseverans inquit: *Peccata Provenientia ex instinctu dæmonis, ad ea complenda, eo blandimento decipiuntur homines nunc, quo primi parentes*: Quare sicut isti justo Dei judicio, ex eo quod ineptè decipi se fecerunt, sententiæ subacti fuere æternæ mortis, & spiritualis, & corporalis; ità filii pari pacto illusi, pœnæ sententiam juxta criminis gravitatem subire cogantur: Undè cum pravè agere dicuntur non est quod sub alicujus extrinseci agentis violentia subiiciantur per vim moventis, vel impellentis ad actum: sed potius quia voluntariè sub aliàs immanissimi hostis se tentamento, fallaciis illecti subjecerunt, cum secus nequeat eos dæmon impetere, Deo sic disponente juxta sui suavissimam regendi hominem methodum, ut supra dictum est. Qui dæmonis tentandi modus, nè dum in nostris præstitus fuit primò primis parentibus in terrestri degentibus loco voluptatis, seu Paradiso: sed prius in cœlesti inter Angelos ipsos: ut Angelicus ipse dicit 1. p. q. 63. a. 8 *Quod peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens.*

8 Et ità profectò dicendum dæmonem hominibus causam esse peccandi, eosque ad lapsum carnis, vel aliud opus illicitū perducere. Quod quo pacto fiat, idem explicat Angelicus Doctor, simulq; asserit, morem fore dæmonis tentandi 1.2.q. 80.a.1.& 2. Primò quidem quo. *An diabolus sit homini directè causa peccandi perquirens. Respondet dicendum, quod peccatum actus quidam est. Undè hoc modo potest esse aliquod causa peccandi, perquam est directè causa alicuius actus, quod quidem non contingit, nisi per hoc, quod proprium principium illius actus, movet ad agendum: Proprium autem principium actus peccati est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium: Undè nihil potest esse directè causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum: voluntas autem à duobus moveri potest. Uno modo ab objecto, sicut dicitur quod appetibile apprehensum movet appetitum. Alio modo ab eo quod interius movet voluntatem ad volendum: hoc autem non est nisi ipsa voluntas, vel Deus: Deus autem non potest esse causa peccati. Relinquitur ergo quod ex hac parte sola voluntas hominis sit directe causa peccati ejus.*

Ex parte autem obiecti potest intelligi, quod aliquid moveat voluntatem tripliciter. Uno modo ipsum obiectum propositum, sicut dicimus, quod cibus excitat desiderium hominis ad comedendum. Alio modo ille, qui proponit, vel offert huiusmodi obiectum. Tertio modo ille, qui persuadet obiectum propositum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium obiectum voluntati, quod est rationis bonum verum, vel apparens. Primo igitur modo res sensibiles exterius apparentes movent voluntatem hominis

Digitized by Google

ad peccandum, vel offerendo, aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi: sed nullo illorum trium modorum, potest aliquid directè esse causa peccati, quia voluntas non ex necessitate movetur ab aliquo objecto, nisi ab ultimo fine. Undè non est sufficiens causa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui persuadet. Undè sequitur, quod Diabolus non sit causa peccati directè, neque sufficienter, sed solum per modum persuadentis, vel proponentis appetibile.

Et ibidem. *Ad tertium dicendum. Quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à Diabolo per modum persuadentis, vel appetibile proponentis.*

10 Præterea ulteriùs expendens, quo pacto se dæmon ingerat, quoque se in homine gerat, ut ad peccatum inducat. Idem resolvit Angelicus ibidem a. 2. quo inquirens. *Utrum Diabolus possit inducere ad peccandum interius instigando. Respondet dicendum, quod interior pars animæ est intellectiva, & sensitiva. Intellectiva autem continet intellectum, & voluntatem, & de voluntate quidem jam dictum est, quomodo ad eam Diabolus se habet. Intellectus autem per se quidem movetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis, quod diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrat rationem eius ad consentiendum peccato, quæ quidem obtenebratio provenit ex phantasia, & appetitu sensitivo: Unde tota interior operatio diaboli esse videtur circa phantasiam, & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur, potest etiam facere, quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est enim in 1. lib. q. 110. a. 2. quod natura corporalis spirituali obedit ad motum localem: unde & Diabolus omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur. Quod autem aliquæ formæ repræsententur imaginationi, sequitur quandoque ad motum localem. Dicit enim Philos. in lib. de somno, & vigilia, quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt motus, sivè impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conservantur, & movent principium apprehensivum, ita quod apparent, ac si tunc principium sensitivum à rebus ipsis exterioribus immutaretur, unde talis motus localis spirituum, vel humorum, procurari potest à dæmonibus, sivè dormiant, sivè vigilent homines: & sic sequitur quod homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones secundum quemdam determinatum motum cordis, & spirituum: undè ad hoc etiam diabolus potest cooperari Et ex hoc quod passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitivo, sequitur quod & motum, sive intentionem sensibilem prædicto modo reductam ad principium apprehensivum magis ho-*

mo

Digitized by Google

mo percipiat: quia ut Philosophus dicit in eod. lib. Amantes modica similitudine in apprehensionem rei amatæ moventur. Contingit etiam ex hoc quod passio est concitata, ut id quod proponitur imaginationi, judicetur prosequendum: quia ei, qui à passione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per passionem inclinatur. Et per hunc modum interius Diabolus inducit ad peccandum.

11 Quid plura pro nosse modum, quo Diabolus movet hominem ad peccandum? Illusiones sua studia sunt, præstigia, figmenta, per quæ deceptus homo in peccata corruit, & absurda, Deo permittente. Nisi velimus aliunde dicere, inferre aliquando Diabolum violentiam, Deo sic adhuc ordinante, ac disponente, pro spirituali hominis profectu vel bono: at illam neutiquam quam in exterioribus concedimus rebus, vel infimis, ut in bonis corporis, vel fortunæ sicut ad patientiam Job accidit exaltandam, ejusque merita peraugenda, nec non & hostis indicandam, imò irridendam impotentiam, quod est, cum homo nullum ejus præbet conatibus assensum, aut per ejusdem illatas violentias, sivè desolationes, rerumque omnium vastationes, minimè perturbetur, vel contra Deum aliquid obloquendo, aut blasphemando rabidus, & perstrepans per ebullientem animi commotionem injuriosus erumpit, ut de ipso invictissimo Iob testatur ipsa divina Sapientia, quod nec jota quidem in suis perpessionibus contra Deum loquutus sit, nec in aliquo labiis suis conquærendo peccasse, aut aliquod egisse indignum, gloriosis inclamat æterna fama præconiis, ut infra fusè videbitur.

12 Quod si alias præfata vis in exterioribus adhibeatur potentiis à dæmone, ut v.g. retinere manus, vel pedes, aut ad motum impellere, seù violenter ad obscæna movere, hæc tamen si aliquando forte contingerent, sive immediatè per ipsum dæmonem acta, ut evenire posset per incubum, vel succubum aliqua abutentem muliere, aut adolescentulo, uti de facto in nonnullis evenisse narratur: sivè mediatè medio scilicet hominum ministerio, ut etiam accidisse fertur, patienti, culpa minimè erit ulla imputanda, nisi ejus accedat in patrato actu delectationis assensus. Quandoquidem sic acta violentia, obluctante voluntatis assensu, merita potiùs adauget, quam tollat, vel minuat ipsius; imò & ipsa duplicat gloriæ Coronam, ut Tyrannum objurgans asserebat in se Sancta Virgo Lucia. At ista moraliter loquendo, vel secundum Dei suavem providentiæ morem, non evenire fatendum est, ut supra perpendimus, eo quod Deus non sic permittit hominem pati, inspecto assueto suo cursu, seù modo regendi, minimè sinente ullum tentari suprà id, quod posset, quod si permitteret, præsto semper esset ad illum de periculis eximendum, suæ dextera efficacissimæ gratiæ auxiliantis, ut adhuc experimento visum, & probatum in urgentiis extitit, nosque supra retulimus.

Digitized by Google

13 Quæ longè sunt à sensu, quem intendit Molinos, qui suas adinvenit violentias non tam ut homo humilietur, & vilescat, aut remittatur, sivè annichiletur in se, ut ipse loquitur; quam ipsum innoxium, remotumque à culpa ostendere, sub velamine, aut specie, vel colore humiliationis, vel demissionis, &c. Dum enim homo per ipsos turpes actus, noxiosque incursus, ad quos reputat se impelli per vim ei illatam à dæmone, nosceret se talia reportare bona, fructusque ferre, quis ambiget, liberius illum ad præfatos excurrere actus, promptiusque ad flagitiosa prorumpere opera? Exemptum quippè semper se profiteretur à culpa, ac per consequens ullius pravi reum facinoris, cum supra violentiam sibi actam à dæmone, culpam expeditè referret, eamque pro se perpetuò in defensionem proferret. Hoc autem pacto edere Martires, nonne fundere ridicularia est, deridenda proferre?

14 Statuamus quæso discrimen inter S. Martyres, quos sibi Deus olim per immanitatem advocabat Tyrannorum, eosq; quos Molinos effingit media dæmonum violentia, & planè videbimus, quam toto Cælo differant, quamque opponantur, eoque propemodum pacto quo lux, & umbra, Christus, & Belial. Nam Sancti Martires sub feritate barbarorum, ad patibula damnati erant, diraque tormenta: Sancti verò Molinici ad illecebras ducti, ad voluptates, ad turpia. Illi divino flammantes amore, animam pro Deo hilares effundere fatebantur: Ii autem animam pro Sathana tribuere illecti non reformidant. Illi fieri Dei holocausta lætabundi exultabant: Isti sacrificia effici infernalia inani gustu tripudiant. Illi in cruciatibus tamquam aurum in fornace purificabantur: Isti veluti sus lota in volutabro luti, in sordibus inquinantur. Illi pro munditiæ candore zelotes, potius mori, quam fœdari non pavescebant: Isti pro immunditiæ turpitudine, citius infici, quam vivere non diffitentur. Illi tandem mortem gaudenter amplexabantur, pro quæstu vitæ æternę. Isti pro hujus vitæ instantanea dulcedine, amaritiè lucrari non curant mortis æternæ. Martires ergò Dei nuncupandi sunt illi, verèque Sancti: Isti autem Diaboli, nec non illius generis Sanctimoniæ, quo colantur apud Gentiles Idoli. Sanctos enim suos, suosque Martires non sibi Deus construit per actus vitiosos, uti sunt efficti Molinos, sed virtuosos: non per fragilitatis infractionem, sed fortitudinis firmitatem. Non per obscænitatis, vel fœditatis amorem fœculentum, sed per charitatis, ac divinitatis angelicum, non denique per terrenum, ac nequitiis inquinatum, sed per cœlestem, omnique puritate fulgentem. Cum ergò Deus ministerio utitur dæmonum ad vexandos homines, non est ut isti devicti actus efficiant obscœnos, enormes, aut noxios? Quinimò ut victores virtutum elucescât operibus, & hanc ob causam suæ gratiæ ipsis præbendo præsidia, strenuitatem

Digitized by Google

rem confert eis, ac robur, ut coronam promereantur æternam immortalitatis in Cœlis.

15 Instituit ergò sibi Sanctos Deus in hoc orbe degentes, educitque adhuc hisce temporibus exçrutiatos Martyres: At quinam eorum sint insectatores, dirique Tyranni? Divus indicat Augustinus serm. 60. ad Fratres in Eremo, de persecutione Christianorum inquiens. *Quod semper Christiani persecutionem patiuntur. Mundus in maligno positus est. Adversarius noster Diabolus regnat in Mundo, & nos putamus quia non patimur persecutionem. Quæ enim res non persequitur Christianum?* (En verus modus, quo dæmon ut Mundi Tyrannus Princeps cruciat homines, mediis tamquam suis Ministris tortoribus cæteris rebus, Deo sic disponente, vel permittente) *Omnia quæ in Mundo sunt persequuntur Christianum. Miramur si nos persequuntur alii, si Christo servire voluerimus, & parentes nostri nos persequuntur. Quicumque dissimilis nostri est, persequitur nos, & odio nos habet. Miramur si alii nos persequuntur, ipsum corpus nostrum nos persequitur. Si comedero paululum, & corpusculum meum fuerit robustum, sanitas corporis mei persequitur animam meam. Quocumque me vertero, persecutio mihi est. Si videro mulierem, oculus meus persequitur me, cupit enim interficere animam meam. Si videro divitias, si aurum, si argentum, si possessionem, si delitias corporales, si pulchra vestimenta, quodcumque videro persequitur animam meam. Non putemus tantum in effusione sanguinis esse Martirium, semper Martirium est Christianis, & Religiosis. Adolescentulum libido persequitur, & vult libido effundere sanguinem. Quando periclitatur anima tua, & quasi in periculo constituitur, tunc astat Dominus Jesus à dextris Patris, & pugnat pro adolescentulo suo, &c.*

16 Sic ergò facit Martires suos Deus, Sanctosque construit in hac currentis orbis tempestate, non autem per violentiam illis actam, vimque per dæmonem, qui cum præfato exagitet modo animas, videlicet ut D. innuit Augustinus, benè potest illi obsisti, eumque per vim Dei gratiæ repellere, propugnatore itidem, & ipso stante Christo Domino à dextris corregnante Patris, sicut illum de facto prospexit invictissimus ille Stephanus Protomartir, dum inter ictus, ut Turris fortissima lapidantium scopus erat expositus hebraicæ feritatis.

17 Quod idem asseverans D. Pater Augustinus serm. 2. de Sanctis Martiribus inquit. *Non Martirium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam excessio illa flammarum: Pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque injuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum, dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de Mundo triumphasse, pars magna martirii est.*

18 Item

Digitized by Google

18 Item ſerm. 3. in feſto Sancti Laurentii, Martyres appellans, ne dum de facto ſanguinem effundentes, ſed etiam effundere expetentes, ac ſecundum Chriſti legem viventes, ſic perlucido ſermone proſequitur. *Non enim illo in tempore tantum perfecerunt præceptum Domini, qui confeſſionis ſupplicium pertulerunt, ſed neceſſe fuit illis prius ſecundum Evangelium vixiſſe, ut Chriſti paſſionibus participarentur. Neceſſe eſt, in quam, ut initia bona fierent quorum finis eſt optimus ſubſecutus, & Martyres eos non ſolum fuiſſe cum paſſi ſunt, ſed etiam, tunc Martyres Chriſti eſſe cum viverent; Martyr enim, Græcè, latinè teſtis dicitur. Igitur quotieſcumque bonis actibus mandatum Chriſti facimus, toties Chriſto teſtimonium perhibemus. Undè & Crux Chriſti non tantum illa dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtituitur, ſed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. De qua mihi videtur Salvator dicere. Qui vult poſt me venire, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. Numquid enim omnes Martyres, qui ſequuti ſunt Dominum, crucifixi ſunt cum Domino? Numquid omnes Virgines, quæ juxta Apocalypſim, Sequuntur Agnum Dei, crucifixæ ſunt, ut ſequantur? Numquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat, cum dicebat, Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego Mundo? Hoc autem dicit, ut intelligas crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ, virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis ſi ſecundum Evangelium vivat crux eſt, atque Martyrium.*

19 Hucuſque Auguſtiſſimus Doctor, duplex indicans eſſe genus Martyrii cruentum puta, & incruentum, illud olim Oriente, aut parvula degente fide ſub Tyrannorum perſequutione in Chriſtum, alterum jam adulta ipſa fide, vel aucta ſub eorumdem in rei veritate hoſtium perſequutione, variè tamen vexantium, per tentamenta nimirum, aut carnis illecebras, cæteraſque perſequentis orbis ærumnas: unde de ipſis ut præcavendis auditur admonens Sancta Mater Eccleſia, Mundus, Caro, Dæmonia, diverſa movent prælia. Contra quos acerrimos hoſtes validè ſe gerentes dum hanc vitam Sancti omnes egerunt, veluti Martyrium, & ipſi paſſi reputantur. Verum ad plenum horum intellectum, noſſe opus eſſet adire Divum Thomam in add. ad 3. p. q. 96. præſertim a. 1. uſque ad 7. incluſivè, ubi de diſcrimine agens inter aureã, & aureolam, & quibuſnam utraque debeatur, quibuſque autem altera tantum, vel omnes. Quæ cuncta perpendere valdè prolixum ſermonem hic protenderemus. Undè ſat ſit Martyres itidem appellare cum Sanctis Patribus, eo pacto, quo hujuſcemodi digni ſunt nomine, adhuc illi, qui mortẽ de facto pro Chriſto non ſuſceperunt ſanguine fuſo. Quapropter ex actis beatificationis Sanctæ Roſæ Virginis Limenſis Ordinis Prædicatorum, quæ ve primus Americæ Meridionalis

flos

Digitized by Google

flos extitit sanctitatis, hæc habentur. Vita Virginis Rosæ continuum martyrium, eo atrocius, quo magis prolixum fuit.

20 Quod advertens Divus Gregorius Papa in explanatione Septem Psalmorum Pœnitentialium super illud. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*, sic inquit. *Animarum nostrarum ossa virtutes sunt: quæ nimirum in hac vita humiliantur: quia assiduis tentationum impugnationibus indesinenter turbantur. Tentatio enim est vita hominis super terram. In æternum autem vita non solum invictæ potestatis accipiunt fortitudinem, sed etiam nullam vitiorum adversantium sentient impugnationem.* Sic ergo Deus constituit sibi Sanctos, sic humiliat, sicque prorsùs sibi efficit adhærentes: Quod est per ignem probare eos, & aquam exagitantium tentationum, vel tribulationum vexare angoribus, unde sapientèr illud est dictum, vita Religiosorum inspecta, Religionem statum esse pœnitentiæ, speciemque Martyrii, cum in ea præsertim, demissio vigeat humilitatis, contemptus effleat dejectionis, vexatio undique infectatrix excruciat. Quas ærumnas prospiciens, & in seipso probans prædixit Apostolus 1. ad Corint. 4. inquiens. *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & Colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persequutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, tamquam purgamenta huius Mundi passi sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Quodnam inquam his acrioris Martyrii genus? Quænam major Sanctitatis effectio? Quænam, perspessionis, despicientiæ, sivè cujuslibet concussionis duriora tormenta? Undè cum in his omnibus cruciatuum tempestatibus, non indicetur, nec agnoscatur ab Apostolo, vis aliqua illata, seù violentia passis à dæmone, ut commentitiam prædicere videtur, fallacemque adinventionem Molinicam, Deum videlicet suos, sibique efficere Sanctos, sub hoc nostrorum temporum cursu, media dæmonum violentia, ut suprà dictum est, &c.

21 Ad quam item explodendam, peraptum S. Abbas Macharius nobis offert exemplum, ut de ipsomet illud enarrante legitur in vitis SS. Patrum. Quod nempè quadam die sedente eo, & meditante in sua cella. Venerunt ad ipsum duo adolescentes, unus jam pubescens, alter autem adhuc impuber, qui ipsummet inquirentes, & invento, per responsum acceptum, ipsum fore, dixerunt se agere de peccatis suis pœnitentiam velle, ibique in deserto manere. Quos cum Sanctus Abbas vidisset admodum delicatos, atque in deliciis enu-

Digitized by Google

enutritos; dixit eis: vitam agere eremiticam perarduam fore pro ipsis, nec ullatenus eos illam perpeti posse, at eis in proposito persistentibus, nè illos Sanctus Pater exacerbaret, & fortè scandalizarentur in eo, eos dimittendo, acquievit voluntati eorum, reputans hoc acturum esse asperæ vitæ laborem, quo facile ex seipsis diffidentes inde recederent. Provisis eis de omnibus, & pro construenda sibi cellula instrumentis, & nonnullis per dies aliquot panibus, nec non designato loco, ubi morari possent, atque pro quæritando in posterū cibo, de modo consuendi sportellas edoctis, missum fecit eos. Qui abeuntes omnia sibi à Sancto Patre imposita integrè exequentes perfecerunt. Post triennium autem ad visendum eos abiit, ac de ipsorum forti perseverantia lætatus, benè in Domino Dei gratia se habentes invenit, verum ultrò experiri volens, una cum ipsis noctem agere dixit. Oravitque Dominum, ut sibi revelare dignaretur operationes ipsorum, & ecce apertum vidit cellulæ tectum, lucemque tamquam diurnam per apertum intus effusam. Ipsi verò non conspicientes lumen illud, putabant Sanctum Patrem jam somno complexum, sicque surgentes, seque cingentes, manusque expandentes in Cœlum stabant ita cum silentio orantes. Sanctus autem Pater conspiciebat eos: ipsi vero minimè illum. (Hinc notanda dæmonum impugnatio) viditque dæmones sicut muscas advolantes super minorem adolescentulum, & alii quidem veniebant, ut sederent super os ejus; alii verò super oculos ejus: Angelus autem Domini stricto flammeo gladio circumvallans eum abigebat ab eo dæmones: majori autem adolescenti appropinquare nequibant. Mane autem facto, una simul surgentes, & psallentes, inspexit Sanctus Abbas, quod per unumquemque versiculum, facula ex ore minoris exibat, & ascendebat in Cœlum: de ore verò maioris tamquam funiculus, rivulus egrediebatur ignis, ascendebatque pariter in Cœlum, ex quo comprehendit perfectum esse majorem in charitate Dei, minorem verò proficientem, ac penè perfectū. Post paucos autem dies dormivit ille major in Domino: tertia verò die minor. Quo cognito S. Pater Macharius ducebat omnes advenientes ad eum in defunctorum cellam dicens, inclamando. Venite, & videte martyrium horum felicium peregrinorum. Venite, & videte Sanctos Dei Martyres, & Athletas. Strenuitatem illorum innuens, & constantiam in fortiter eremiticæ vitæ ferendis asperitatibus: In quibus cum nulla interfuerit dęmonis physica vis illata, vel violentia, ut patuit ex visione quam de illis habuit S. Abbas Macharius cum eisdem pernoctans, & tamen Martyres appellati sunt ab ipso, ut mendax indicit nobis assertum esse Molinos per expositum de adolescentibus novitiis solitariæ vitæ exemplum, quod idem asseverandum arguimus de universis pęnitentę, sanctamque vitam agentibus, ut cum Divo retulimus Augustino: Undè ut fallax ejicienda remanet quadragesima tertia Propositio Molinos, videlicet, ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

Quadrageſima quarta Propoſitio Molinos. *Giobbe beſtemmiò, e con tutto ciò, non peccavit labiis ſuis, perche fù per violenza del demonio.*

Oppoſitum è contra dictum.

Non peccaſſe Job maledicendo in Capite tertio, cum aperuit os ſuum, & maledixit diei ſuo, &c. Ex virtute Dei gratiæ fuit, ejuſque recto dictamine mentis: non autem ex aliqua ipſi dæmonis violentia illata.

1 OMnium ore pleno, ut ſpecies ſpecialiſſima fortitudinis collaudata omni tempore fuit patientiæ virtus; Quoniam velut ænea inter cruciatus, ærumnas, cunctaſque perpeſſiones, deſpicatui pœnas habens, deriſui ſunt ipſi cujuſvis Tyrannicæ feritatis conatus omnes, iræ, minæque. Quamobrem ut admirabilis in illa ſe geſta, immortalem ad poſthuma ſecula ſibi gloriç eſt nacta famã, famã nomen fecitque grande. Ita per injectã foculo dexteram, ſcevola ſibilaudem cõparavit æternam, ſicut & per ſimile geſtum coram Xerſe Rege Perſarum pariter actum, Ageſilaus: adjecta inſuper ad illum voce, hujuſmodi fore omnes Athenienſes, quod ſi non dum credis ſubſumens, lævam quoque injiciam. Ita Pompejus per admotum ardenti lucernæ cremandum digitum. Puer item ille nobilis per immobile tenſura bracchium ad delapſum ſuper illud carbonem ardentem, ſacrificante Magno Alexandro. Et ita glorioſum ſui reliquerunt in orbe nomen, Zenones in tormentis invicti, Anaxarchi, Theodori, Indique denique illi, de quibus Valerius Maximus lib. 3. cap. de patientia refert, quod omne vitæ tempus nudi exigunt: modo Caucaſi montis gelido rigore corpora ſua durantes: modo flammis ſine ullo gemitu obiicientes. De quibus Solinus ait, quoſque Gimnoſophiſtas appellat, quod ab ortu, uſque ad ſolis occaſum, attentis oculis orbem candentiſſimi ſyderis perſpiciunt, credenteſ in globo ignis quædam eos rimari ſecreta, areniſque ferventibus, & eo pacto, ut in meridie, quo nemo alius nudis pedibus per terram iri facilè ferret; perpetem diem alternis pedibus inſiſtunt. Nec illud prætermittendum, quod Ariſtobolus dicit vidiſſe ſe Sophiſtas duos ex illis, utroſque Bragmanas: alterum ſeniorem tonſum, alterum Juniorem Comatum: hos deindè ad Alexandri menſam

Digitized by Google

assistentes, & patientiam docere. Postea in locum quendam proximum recedentes, seniorem supinũ, & solem, & Imbres tolerare. Juniorem verò in altero pede stantem, lignum tricubitale ambabus manibus sublatum sustentare, pede autem defesso, rursum in alterum immutare, atque ita quotidie perseverare. De quibus multa Strabo lib. 15.

2 Natura itaque ipsa docente, perque tantam vim ejus, tam laudanda, tãq; feruntur de patientię virtute admiranda; quid ergo fatebimur de ipsa gratia lõgè supra naturam valida? Sublimiorã igitur, & ampliora, utpotè altiori lumine fulta, cęlestiq; roborata vigore. Et ità profectò dicẽdum egisse tamquam patientium Principem, qui antonomasticè patiens, & ipse dicitur, celeberrimum Patriarcham Job, de quo Spiritus ipse Sanctus encomiastes effectus in capite primi capitis, inquit. *Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Unde non modicum pro nostrò dicto fit argumentum. Quod cum heroicè vigeret in tanto viro virtus integritatis, Deique notio timoris, ac perindè à malo perpetrando vigilantissima cautio, sapienter arguitur, ex vi Dei gratiæ, ejusque recti dictamnis, minimè divinæ dissoni Legi, aut rationi, non peccasse maledicendo diei suo, &c. Non autem ex aliqua ei ex dęmone illata violentia.

3 Ad quod optimè comprobandum appositè auditur D. Thom. 2. 2. q. 76. a. 2. quo perquirens: *Utrum liceat Creaturam irrationalem maledicere. Respondet primo in sed contra ex illo Matth. 27. Quod Dominus maledixit ficulneæ, & ipsius Job. 3. qui maledixit dici suo.* Pro explicatione autem, & ratione. *Respondet dicendum, quod benedictio, vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid benè, vel malè contingere, Scilicet rationali creaturæ: creaturis autem irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Uno quidem modo per modum subventionis, in quantum scilicet ex creaturis irrationalibus subvenitur humanæ necessitati: & hoc modo Dominus homini dixit Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo, ut scilicet per ejus sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur, quod habetur Deutor. 28. Benedicta horrea tua. Et infra. Maledictum horreum tuum. Sic etiam David maledixit montes Gelboe, secundum Gregorii expositionem lib. 4. moral. cap. 3. in fine. Alio modo creatura rationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis, & sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci, & sic maledixit Iob diei nativitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates, & propter hoc etiam potest intelligi David maledixisse montes Gelboe, ut legitur 2. Reg. 1. scilicet propter eadem populi, quæ in eis contingerat: maledice-*

re

re autem rebus irrationalibus in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ; maledicere autem eis, secundum sic consideratis, est otiosum, & vanum, & per consequens illicitum.

4 Ex eo igitur, quod patientissimus Patriarcha, Dei lumine fultus, gratiaque dotatus, agnovit quid indicabat, quidve continebat dies nativitatis suæ, innoxius ei maledixit, minimèque in suis errasse labiis, per os ejusdem divinæ Sapientiæ exploratum habemus. Dies enim nativitatis secundum præfatam rationem inspectus, objectum detestabile erat, odioque dignum, ac per consequens, ut tempus contractionis culpæ, fonsque unde pœnalitates omnes, & ærumnæ hominem excruciantes effluxerunt, meritò maledictionis objectum fuit, ac execrationis subjectum, cumque hoc totum planè Job ipse cognoverit, absque ulla adhibita sibi ab extrinseco violentia, innocens in maledictionibus erga illud erupit. Undè infra ibidem a. 4. *Ad primum dicendum* subdit D. Th. *Quod maledictio creaturæ, in quantum creatura est redundat in Deum: non autem si maledicatur creaturæ propter culpam.*

5 Pro cujus insuper intellectu non omittenda Cajetani super ibidè annotanda doctrina, *quod maledicere creaturæ irrationali in quantum ordinem habet ad rationalem, perindè est, ac maledicere ipsi rationali creaturæ ad quam ordinatur: sicut maledicere creaturæ in quantum sunt Dei, perinde est, ac maledicere Deo, quoniam est blasphemiæ peccatum. Cum igitur maledicit aliquis diem nativitatis suæ, & hujusmodi, si non solo ore, sed corde maledicit, maledicit tempori in quantum continet rationalis creaturæ nativitatem, ac perindè maledicit nativitati suæ, quod est optare malum nativitati suæ, ac sibiipsi, qui nativitate ingressus est ad vitam. Et quia non optat hoc, vel illud modicum malum, sed absolutè maledicit nativitatem, quæ capax est magni mali rationalis creaturæ, ut patet, consequens est, quod peccet mortaliter.*

6 *Nec obstat, quod nativitas sua, quia præteriit non est amplius capax mali. Sufficit enim ad peccatum perversitas intentionis, etiamsi impossibile sit quod intendit, ut patet in maledictione Dei, cui nihil mali potest accidere. Nec fiat scrupulus, si in die festo natus sit, qui diei suæ nativitatis maledixit. Quoniam nisi festi maledictio intenta fuit, non aggravat peccatum, Est namque hoc per accidens respectu actus illius maledictionis, sicut etiam esse creaturam Dei diem illum per accidens se habet ad actum illius maledictionis, quæ nonnisi in quantum nativitatem suam continuit fertur in illum, &c. Secus autem est si ex sola ira maledicit, nec sibi, nec alteri optat malum, sed dicacitati satisfaciens, & similiter si maledixisset nativitatem suam in quantum causam malorum pœnæ, optans illam non fuisse, non simpliciter, sed non fuisse causam tanti mali, hoc namque modo, nec veniale peccatum est, juxta illud Job, pereat dies in qua natus sum, & similibus idem intelligas, quod de die nativitatis dictum*

ctum est. Cum ergò hac recta intentione, bonoque dictamine ductus erga diem nativitatis suæ, maledixerit illum Job, hac ratione dicendum est non peccasse labiis suis, non vero ex aliqua ipsi per dæmonem illata violentia.

7 Quod item ex altera quâ D. Th. explicationé super epistolâ ad Rom. 12. lect. 3. exhibet, elucescit. *Quod maledicere est malũ dicere, quod quidem tripliciter contigit, sicut & benedicere, scilicet annunciando, imperando, & optando: & secundum quodlibet horum modorum potest benè, & malè fieri. Si enim id quod est materialiter malũ, dicatur malum quolibet istorum modorũ sub ratione boni, non est illicitum. Quia hoc est magis benedicere, quam maledicere: unumquodq; enim magis iudicatur secundum suam formam, quã secundum suam materiam. Si verò aliquis dicat malum sub ratione mali formaliter maledicit. Undè est omninò illicitum: utrumque autem horum contingit in hoc, quod aliquis enunciando malum profert. Quandoque enim aliquis enunciat malum alicujus ad notificandam necessariam veritatem, & sic dicit malum sub ratione veri necessarii, quod est bonum: unde est licitum. Et hoc modo Iob. 3. dicitur, quod Iob maledixit diei suo enuncians malitiam præsentis vitæ: sicut Apostolus dicit Ephes. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Quandoque autem aliquis enunciat malum alterius intentione, scilicet detrahendi. Et hoc est illicitum. Dicitur enim 1. Corinth. 6. Neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. Similiter etiam in eo quod quis dicit malum imperando. Contingit autem quandoque quod aliquis dicit id, quod est materialiter malum sub ratione boni, puta cum ex imperio alicujus provenit alicui malum pœnæ propter justitiam: quod quidem est licitum. Et hoc modo transgressores legis maledicuntur, idest pœnæ secundum justitiam deputantur; Quandoque verò aliquis imperando dicit malum alterius injustè, puta propter odium, & vindictam. Et talis maledictio est illicita. Exod. 21. Qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur. Et id est etiam circa id, quod aliquis dicit malum optando. Si enim hoc optet sub ratione boni, puta ut per adversitatem alicujus perveniatur ad spirituale profectum, hoc licitum est. Iob. 5. Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Si verò hoc homo faciat propter odium, vel vindictam est omninò illicitum. 1. Reg. 17. maledixit Philistæus David in diis suis.*

8 Ex quibus omnibus per Angelicum Doctoré explanatis maledicendi modis, tamquam ex solis radiis, plene innotescit, qualiter se habeat in suis maledictionibus, vel benedictionibus homo, quando peccare censendus est, illicitè agens, quãdo à culpa immunis licitè operans, ut præsertim de ipsomet Iob affertur in præcitatis, nulla de vi alicujus extrinseci moventis mentione facta, vel coactione, ut patet. Qua in ipso aliundè, ut causa non peccandi admissa, in quo laudabilis esset? Qua ratione admirandus? Quod enim ex necessitudine fit, vique violentia,

Digitized by Google

tia, minimè objectum laudis esse quit, aut virtutis ad consectandum exemplar. Expositaque sunt majorum posthumis simul acta magistra, eo quod proprio Marte, propriique strenuitate pectoris, ad heroica se duxerunt acta facinora, non autem vi aliqua impulsi, aut necessitudine ducti, accepta violentia, ut nunc modo fit sermo. Quod si aliquando in extremis redacti angustiis aliqua memoratu digna gesserunt, vel exitus fortunæ fuit, vel infelicia extiterunt spectatori Mundo spectacula, ut Sagunti cineres ingemunt, nec non Numantiæ, complurium*que* obsidionum miserrimarum urbium exusta vestigia: quorum ad confectores annalium vetustorum cura remissa. Ad rem dicimus, quod si per dæmonis violentiam à labe aliqua peccati maledicentiæ immunis reputaretur patientissimus Patriarca Iob, nullatenùs, ut celeberrimus in virtute fortitudinis haberetur, nec ut Idæa Constantiæ expositus esset omnibus viventium seculis ad sui invictissimi pectoris imitandam virtutem: quod cum è contra fore noscamus, procereſque omnes sacræ doctrinæ Patres obfirment, ut infra videbimus, non ex dæmonis violentia coactus, non peccasse fatendum est præfatum Sacrum Heroem, benè verum ex Dei gratiæ virtute, rectoque sui dictamine, sapientique cœlitus sibi lumine fuso.

9 Quod amplius,& congruenter evincere possemus ex eo quod non peccare, vel non posse peccare ex Dei gratia est in homine, ejusque virtute: Undè Iob non peccasse labiis suis maledicendo, &c. ex aliqua dæmonis violentia, vel coactione phantasticum figmentum esse dicimus, verum autem ex Dei gratia illi elargita servante illum in bono, ac præseverante à malo. Resolvit enim D.Th. 1.2. q. 108. a. 8. Hominem non posse præcisa Dei gratia non peccare, accepta gratia, saltem pro Dei auxilio, homine inspecto in statu naturæ integræ, vel accepta tam pro auxilio, quàm pro habitu, vel dono, homine attento in statu naturæ corruptæ. Cum ergò in statu naturæ corruptæ, seù lapsæ præsupponamus patientissimum Patriarcham cruciatum à dæmone, cum non peccavit in omnibus, quæ loquutus est cap. 3. Donum divinæ gratiæ fuit in eo elucentis, & per modum auxilii, & per modum habitus: Quæque gratia sub ratione auxilii continuata, tribuebat illi perseverantiam, seù persistentiam in bono usque in finem. Sub ergò gratiæ regimine degens, laude dignus effectus est Iob, utque admirabilis memoratur, non peccasse cum aperuit os suum maledicendo,&c. Non autem sub aliqua dæmonis violentia præssus, aut ab eo ad sic agendum vim passus.

10 Discursus pro necessitate gratiæ in præcitato habetur ex D.Th. ubi dupliciter inspecto homine uno modo, videlicet, secundum naturæ integræ statum: alio in statu attento naturæ corruptæ, & præmisso, hominem in integræ naturæ statu, posse non peccare, tam mortaliter,

Digitized by Google

ter, quàm venialiter, præcisa gratia habituali, non tamen sine Dei auxilio in bono conservantis: Subsequitur utroque indigum fore hominem in statu naturæ lapsæ, seu corruptæ, gratia scilicet habituali, nec non item auxiliante, cujus discriminis ratio; sic efformata est D. Th.

11 *Quia sicut inferiori appetitu non totaliter subdito rationi, non potest esse quin contingant inordinati actus in appetitu sensitivo, ex quibus oriuntur peccata venialia. Ità etiam, ratione hominis non totaliter existente subjecta Deo, consequens est, ut contingant multæ inordinationes in ipsis actibus rationis, ex quibus oriuntur peccata mortalia. Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa propter quæ consequendâ, vel vitanda homo recedit à Deo, præcipuè quia in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, & secundum habitum præexistentem, ut Philosophus dicit in 3. etich. Quãvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus: sed quia homo non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest contingere, ut diù permaneat, quin operetur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, nisi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.* Necessum est igitur in homine gratiam fore habitualem, attento statu naturæ lapsæ, qua illius pars superior, seu ratio subiiciatur Deo, eumque pro suo fine in suis habeat operationibus, dirigatq; juxtà gratiæ in ipso præexistentem habitum.

12 Ultrà quem adhuc opus est illi, divinum ad agendum auxilium, quod semper ad benè operandum est requisitum, tam gratiæ donum, vel habitum habentibus, quam secùs. Et hoc ex duplici capite, inquit Angelicus Doctor art. 9. subsequenti. *Primò generali ex eo quod nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Secundo ratione speciali propter conditionem status humanæ naturæ, quæ licet per gratiam habitualem sanetur quantum ad mentem remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, ut dicitur ad Rom 8. quid oremus sicut oportet nescimus, propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat; secundum illud Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, & ideò necesse est nobis, à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere, & ne nos inducas in tentationem.*

13 Quod igitur non peccaverit Iob in prælatis cap. 3. gratia Dei gratiæ fuit tum habitualis, tumque actualis, seu auxiliantis. Habitualis quidem utpotè præsuppositus in statu naturæ lapsæ, & corruptæ, in

quo

Digitized by Google

quo mens, seù ratio debebat subjici Deo, quæve in eo subjectio præsupponenda erat, utpotè justus reputatus ex illo, quod de ipso testatur, idem Deus cum dixit ad Sathan cap. 2. *Numquid considerasti servum meum Job, vir simplex, ac rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Tum etiam actualis gratia seù auxilians oportuit esse in illo propter corruptionem carnis, & ignorantiæ obscuritatem, quæ in quolibet quantumvis per gratiam habitualem sanato, remanent in statu lapsæ, ut dictum est. Harum ergo beneficio, donoque gratiarum non peccasse dicendum est Job labiis suis: non autem ex aliqua dæmonis violentia, seù coactione illata.

14 Et ita simili facendum pacto asserimus, quod perseveraverit in bono præfatus patientiæ Princeps, in non peccando, nec aliquid contra Deum agendo, seque in eadem retinendo innocentia. Donum namque gratiæ fuit auxiliantis sine interruptione, continuèque à Deo illi elargitæ, ut de ratione ipsius est perseverantiæ doni, quod per continuationem est auxiliorum usque in finem. Quoniam ut Divus Thom. docet loco præallato art. 10. *Etiam postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet à Deo petere perseverantiæ donum, continuationem scilicet divini auxilii ipsum dirigentis, & protegentis contra tentationum impulsus, quove custodiatur à malo usque in finem vitæ, multis enim datur gratia, quibus non datur perseverantiæ gratia.*

15 Reprimendum os ergò reputans pro ratione violentiam à dæmone illatam ad bonitatem non peccantis asserendam. Derogat enim divinæ magnificentiæ largitati, ejusque piissimæ dexteræ auxiliantis directioni, atque protectioni, quibus justi præseverantur à malo, & usquæ in vitæ finem continuando conservantur in bono. Ad Cœlum itaque referendum est universæ bonitatis nostræ ortum, incrementum, & fructum, indeque ut è fonte totius boni effluere credendum profitemur cujuslibet nostri esse consistentiam, omnemque decorem: Rectè igitur dictum est ad Dei gratiam reducendam bonitatem esse constantiæ Job in retentis immunibus à peccato labiis suis cum maledixit diei nativitatis, &c. Cum ille, non autem dæmon agnoscendus sit totius bonitatis Auctor, ipseque vitæ Dominus, ac mortis quique mortificat, & vivificat.

16 Cum his attamen non abnuimus vim omnem adhibuisse dæmonum ad patientissimum prostrandum Heroem, universa ejus evertendo bona tam fortunæ, quàm corporis, eousque potestatem de manu Dei obtinuit; ad impellendum autem eum per vim physicè latam, in blasphemias erumperet, impium est asserere, aliàs nec anima ejus servata fuisset à baccantibus contra ipsum Sathanæ furiis; quod esset contra injunctum Dei præceptum, cum ei dixit, *Ecce in manu tua est, verumtamen animam*

nam illius ferva, ut ferter cap. 2. Non ergo sic pensandi sunt insanientes impetus dæmonis contra Job peracti, ut vim illi intulerit ad blasphemandum, ut fallaciter sibi effingit Molinos, sed tantummodo in bonis ejus fortunæ devastandis, corpusque immanissimè feriendum rabiem explere, quibus sic acerrimi conatibus hostis, quàm restiterit invictissimus patiens, quamque cor suum Dei conformaverit voluntati, ipsamque suæ perpessionis, ac probationis agnoscens auctricem.

17 Divus indicat Augustinus in psalmum 31. super his verbis: Gloriamini omnes recti corde: dicens. *Non solum enim (dixit Apostolus) sed & gloriamur in tribulationibus. Nam non est magnum gloriari in gaudiis, gloriari in lætitiis: rectus corde etiam in tribulatione gloriatur. Et audi, quomodo non frustra, nec supervacuè gloriatur in tribulatione. Vide rectum cor. Scientes, inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem: Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Sic est ergo rectum cor Fratres. Cuicumque aliquid accidit dicat. Dominus dedit, Dominus abstulit (ecce rectum cor) sicut Domino placet, ita factum est, Sit Nomen Domini benedictum: Et non dixit: Dominus dedit, Diabolus abstulit, intendat ergo charitas vestra, nè fortè dicatis: Hæc mihi diabolus fecit* (quid ad hæc Molinos?) *Prorsus ad Deum suum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid facit. nisi ille, qui desuper habet potestatem permittat, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis.*

18 Quo si pro Molinos dicas, sumpta ex iisdem Divi Augustini verbis objectione, Diabolum, videlicet non propria, sed a Deo sibi potestate tradita torquet, vimque infert, unde ut Dei Minister excruciat, ac homini violentiam facit. Ad hocenim supra quadragesimo tertio dictum est commodè capite de quomodo utatur Deus ministerio dæmonum in probandis, seu exercendis hominibus. & in præsenti ex hucusque dictis, ac dicendis, quænam queat esse dæmonis physica illata violentia in bonis, scilicet fortunæ, vel corporis extorquendis, non autem ad impellendam ad actus illicitos, aut turpes, &c. ut supra fusius.

19 Item idem serm. 1. de Beato Job, ipsum collaudando sic ait. *Adversus Job Diabolus pugnam impetravit, cujus filios ruina cum extingueret, factus post divitias inops, post familias solus, post numerosam sobolem nullius Pater, patrimonio naufragus, post edaces pœnas, uno robore fidei sustinebat* (en causa bonitatis, vel non peccandi, virtus inquam de Cœlo ipsi tributa, non autem aliqua ipsi illata violentia) Et infra ad cruciatus transeundo corporis, sic idem prosequitur Augustinus.

Digitized by Google

nus. *In corpore torquebatur, & in spiritu probabatur. Torquebatur, & orabat. Aliud postulabat hostis, aliud precabatur vociferatio Confessoris. In naufrago corpore, incolumis justitia tutatur, & periclitantibus membris, authori vulnerum pectus servari, denique omnibus membris fluens, solus animus fideliter repugnabat, &c.* En quomodo patet; quod ex vi Dei gratiæ, per fidem, fortitudinem, cæteraſque quibus præmunitus erat virtutes non corruiſſe in peccato Job, ſeque innoxium, immunemque ab omni culpa ſervaſſe, non autem per aliquam ipſi illatam à dæmone violentiam, &c. Quod aliunde ſi hæc bonitatis ejus cauſa fuiſſet, ſeu quod minime peccaſſe in ſuis labiis Patriarcha, utique haud ipſa omiſſa, ejuſdem mentione habita, indicaſſet Sanctus Doctor, qui aliunde totum gratiæ aſcribit honorem, ac proinde propugnatricibus in eo ſervando virtutibus.

20 Præterea Divus Ambroſius lib. 3. de Interpellatione, ſic in eumdem collaudando ſanctum virum, inter cætera inquit, *Fortior æger quam cum ſanus eſſet ſeipſo inventus eſt. Fortior enim æger Iob quam cum ſanus fuerat, ſecundum quod ſcriptum eſt 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur. Ergo, & Iob tum infirmaretur, tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo.* (en gratiæ vis, virtute cujus non peccaſſe dictus eſt, & viciſſe) *Etſi doleret corpore, quia non erat in carne ejus anima, cujus paſſionibus non adhærebat, ſed in ſpiritu, cujus virtute* (nota) *ſe texerat, &c.*

21 Magnus item Gregorius, qui in mente Iob enucleanda Principem locum tenet per ſuam ſuper illum expoſitionem moralem, prædicta comprobat cap. 3. Iob, & cap. 6. lib. 4. moral. *ubi præmiſſo, ut ſciendum, quod Scriptura ſacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet, quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio juſtitiæ, aliud livore vindictæ. Maledictum quippè juſtitiæ judicio, ipſi primo homini peccanti prolatum eſt, cum audivit. Maledicta terra in opere tuo. Maledictum non judicio juſtitiæ, ſed livore vindictæ promitur, cum voce Pauli Apoſtoli prædicantis admonemur, qui ait. Benedicite, & nolite maledicere. Et rurſum, neque maledici Regnum Dei poſſidebunt. Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ; Deus non facit niſi examine, & virtute juſtitiæ. Cum verò Sancti viri maledictionis ſententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, ſed ex juſtitiæ examinis erumpunt. Intus enim ſubtile Dei judicium aſpiciunt, & mala fontis exurgentia, quia maledicto debeant ferire, cognoſcunt: & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non diſcordant. Et ita fuit ſententia maledictionis Petri in Simonem pecuniam offerentem, & Heliæ in quinquagenarios ad ſe venientes, &c. Igitur ſi ſubtiliter Beati Iob verba penſamus, non eſt eius maledictio ex malitia delinquentis, ſed ex rectitudine judicis: non eſt ira com-*

commoti, sed doctrina tranquilli. Qui enim tam recta maledicens intulit; non perturbationis vitio succubuit, sed doctrinæ magisterium impenditet, &c.

22. Ex quibus Magni Pontificis, ac Doctoris verbis, liquidò constat, quod lumine divinæ gratiæ fultus, rectoque dictamine ductus patientissimus Heros, in præfatis erupit maledictionum vocibus, non autem ex aliqua dæmonis violentia motus: & quidem cum dæmon non ad recta movere intendat hominem, sed ad prava citius, & obliqua, non est putandum ad prædicta maledictionis voces moviſſe Job, cum ad recta, & justa hunc erupisse dicatur per Sanctorum, oracula Patrum. Quo pacto namque ad recta, & justificata movere potest, qui ut Angelus tenebrarum, inimicus illuminationis est, veræque divinæ gratiæ lucis; cum ergò ad recta, & justissima suarum, maledictionem objecta, Patriarchæ tenderint voces, non est quod ad illas præmotus fuerit per vim aliquam dæmonis, sed benè divino lumine ductus, Cælique illustratus, ac motus infallibili gratia.

23 Hoc idem repetit Eminentissimus Ugo cap. 3. Iob: *Qui maledixit diei suo. Non libidine vindictæ*, (subsequitur Doctor) *sed zelo iustitiæ. Sancti enim in sublime rapiuntur: Et ideo lumine omnium percipiunt, quæ maledictionibus exterioribus maledicere debent.* Et notandum quomodo hic Doctor conatus enumerando dæmonis ad prostrandum Patriarcham omnes ejus tentandi, imò adoriendi modos indicat, præter violentiam, aut vim aliquam, ut Molinos peractam esse existimat. Inquit ergò Doctor in superiori cap. 2. *Duobus modis tentat nos hostis. Nunc per verba, nunc per verbera. Verberibus enim probatur patientia: verbis Sapientia. Hucusque igitur Diabolus patientiam Iob probavit. Primò rebus spoliavit. Secundò filiis orbavit. Tertio corpus proprium ulcere pessimo vulneravit, sed nec sic superavit: sed semper fortiorem intus invenit. Ideò ad artem antiquam redit: ideſt ad uxoris opprobrium, per quam primum hominem deiecit. Ipsam enim, quasi scalam, qua ad cor viri ascenderet, applicavit, sed non prævaluit, &c.*

24 At si pro Molinico sensu, aliquid in oppositum dicere velis, quod nempe omnia præfata, non aliud evincere, quam non assensum voluntatis ad opus, quod utique asserit ipse Molinos in propositione 41. quod scilicet opus in se peccaminosum non habere respectu ipsum perpetrantis rationem peccati, eo quia voluntatis non adest ad illud per violentiam actum, assensus; non enim negat ipse firmitatem, constantiam, seu ad actum turpem, aut noxium voluntatis reluctantiam, vel repugnantiam: Igitur non incongruè putandum est Iob per dæmonis violentiam in blasphemias erupisse, & tamen per hoc non peccasse,

Digitized by Google

se, renuente intrinsecus ipso, aut ad opus in se peccaminosum, assensum præbuisse.

25 Verum quam futilis sit hæc objectio, haud difficulter ex jam præjactis constare patet: Nihilominus ex his quæ Eminentissimus inquit Cajetanus super idem caput 3. Iob, planè apparebit, quam admodum aberret Molinica imaginatio, quamque cum ipsa ruat una simul ejus objectio. Primò namque perpendit Purpuratus Doctor, non adesse rationem aliquam per quam possemus afferere Iob in peccatum lapsum esse blasphemiæ inspectis ejus antecedentibus actibus. Secundo autem ejus considerationem ostendit super ipsius perpessam vitam, & ut mala scilicet in se, & ut per divinam providentiam sic effecta. Referendo dicta Doctoris patebit, & plana omnium intelligentia.

26 Sic ergò inquit: *Quod Iob in maledictione non peccaverit, etiam naturalis ratio exigit. Nam qui tam patienter gratias egerat Deo de amissis opibus, & filiis, quique percussus in propria persona arguerat uxorem suadentem recessum à perseverantia in virtutum perfectione, & de quo subjunctum postea est, in omnibus his non peccavit Iob, quonam pacto post diuturnum silentium abduci potuit ad blasphemandum nemine incitante ipsum ad hoc?* (Audiat Molinicus assecla, & convictus hinc fateatur, figmentum fore suum, adinventam à se violentiam dæmonis, &c. Quod si nemine incitante Iob ad verba maledictionis erupit, quænam fuit illata ipsi violentia ad sic loquendum, &c.) *Alienum siquidem à ratione naturali penitus est, ut sic lapsus fuerit, &c.*

27 Quod autem causa non peccandi Iob, lumen divinæ gratiæ fuerit, rectique directio dictaminis, ex his quæ ibidem subdit idem Doctor, ut manifestum infertur: siquidem inspecta ab ipso vita Iob, & quatenus mala, malo vindicat pœnæ, & quatenus per divinam providentiam sic effecta. *Malum pœnæ* (ait ipse) *cum sit malum, suapte natura detestabile est: ac per hoc vendicat sibiipsi detestationem, & consequenter cum ego deliberatè detestor illud, actus detestandi bonus est moraliter secundum suum genus: utpotè habens pro objecto consonam materiam. Nullum itaque peccatum, ut maledicere tempori vitæ propriæ quatenus malum est, imo est actus moraliter bonus: utpotè dans tempori malo, quod ei debetur. Et hoc modo Iob Sanctus maledixit tempori vitæ propriæ quatenùs malo, deliberatè quidem non immoderatè. Fuisset autem immoderata maledictio si usque adeo detestatus fuisset tempus malum, ut maluisset carere illo malo, quam esset bonum annexum divinæ providentiæ, quod se malle professus est Iob, dicendo etiam bona suscipiemus ab Elohim, & mala non suscipiemus? Et adverte prudens Lector, quod Iob consideravit,* (en lumen cognitionis cœlitus ipsi datum, rectumque dicta-

men, ex quo ut ex causa motus fuit adi; sic loquendum, &c.) *& loquutus est de vita sua utroque modo, hoc est, & quatenus mala, & quatenus talis effecta per divinam providentiam. Nec prius locutus est de vita sua misera quatenus mala. Sed primum locutus est de illa quatenus sic dispositа per divinam fuit providentiam, dicendo Dominus dedit, Dominus abstulit, erit Nomen Domini benedictum. Et rursus bona suscipiemus de manu Elohim, & mala non suscipiemus? Postea verò loquutus est de vita sua misera quatenus mala, & maledixit diei suo. Utramque enim scriptura narravit, ut ex primo intelligeremus secundum: primus enim sermo fuit simpliciter, & absolutè consideratis omnibus: hic autem sermo est secundum quid, hoc est considerata vita sua secundum quod est mala dumtaxat.*

28 Quid plura pro vera causa ascribenda innocentiæ Iob in maledicendis diebus suis &c. Ac per consequens ad dæmonis reprobandum violentiam pro ratione immunitatis ejusdem? Unde cæteris Doctorum super iisdem patientissimi verbis judicii omissis, utpotè ad idem præfatorum sensum tendentibus, & intellectum: Concludendum est nullam Iob passum esse violentiam dæmonis ad blasphemandum, cum enim non peccasse sit agnitus, & ita per ipsius divini Verbi incarnati os assertus, nec in blasphamias fatendum est erupisse, ac proindè ad illas motum violenter à dæmone fuisse: Imò quidquid tentamenti contra illum intulit impius hostis, strenuissimè rejecisse, ut illum summis efferunt sacra dogmata laudibus, estque sat hic ex præfatis commodè ostensum; ad quæ insuper Divus subsequens Augustinus serm. 2. de Beato Iob, sic in ejus fortitudinis invicto pectore collaudandò heroica verba texit.

37 *Fortiter colluctatus est Diabolus, sed Athletam Dei superare non potuit: Immanes suscitavit fluctus, & firmissimam petram commovere non valuit Machinationes suas adhibuit, & Turrim validissimam non prostravit. Arborem concussit, & decutere poma non potuit, & ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit. Parietem perforavit, sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum dico, non auri, & argenti, sed fidem justi. Hunc enim thesaurum Diabolus surripere festinabat; quando cum omni facultate nudatum, plaga intolerabili cruciabat. Vidisti augumentari fluctus, vidisti Turrim inespugnabilem, vidisti Deum glorificatum, & Diabolum confractum. Et quasi nomine hunc justum appellem ignoro. Athletam eum vocem? Sed præcellit tantarum copia coronarum. Petram eum dicam? Sed firmiorem video. Militem appellabo? Sed rubustiorem cerno constantiam. Turrim eum nominabo; sed eminet Sapientia. Arborem eum dicam? Sed decorosior invenitur, Fructum illum appellem? Sed pretiosior demonstratur.*

Digitized by Google

tur, Thesaurum nominabo? Sed copiosior esse dignoscitur. Et quali vocabulo appellem Sanctum illum non invenio, &c. Ejusmodi ergò tanti viri strenuitate spectata, quam violentiam quamque coactionem opinari poterit, quilibet cordati pectoris homo, illatam fuisse illi à demone? Ubi tam fortiter, tam viriliter obsistentia viget, rabido sic adorienti humani generis hosti, non est quod excogitemus hujus inducentem ad indignos, illicitosque actus conatum aliquem, seù violentiam, ut Molinos intendit: propterea rectè, ut confracta cum ipso corruit ejus quadragesima quarta Propositio, videlicet ut supra, &c.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLV.

Quadragesima quinta Propositio Molinos. *S. Paolo patì nel suo corpo tali violenze del Demonio: onde scrisse: Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio.*

Oppositum ex adverso dictum.

Non ex aliqua violentia inductus dixit Apostolus ad Rom. cap. 7, Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio.

1 MAgnus ille Princeps eloquētię Chrisostomus, in virtutibus Apostoli, Pauli contemplandis intentus sic in eis innuendis aureū os aperit homil. 8. de laudibus ejus. Sepè fulgido Cœli globo delectatus oculus, ad spectaculum oppositi è regione luminis se se violenter intendit, & licet sentiat aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis orbis reluctatus coruscо. Tale igitur quippiam ego ipse perpatior: qui cum videam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari: cupio tamen Pauli animam, miro fulgore virtutum rutilantem, velut eminus intueri, & contra importabiles solis micatus contentiosa subire certamina. Sol enim quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit, quique universas circumeundo gentes, cursum omninò solis imitatus est. Sol equidem cum girum Cœli circuit, & ipse solus, fugans ex orbe tenebras, exoptata luce collustrat; campos efflorescens exhilarat, redditque frugiferos: homines è somno excitat, vocatque ad labores: Cunctaque cœlestia, terrestria, sivè ad volatum, sivè cursum agendum animantia stimulat: Universaque tandem per cœlicum in ipsis effusum diurni luminis donum, ad laudes Creatoris invitat, gloriamque tribuendum æternam. Quis autem, ut Sol hæc egisse denegabit Paulum Apostolum? Ut Sol enim ipse cuncta lumine suæ doctrinæ illustravit; mentes amenitate virtutum florere fecit, operumque bonorum terre fructus effecit. Plurimos in vineam Domini operarios ad laborandum vocavit, ac in vita cœlica contemplativa, terrestrique activa, compluribus genitis altilibus, pedestribusque animabus in charitatis addictis operibus, universum ad concentus tandem duxit pœnè totum, pro Dei, ut omnium bonorum elargitoris, laudibus efferendis, gloriamque enarrandam,

2 In

Digitized by Google

2 In hoc ergò sic lucidum divinæ gratiæ lumen, tametsi veritatis lucifugus, criminis inferre maculam pertentat ipse Molinos, eoque eodem pacto, quo agit in ipsum per os ipsiusmet Dei inter Sanctos adscriptum celebrem illum Job patientiæ Principem. Per nenequam ergò impulsum, quodest per dæmonis violentiam actam, urpes egisse Paulum actus, obscœnosque patrasse; pariter ait. Quod quam turpe sit, & infandum in tam Sancto Christi Domini imaginari Præcone, quique ut innocenter, & immaculato candore niteret, sicut & sapientia effulgebat, ad redigendum suum in servitutem corpus, acerrimè castigabat, planè constat. Quod autem pertinaciter à Diabolo tentatore impetitus, quamplurimas vexatus ab illo pertulerit & intus, & extra infectationes, ex his quæ ipsemet in suis enarrat epistolis, notum est; Colluctabatur enim, & perspè cum hoste congressus, in certaminibus versabatur: verumtamen ad eum reprimendum, & nè ob divinæ sibi elargitæ gratiæ magnalia in superbiam elatus collaberetur, Deus permittebat, & ordinabat, ut ad Corinth. 12. testatur ipse dicens; *Ne magnitudo revelationem extollat: me datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.*

3 Hunc ergò stimulum, violentiam quamdam illatam dæmonis Molinos reputat, qua coactus homo, ad actus impellatur illicitos perpetrandos, ac turpes præciso tamen voluntatis ejus assensu, ut supra in 41. propositione fatetur, & præ cæteris se obfirmat in Apostolo ex illo ad Romanos 7. Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio. Quibus autem opportunis Sanctorum Patrum, Doctorumque testibus, hoc suum comprobet intentum, non apparet: unde sicut in reliquis suis inhærendo figmentis, sic, & his non definit, quominus commentum efformet, vim Divo illatam fuisse Apostolo Paulo, qua ad malum impulsus fuerit agendum, actusque consummandos illicitos. Ex quo phantastico, imò injurio Sanctis excogitato, quam ingentia sequantur absurda, & præsertim ad vitam hominis ad patranda mala laxanda, sat ex præjactis cap. 41. & 42. jam liquet. Eoque simili penè pacto, quo antiquitùs exponebantur, ut Gentilibus Numina excolenda Iovis, Mars, Venus, &c. ut nempè liberiùs excurrerent ad facinora scelesta homines, excogitante hoc dæmone: quoniam inspectis Numinibus ipsis sic talia peregisse, in exemplar extarent hominibus ad proclivius eadem perpetranda turpia, aut noxia facta.

4 Ad genuinum, ac veridicum ergò sensum, intellectumque præstandum verborum Apostoli Pauli ad Rom. 7. ductum prosequemur, & primo Sanctorum Patrum; Postmodum arguemus ex virium inferiorum

riorum ad ſuperiores rebellione, orta ex primi culpa parentis, & in omne poſt tranſuſa genus humanum. Pro verbis ergò Apoſtoli ad Rom. 7. expoſitio eſt in primis D. Th. 1. p. q. 83. art. 1. ad 1. Ubi ad argumentum quod ſic procedebat. Quicumque eſt liberi arbitrii facit quod vult: ſed homo non facit, quod vult, dicitur enim Rom. 7. Non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum hoc facio, ergò homo non eſt liberi arbitrii.

5 Reſpondet Divus Thom. *Ad primum dicendum, quod ſicut ſcriptum eſt, appetitus ſenſitivus, etſi obediat rationi, tamen poteſt in aliquo repugnare concupiſcendo contra illud, quod ratio dictat. Hoc ergò eſt bonum, quod homo non facit cum vult, ſcilicet non concupiſcere contra rationem, ut gloſſa Auguſtini dicit.* De quo fusè infra.

6 Item 1. 2. q. 74. a. 3: In quo perquirens. Utrum in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum.

Reſpondet in *ſed contra ex eo, quod dicitur Rom. 6. Non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio. Quod exponit Auguſtinus de malo concupiſcentiæ, quodconſtat eſſe motum quoddam ſenſenſualitatis, ergo in ſenſualitate eſt aliquod peccatum.* Quod præciſa dæmonis violentia, adhuc efferveſceret, ut infra expendetur, & ut ait Origenes relatus à Divo Thoma 1. par. q. 114. a. 3. *Origenes dicat, etiamſi Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & hujuſmodi. Circa quæ multa inordinatio contingit, niſi per rationem talis appetitus refrenetur, & maximè ſuppoſita corruptione naturæ.*

7 Præterea infra q. 78. a. 7. Inquirens Angelicus Doctor. Utrum paſſio totaliter excuſet à peccato, ſic arguit pro parte oppoſita. Quid quid cauſat involuntarium excuſat totaliter à peccato, ſed concupiſcentia carnis, quæ eſt quædam paſſio cauſat involuntarium, ſecundum illud ad Galat. 5. Caro concupiſcit adverſus Spiritum, ut non quæcumque vultis faciatis, ergò paſſio totaliter excuſat à peccato.

Reſpondet: *Ad primum dicendum, quod hoc, quod dicitur, ut non quæcumque vultis faciatis, non eſt referendum ad ea, quæ fiunt per exteriorem actum, ſed ad interiorem concupiſcentiæ motum; vellet enim homo numquam concupiſcere malum. Sicut etiam exponitur id, quod dicitur Rom. 7. quod odi malum illud facio. Vel poteſt referri ad voluntatem præcedentem, ut patet, in continentibus, qui contra ſuum propoſitum agunt propter ſuam concupiſcentiam.*

8 Denique 3. p. q. 41. art. 1. Perquirens; Utrum conveniens fuerit Chriſtum tentari. Pro parte negativa ſic arguit. Triplex eſt tentatio, ſcilicet à Carne, à Mundo, & à Diabolo; ſed Chriſtus non

Digitized by Google

non fuit tentatus nec à carne, nec à mundo, ergò nec etiam debuit tentari à Diabolo.

Respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut Apostolus dicit. Christus in omnibus tentari voluit absque peccato. Tentatio autem quæ est ab hoste potest esse sine peccato, quia fit per solam exteriorem suggestionem. Tentatio autem quæ est à carne, non potest esse sine peccato, quia hujusmodi tentatio fit per delectationem, & concupiscentiam, & sicut Augustinus dicit lib. 19. de Civit. Dei cap. 4. tom. 5. Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum, & ideo Christus tentari voluit ab hoste, sed non à carne.*

9 Pro cujus veriori intellectu advocanda huc adhuc est doctrina Cajetani, ad quam tradendum sic ipse arguit. In responsione ad tertium dicendum dubium occurrit: An verum sit omnem tentationem ab intrinseco esse peccatum. Videtur quod non. Quia in naturalibus, neque meremur, neque demeremur. Concupiscentia autem carnis, & illius delectatio naturalis est, nullum ergò peccatum est concupiscentia, aut delectatio carnis. Et confirmatur, quia certum est in Christo fuisse carnalem delectationem secundum gustum, vel tactum cum comedebat, aut bibebat aliquid delectabile, puta bonum panem, bonum vinum, &c. Non ergò omnis delectatio sensibilis est peccatum.

10 *Ad hoc dicitur,* (respondet ipse,) *quod nullus mentis compos dicit, quod omnis delectatio secundum carnem, seù sensum sit peccatum, oporteret enim naturam ipsam esse malam, si delectatio naturalis esset mala. Unde in statu innocentiæ fuissent delectationes naturales absque ullo peccato, & in Christo non est dubium, quod cum fatigatur ex itinere sedebat super puteum, quies illa erat delectabilis fesso corpori, & similiter panis suo sano palato erat suavis, & oculis lux Solis amabilis, & sic de aliis; sed aliud est de concupiscentia, & delectatione carnis adversus spiritum. Naturalia siquidem ut sic non exorbitant à recta ratione, ac per hoc non tendunt adversus spiritum, sed à ratione necesse est declinare eas, quæ contrariæ spiritui sunt. Quocirca concedendum est, quod nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit adversus spiritum ratione concupiscentiæ, seù delectationis aliquid præter rationem habentis, & non ratione naturalis appetitus, aut delectationis. Tentatio autem ab intrinseco, quia adversus spiritum est, non importat naturales motus absolutè, sed præter rationem;* ut iterum fusè infra cap. 56. & 57.

11 Ex quibus patet quo pacto intelligatur illud Apostoli prælatum ad Rom. 7. Non esse scilicet quod non volitum sit secundum se malum, illudque fiat ex aliqua dęmonis violentia, sed ex corrupta hominis concupiscentia contra spiritum pugnante ad huc ipso nolente homine. Vnde illius delectatio, sivè prurigo semper peccaminosa est, cum semper in corrupta, seù deordinata natura exorbitet à ratione, quo

Digitized by Google

à cæteris discriminatur delectationibus sensus, ut ostensum est, &c. Quaque ratione dicitur non fuisse in Christo Domino tentationem ex concupiscentia ortam, seu ab intrinseco, benè tamen ab hoste, seu ab extrinseco, ut dictum est.

12. Speciatim autem pro verbis exponendis Apostoli ad Rom. 7. ac pro se sumptis à Molinos, opus est insuper audire, quod D. Thom. super eumdem locum inquit lectione 3. ubi distinto homine, & sub peccato constituto, & per gratiam reparato, dupliciter ejus etiam actionem dividit in agendo, vel volendo motum concupiscentiæ. Cum enim, dicit Apostolus. Non enim, quod volo bonum hoc ago; sed quod odio malum illud facio. Quod homo sub peccato existens, agit actione completa, vult autem voluntate incompleta. Homo verò sub gratia degens, agit actione incompleta, vult autem voluntate completa. Explicatur omnia ipsum referendo Doctorem in præcitato, ità exponentem, & apostolicam interpretantem mentem.

13 *Non enim ago hoc bonum, quod volo agere. Quod quidem uno modo potest intelligi de homine sub gratia constituto. Et sic hoc quod dicit ago. Est accipiendum secundum actionem completam, quæ exterius operetur per rationis consensum. Quod autem dicit volo. Est intelligendum non quidem voluntate completa, quæ est operis præceptiva, sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt: licet & in universali habeant rectum judicium de uno: & depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat, quod in universali intelligit agendum, & agere vellet.*

14. *Secundum autem, quod intelligitur de homine per gratiam reparato. Ex converso oportet intelligere, per hoc, quod dicit, volo, voluntatem completam perdurantem in electione particularis operationis: ut per hoc quod dicit Augustinus intelligatur actio incompleta, qua consistit tantum in appetitu sensitivo non perveniens usque ad rationis consensum. Homo enim sub gratia constitutus vult quidem mentem suam à pravis concupiscentiis conservare: sed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiscentiæ insurgentes in appetitu sensitivo. Et simile est, quod dicit ad Galat. 5. Ut non quæcumque vultis illa faciatis.*

15 *Secundò quantum ad perpetrationem mali, subdit. Sed quod odio malum illud facio. Quod quidem si intelligatur de homine peccatore, per hoc quod dicit. Odio, intelligatur quoddam odium imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum. Per hoc autem quod dicit, facio. Intelligitur actio perfecta, per operis executionem secundum rationis consensum. Nam illud odium mali in universali tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus, vel passionis. Si verò intelligatur de homine sub gratia constituto per hoc, quod dicit. Facio. Intelligitur è converso actio imperfecta, qua consistit in sola concupiscentia appetitus sensitivi. Per hoc,*

quod

Digitized by Google

quod dicit. Odio. Intelligitur odium perfectum quo quis perseverat in detestatione mali usque ad finalem reprobationem ipsius, de quo dicitur in Psalmo, perfecto odio oderam illos, scilicet malus in quantum sunt peccatores.

16 Ex qua Sancti Doctoris prelucida doctrina claret, quisnam sit apostolici dicti sensus, & quonam pacto feratur homo ad concupiscentiæ motus insurgentes, quisque demum sit, qui devictus ab illis, ut est homo in peccato constitutus, subjiciatur illis, ratione cū voluntate simul assentientibus, & concurrentibus ad pravi operis executionem: Quis autem è contra, ut est homo in gratia constitutus, qui reprimens illos, ad ulterius actus nequam exercendos nequit, seù respuit extendi. Cum ergò Apostolus præsupponatur fuisse in gratia cum præallatam scripsit epistolam ad Romanos, actu imperfecto credendum est egisse malum quod nolebat, actu verò perfecto illum odisse, quod est motum concupiscentiæ pati, præciso ad illum rationis, ac voluntatis assensu, cohibuisse autem illum ratione ipsa advertente, voluntateque obluctante. Ad quem concupiscentiæ motum, seù stimulum, sivè ulteriori opere consummatum, ut est in homine jam peccato subjecto, ordinem nullatenus habet violentia efficta Molinos, cum dęmoni dumtaxat moraliter moventi homo peccato jam subjectus adhæreat, qui licet in universali intelligat non esse operandum peccatum: tamen victus suggestione dęmonis, vel passione, vel inclinatione perversi habitus operatur illud. Homo autem gratia refulgens rejicit, ut umbram illum, motum reprimendo concupiscentiæ contra rationem insurgentem.

17 Et hinc amplius prædicta refellitur adinventa violentia Molinos, cum actum, & aliàs nolitum ab Apostolo, haud aliud sit quam quædam carnis rebellis ad spiritum commotio, orta ex primi culpa parentis, per quam deficiente à Deo parte superiore hominis, seù ratione, defecit indè ab ipsa pars inferior, intranea, vel sensitiva, atque cum ipsa una simul extrinseca, ipsumque universum: unde illa corruente præcipiti, adhuc & reliqua collabente totius orbis est ab illa machina tracta: Vnde D. Th. super Epistolam Apostoli ad Rom. 5. lect. 3. Luculenter, & uberrimè enucleato, quod per Adam peccatum in hunc mundum intravit, non solum imitatione, sed etiam propagatione, ideſt per carnis originem vitiatam: Quidvè fuerit donum justitiæ originalis, quidque defectus ejus, seù privatio, concludit. *Sic ergò postquam mens hominis per peccatum est à Dei subjectione aversa, amisit virtutem continendi inferiores vires, & etiam corpus, & exteriora.* Ad quod consonè differens 1.2. q. 82. a. 3. nec non alibi docet. *Tota ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subiecta, quæ quidem subiectio primò, & principaliter erat per voluntatem, cuius est movere omnes alias partes in finem, ut eadem 1.2. q. 9. a. 3. dictum est. Unde ex aversione voluntatis à Deo, consequuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus.*

Digitized by Google

Inordinatio aliarum virium animæ præcipuè in hoc attenditur, quod inordinatè convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia.

18 De his ergò motibus concupiſcentiæ, quibus caro ſpiritui reluctatur, quorumq; cauſa everſus armonicus ordo virium humani opificii, inordinatio viget illarum, cenſenſum eſt loqui Apoſtolum cum dicat ad Rom. 7. Facere quod non vult malum, & ad Galat. 5. ut non quæcumque vultis faciatis, &c. Vnde cum præfati motus inordinatæ concupiſcentiæ ſint quaſi connaturales naturæ vitiatæ, abſque eo quod ad illos vim aliquam violenter dęmon adhibeat, hac prorsùs adempta, egiſſe fatendum eſt Apoſtolum, quod ipſe malum nolebat, quod eſt nolle inſurgerent præfati motus rebellionis contra ſpiritum, & nihilominùs inſurgunt velit nolit homo, quia naturæ corruptæ, ac vitiatæ, ceù filii ſunt, ex peccato primi exorti parentis. Ex quibus manifeſtè conſtat, quam efficta ſit Molinica ad præfatum agendum malum, ſeù motus excitandos violentia, cum hac præciſa adhuc illos perſentiret in ſe Apoſtolus eoſque deſudaret ad reprimendos, & quia hujuſmodi perfidam rebellionem virium inferiorum, ceù populi rebellatoris egrè ferebat, totis illi viribus obſiſtebat, dominumque iteratis efflagitabat vocibus, ut tanti moleſtia ſtimuli ab illo diſcederet.

19 Dictum eſt autem præfatos concupiſcentiæ motus eſſe veluti connaturales naturæ vitiatæ, quoniam hac ſecundum ſe, ſeù abſolutè inſpecta, non ei connaturales illi dicendi forent, quin potiùs contra eam. Docet enim D. Th. 1.2. q. 82. a. 3. *Ad primum dicendum, quod quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione in tantum concupiſcere eſt homini naturale, in quantum eſt ſecundum rationis ordinem. Concupiſcentia autem, quæ traſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.* Ex quo patet quomodo peccatum ipſum dicatur aliquando connaturale homini, quod explicans ipſe Doctor Angelicus ad Rom. 5. lect. 3. contra Peligianos aſſerentes peccatum originale non transfundi ab Adam in homines, ac proindè denegantes illud in parvulis, occurrunt ad id quod eis poteſt cum Apoſtolo objici 1. ad Corint. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes vivificabuntur. Dicentes hoc intelligi de peccato actuali, in quantum omnes peccantes peccatum Adæ imitantur; Quam hęreſim reprobans in præcitato D. Th. inquit: *Peccatum Adæ in hunc mundum intraſſe, non ſolum imitatione, ſed etiam propagatione, ideſt per carnis originem vitiatam, ſecundum illud ad Epheſ. 2. Eramus natura filii iræ, & in pſalm. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* Unde patet ad prædicta de motibus concupiſcentiæ. Connaturaliter ad naturam conſequuti, vel contra illam, inſurgentes: quod ſcilicet filii reputantur illius, ut infectę, ſeù vitiatæ per ſuperbiam, iram, inordinatumque libi-

dinis

dinis appetitum,&c. vel ut hostes illius absolutè, & secundum se consideratæ, inspecto videlicet homine juxta rationis dotem,rectique judicii, ut ex ipso resolvitur D. Th. 1.2. q.71. a.2.

20 Quam autem genuinus, germanusque sensus verborum Apostoli sit prædictus ex mente D. Th. relatus,ex his quæ super eisdem copiosissimis sermonibus de verbis Apostoli,5.scilicet & 6. B. docet Augustinus Non enim quod volo ago,sed quod odi illud facio. In quibus verbis, pro ipso agere, Sanctus Doctor, ipsam intelligit concupiscentiam, pro ipso non velle, vel nolle, actum dissensionis ad illud, actus iste est juxta legem, quæ præcipit, non concupiscere:actus ille contra legem, quia est motus carnis contra spiritum, & nuncupatur peccatum: motus iste, seù stimulus carnis, quia est actus partis inferioris, atque rebellis, ad necem tendit,& eversionem partis superioris,seù mentis,& velit, nolitque homo insurgit: undè illi strenua adhibenda est à parte superiore, seù mente obsistentia, & si illa concupiscit, stimulat, titillat, hæc juxta legem agens,debet toto illi obstare conatu, eique sentire oppositum,quod est nolle concupiscere, tametsi hoc perficere nequeat, quousque in hac degit homo vita mortali. Hæc autem præcisa dęmonis illata violentia, optimè exerceri probantur in homine,sivè justo,sivè injusto: alias præfata admissa violentia, tam homo justus, seù in gratia constitutus, quam injustus, seu peccato subjectus, actum per illam efficerent consummatum illicitum, & peccaminosum, quod minimè accidit, ut patet in homine justo,qui ex eo,quod obstat ebullientibus carnis motibus,ad actus turpes, aut noxios non excurrit agendos: ad quos è contra ut ignavus, & iners victus ex dæmonis suggestionibus, aut per habitum vitiosum, vel passionem homo injustus erumpit, quod non evenit ex eo quod vis aliqua sit ei à dæmone illata, seu per impulsum aliquem ad actum perpetrandum ab illo coactus, sed quia voluntariè se per delectabile ei objectum propositum hosti subigens, ad actus membra movet indignos, ac turpes.

21 Sic ergò loquitur Augustinus in medio sermonis quinti. *Ipsum agere concupiscere est, non concupiscentiæ consentire: nè aliquis jam in Apostolo peccandi sibi quærat exemplum, & det malum exemplum non quod volo ago.* (nota contra Molinos, qui ex his sibi quæsivit peccandi exemplum, deditque aliis) *Quid enim lex dicit? Non concupisces. Et ego nolo concupiscere tamen concupisco,quamvis concupiscentiæ meæ assensum non præbeam,quamvis post eam non eam: resisto enim,averto mentem,nego arma, teneo membra,* (dicat ergo Molinos, si per violentiam dæmon membra movet ad actum, quomodo dicit Augustinus, quod homo debeat in concupiscendo, seu cum est per carnem ad actus obscænos stimulatus, tenere membra?) *& tamen fit in me quod nolo. Quod non vult, & lex, nolo cum lege, quod non vult nolo, ergo consentio legi. Sed quia ego sum*

in

Digitized by Google

in carne, ego sum in mente, ego sum in regente. Mens enim regit, caro regitur, & magis sum ego in eo quod regit, quam in eo in quo regor. Quia ergò magis ego in mente, nunc autem jam non ego operor illud, &c.

22 Ad quod explicandum doctrina confert Angelici Doctoris super illud ad Rom. 7. præcitato, ostendens quid nomine intelligatur formaliter hominis, quoque pacto dicatur hominem non operari motum concupiscentiæ. *Cum autem prosequitur Apostolus, si autem quod nolo illud facio, consensio legi Dei, quoniam bona est.* (explicat Divus Thomas) *Quod dum homo contra legem facit concupiscendo, non ipse operatur, sed peccatum, scilicet concupiscentia, in quantum peccatum dominium quasi habens in homine, operatur, ita ut non ille dicatur agere, sed ipsa concupiscentia, seù peccatum. Quod intellectum de homine sub gratia constituto, stat, quod si concupiscat malum, secundum appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit ex opere rationis, sed ex inclinatione fomitis;* (ergò non ex violentia dæmonis, inter tu Catholice contra Molinos consequentiam) *Illud autem dicitur homo operari formaliter quod ratio operatur, quia homo est id quod est secundum rationem. Undè motus concupiscentiæ, quia non sunt à ratione, sed à fomite, non operatur homo, sed fomes peccati, qui dicitur hic peccatum.*

23 Hinc ad Augustinum rediens prosequentem sic ipsum audio sermonem. *Si autem quod nolo facio consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem accepta gratia, non ego operor illud, libera est mens, caro captiva. Non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me hoc est, in carne mea bonum.* (en quomodo totum malum, & culpam carni attribuit infectæ, ac vitiatæ) *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non. Non adjacet perficere: adjacet velle. Non dixit facere, sed perficere. Non enim nihil facis? Rebellat concupiscentia, & non contendis, delectat uxor aliena, & non annuis, mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profer adversus eam sententiam, mundans conscientiam. Nolo, inquis, non facio; Puta quia delectat non facio, habeo cui condelector. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Quid tu de carne tua tumultuaris? Quod delectationes stultas, temporales, fluxas, vanas, noxias, tumultuosè suggeris, & eas quasi garrula mihi narras? Narraverunt mihi iniqui delectationes, sed non sicut lex tua Domine. Condelector enim legi Dei, non de me, sed gratia Dei, &c.* Ità & multò fusiùs Magnus Pater Augustinus per Apostrophen ad concupiscentiam pertentat tem sermonem agit, & fortitudinem pertentati animi juxta Dei legem agentis, ac in ejus gratia firmiter eluctantis ad plus ultra opus agere pravum, è contra profert: demumque contra concludit paulo ante finem ejusdem sermonis. *Sic enim intelligere debemus, si de se ipso Apostolus loquitur.*

24 De

Digitized by Google

24 De cujus amplius intellectu verborum ad Rom. 7. Conformia præfatis uberrimè sermone 6. perdocens, infra Dominica 3. post octavam Epiphaniæ, serm. 2. de eodem Apostoli dicto ad Rom. 7. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Sic propè finem inquit. *Non ergo quod vult Apostolus agit, quia vult non concupiscere, & tamen concupiscit, ideo non quod vult agit. Numquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subjugatum ad concupiscendum? ad fornicationem? absit.* Hic nota quod supra adhuc innuimus ingeniose Lector, quam sua fallacia, & primò decipiatur ipse Molinos, quamque ignaviter decipi se patiantur ab ipso, ejus affeclæ. Quoniam si ut ipse reputat, per violentiam dæmonis, Paulum Apostolum jam malum egisse supponitur, actusque perpetrasse pravos, ac turpes, jam ipsum concupiscentiæ subjugatum agnoscit, nec non perindè ad actus erupisse illicitos, quod juxta divi mentem Augustini blasphemare foret, & maximam Apostolo injuriam ferre, unde patet quam fallax imaginatio sit ista Molinica de violentia illata dæmonis ad actus turpes agendos, quamque dolosa, &c.) *Non ascendant tales cogitationes in cor nostrum* (ascenderunt autem in cor Molinicum) *Luctabatur, non subjugabatur, sed quia nolebat, & hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat, non quod volo ago, concupiscere nolo, & concupisco. Non ergo quod volo ago, sed tamen concupiscentiæ non consensio. Non enim aliter diceret, concupiscentias carnis nè perfeceritis ad Gal. 5. Si eas ipse perficeret, sed constituit sibi ante oculos pugnam suam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixisset Beatus Apostolus, quando videres moveri concupiscentiam in membris, cui tu non consentires, tamen cum eam moveri videres, forsitan desperares de te, & diceres, si ad Deum pertinerem, sic non moverer. Vide Apostolum pugnantem, & noli facere desperantem, &c.*

25 In fine autem innuens in quibus præfata concupiscentia vim habet, seù de quibus victrix evadit, ita concludit, & appositè contra Molinicum quietistam, qui obdormiens, ulloque pacto ad insidias concupiscibilis hostis præcavendas vigilans, non curat ad actus excurrendo pravos subjici illi. *Aliquando ista concupiscentia sic insidiatur Sanctis, ut faciat dormientibus, quod non potest vigilantibus.* Ex quibus cum planè appareat, locum minimè habere ullum violentiam dæmonis: eo quod ista, actus ad quos impellit, includit, in verbis autem Divi Augustini, supposita concupiscentiæ motibus resistentia, excludantur, adinventionem Molinos infertur esse illam, nec ad aliud deservire præsertim, ut supra admonuimus, quam ad amplius concupiscibiles, ac perindè conscientias laxandas hominem ad parranda turpia facinora, sibique suadendo assentatores, ex violentia ipsis illata dæmonis facinus fuisse factum, non autem voluntate ipsorum, &c.

26 At

Digitized by Google

26 At quam planè super idem D. Pauli præallatum, loquatur Theophylactus Archiepiscopus Bulgariæ degustemus. *Sed quod odi hoc facio. Vides* (Præsul ait) *quemadmodum neque violentiam indicat, neque necessitatem. Adjecisset enim, & illud, quod cogor facere id ago. Nunc haud quaquam inquit hujusmodi aliquid, sed quod odio, nolo itaque illud, ita ut diximus est capiendum. Verum quo pacto, & parva homines commiserunt? Quia & rapti ad malum, & fragiles sunt, & hujusmodi fragilitatem ex Adæ transgressu exceperunt. Quos actus, nec mederi lex poterat, tametsi quæ facienda essent, denunciaret. At Christus adveniens hæc cuncta sanavit.*

27 Præterea eamdem Diaboli violentiam, adhuc & perlucidè refutans Ugo Cardinalis super eumdem Apostoli locum ad Rom. 7. Fomiti malum actum attribuit, quod est ipsi concupiscentiæ ad malum trahenti hominem, referre. *Si autem quod nolo. Ità dixi,* (prosequitur Doctor) *reprobat ratio malum, & approbat bonum, autem, pro sed, si facio illum malum, quod nolo; secundum rationem meam contra quem est ipsa lex consentio legi. In hoc enim quod nolo illud quod ipsa lex prohibet, ratio mea dictat de lege, quod est bona, nunc autem. Determinat per quod motivum faciat malum, quia per fomitem. Non ego operor illud, secundum rationem, illud est peccatum actuale. Sed quod habitat in me peccatum, ideſt fomes trahens ad faciendum contra rationem.* Deinde ad ipsummet fomitem apponendo totius causam mali, eo quod legem vetantem malum, rationemque illi adhærentem, & approbantem vincens, stimulat, trahitque ad malum, inquit: *Non enim quod volo, &c. Concludit illud quod supra dixit, invenio. Igitur dixit legem esse bonam, & naturam suam, sive rationem, hæc autem duo coniungit quasi se invicem adjuvantia; & tamen fomes hæc duo superat. Continua sic: ex quo non operor bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, & fomes incitat me.*

28 Hinc adhuc & alteram efformare rationem possemus, quod scilicet sumpto etiam ipso fomite pro ipsomet Sathana, nec item ad actū consummatum perpetrandum, ut præsupponit Molinica imaginatio, arguitur ex illo aliqua illata violentia. Siquidem cum solum ut suggerens, aut incitans reputetur hoc pacto Sathanas, eique validè obsisti posset, & occurri per gratiam, non est quod vim aliquam inferat coactivam, seù violentiam ad actum turpem agendum, aut noxium. Patet enim stimulum, seù fomitem incitantem reprimi posse, & contineri, nec ullam in homine tentato violentiam inferre. Undè sumpto, pro dęmone non infertur ex illo aliqua illata violentia ad peragendum malum. Discursus hic robur habet ex eo quod suggerit D. Th. super illud ad Corinth. 2. cap. 12. sect. 3. ubi in his, quæ de seipso inquit Apostolus datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, Sic Angelicus subsequitur Doctor, *Datus est mihi stimulus crucians cor-*

Digitized by Google

corpus meum per infirmitatem corporis, ut anima sanetur: quia ad litteram dicitur, quod fuit vehementer afflictus dolore Yliaco. Vel stimulus carnis meæ, ideſt concupiſcentiæ ſurgens ex carne mea, à qua multum infeſtabatur. Rom. 7. Non enim quod volo, &c. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, &c. Undè Auguſtinus dicit, quod inerant ei motus concupiſcentiæ, quos tamen divina gratia vefrenabat. Iſte inquam ſtimulus eſt Angelus Sathanæ, ideſt Angelus malignus. Eſt autem Angelus à Deo miſſus, ſeù permiſſus, ſcilicet Sathanæ, quia Sathanæ intentio eſt, ut ſubvertat: Dei verò, ut humiliet, & probatum reddat. Timeat peccator, ſi Apoſtolus, & vas electionis ſecurus non erat.

29 Ex his autem nulla infertur ex dæmone violentia illata, non enim ſumpto ſtimulo pro infirmitate corporali mali Yliaci, ut ſupponitur. Non ſumpto pro motu concupiſcentiæ, vel carnis rebelliatæ ad ſpiritum. Nec ſumpto pro ipſo Angelo Sathanæ cum hoc inſpecto modo, contendere poſſit ipſi, ſtrenui reſiſtentia pectoris, ut in ipſo claruit Apoſtolo, ac in omnibus ad ipſius exemplar in hac vita degentibus Sanctis. Admiſſa vero violentia Molinica, cum per illam præſupponatur, ut coactus homo erupiſſe jam in actum pravum, nullatenus præſupponeretur, reſtitiſſe ſtimulo impellenti ad actum, quod nefas eſt reputari in Apoſtolo. Remanet ergò ut accipiatur pro dæmone contendente in linea dumtaxat moralis motionis, quod eſt conari ad perpetrandum actum, per modum tantum ſuadentis, allicientis, vel ſuggerentis, aut ipſo utentis humano ſtimulo carnis, tamquam inſtrumento, vel miniſtro ad pervertendum hominem, ut de facto moris eſt ipſius dæmonis impetere tentationibus homines, nulla ratione, nulloque pacto locum habet violentia adinventa Molinos, impellens illos ad turpia, vel noxia conſummanda, & potiſſimum in Divo Paulo Apoſtolo, in quo maximè gratia Dei vigebat, quæ ſufficientiſſima erat ad cuncta dæmonis tentamenta abigenda.

30 At quia totius victoriæ honor, & gloria, Dei gratiæ aſcribitur, & per Chriſtum Dominum tamquam per Dei Princeps inſtrumentum ad nos deſcendit, annotandū eſt cum D. Th. 3. p. q. 49. a. 2. ad ſecundum, quam validè ex vi paſſionis ejus reprimatur dæmonis furor, quo perſæpè nos impugnando noſtrum pertentat extremum lapſum, & interitum. Sic ergò ad laudem Paſſionis Chriſti S. D. inquit: *Ad ſecundum dicendum, quod Diabolus etiam nunc poteſt quidem Deo permittente homines tentare quantum ad animam, & vexare quantum ad corpus, ſed tamen præparatum eſt homini remedium ex Paſſione Chriſti, quo ſe poteſt tueri contra hoſtis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ. Et quicumque ante Paſſionem Chriſti, Diabolo reſiſtebant, per fidem paſſionis Chriſti hoc facere poterant, licet paſſione Chriſti nondum peracta. Quantum autem ad aliquid nullus poterat Diaboli manus evadere, ut ſcilicet non deſcendere, in*

infernum, à quo post passionem Christi, se possunt homines eius virtute tueri. Et per quam plurimi liberati fuerunt ex antiquis Patribus, & justis descendente Christo ad inferos, ut fusè alibi D. Th.

31 Ejusmodi ergo auspice Dei gratia per Christi passionem cum ejus sanguine effusa, restiterunt, & repulerunt per fidem eam aspicientes à longe veteris testamenti Patres, dęmonis impetus; Divus Paulus restitit, nè cum acriter vexabatur in actus erumperet obscęnitatis, universique novæ Legis, Christique perfusò sanguine justi, ejusdem se patrocinio munientes, invictè propugnarunt, gloriosèque tandem victores, hostis moles omnes expugnarunt, quod si permulti ex illis sub ictibus ceciderunt hostis impugnantis, ex defectu ipsorum fatendum est evenisse, rationisque ab insurgente concupiscentia contra ipsam victæ, sicut & omni tempore evenire putandum: non autem ex aliqua dęmonis illis illata violentia. Vnde D. Th. in præcitato a. 7. *Ad tertium dicendum, quod Deus permittit Diabolo posse decipere homines* (nota cautè Lector verbum, decipere, non cogere, vel vim inferre) *in certis personis, temporibus, & locis secundum occultam rationem iudiciorum suorum. Semper tamen per passionem Christi, est paratum hominibus remedium se tuendi contra nequitias dęmonum, etiam tempore Antichristi, sed si aliqui hoc remedio uti negligant, nil deperit efficaciæ passionis Christi.*

32 Cujus verò virtute, veluti fatalibus instructus armis, optimè valet homo quibuslibet dęmonis tentamentis obsistere: at quo magis in statu perfectionis fuerit, eo magis attendere debet nè opprimatur ab hoste, quoniam hic præcipuè illam excolentibus invidens, infestissimus illis est obstinatisq; petens aggressionibus, non desinit quousque aliquando dejiciat, semper enim invidet ad meliora tendentibus, ut Ambrosius dicit lib. 4. in Lucam tom. 5. uti sunt, & potissimum vitam cęlibem excolentes, ardentiorique studio se Christo passo conformantes; undè legitur in vitis Patrum de quodam Eremita, qui ductus ab Angelo ad quemdam locum, ubi erat Congregatio Monachorum, videt innumerum multitudinem dęmonum volantium ad modum muscarum circum circa Monasterium: Veniens ad quamdam Civitatem vidit supra portam illius unum solum dęmonem otiosum, & ut etiam fertur lyra canentem. Inquirenti autem undè hoc esset? Ait Angelus, qui eum ducebat; quod omnes in Civitate juxta Diaboli voluntatem vitam agebant, & ideo unus tantum Diabolus ad eorum custodiam sat erat: In Monasterio autem omnes Diabolo resistebant, & idcirco tam multi dęmones ad impugnandum illum convolabant, ubi namque Sathanas, majus invenit ad suos impetus obstaculum, ibi rabidius, furentiusque irruit, ut expugnet: è conversò autem campo inertium inspecto: unde hoc veluti neglecto, glorioſius triumphare se jactat, cum de aliquo ex veteranis, strenuisque Christi militibus victor evadit.

Digitized by Google

33 Ut itē fertur ex vitis Patrum, narrante quodam ex illis filio cuiusdam olim Sacerdotis Idolorum: qui cum parvulus esset, & frequenter Patrem suum vidisset Idolis sacrificia offerre, post ipsum occultè intravit, & vidit Sathanam tamquam Regem in Throno sedentem, & circumcirca ipsum militiam multam dęmonum obsequentem, eique astantem. Et ecce unus de Principibus ejus veniens adoravit eum. Cui Sathan dixit: Unde venis tu? Et ille respondit. In illa Provincia eram, & suscitavi illic bella, & perturbationes plurimas, nec non effusiones sanguinis faciens. Et veni nunciare tibi. Et Sathan interrogavit. In quantum temporis hoc feciſti? Et ille respondit. In triginta diebus. Et Sathan jussit eum flagellari dicens. Tanto tempore hoc solum feciſti? Et ecce alius veniens adoravit eum. Et ipse dixit. Unde venis tu. Et respondit dęmon. In mari eram, & suscitavi commotiones, & demersi naves, & multos homines occidens, veni nunciare tibi. Et dixit ei Lucifer. Quanto tempore hoc feciſti? Et ille respondit. Sunt dies viginti. Et hunc similiter jussit flagellari dicens? Quare in tanto tempore hoc solum feciſti? Et tertius veniens adorabat eum, dixit autem, & huic. Et tu unde venis? Et respondit. In illa Civitate fui, & dum ibi fierent nuptiæ, excitavi lites, & multas effusiones sanguinis feci, insuper & ipsum sponsum occidi, & veni nunciare tibi. Et dixit ei. In quot hoc diebus egiſti. Respondit: decem. Jussit autem, & hūc quia moras fecerat flagellari. Venit autem & alter adorare eum, & dixit ei. Vnde venis, & respondit. In Eremo eram, & ecce quadraginta anni sunt, quod impugno Monachum quemdam, & vix nocte una prævalui, ut facerem eum fornicari. Quod Diabolus audiens surrexit, & osculatus est eum, & tollens coronam quam ipse habebat, posuit in capite ejus, & fecit eum sibi in una sede confedere dicens. Magnam rem, & fortem egiſti. Et hæc eum vidisset, & audisset præfatus Monachus, qui ea narravit, comprehenbens quam magnæ fuerit excellentiæ ordo Monachorum, quamque perfectionis, & gratiæ, relicto seculo cum omnibus fortunæ bonis, parentumque abjectis erroribus, in prædictum se ordinem firmo corde se contulit.

34 Ex quibus planè datur intelligi quam pertinaciter insequatur homines Sathanas, & quo majori statu degunt sublimiusque feruntur, eo acrius, feriusque pertentat; non per hoc tamen obstat, quominus ei fortiter obsisti valeat, imò quo magis altè sapit homo, degitque eo magis obstare, ut in relato inspectum est inter cætera exemplo, quo spatio annorum quadraginta desudanti dæmoni obstitit Monachus ille lapsus, potuisseque si stetisset per totum suæ vitę reliquum obsistere tempus. At quid Dei gratia non suggerit, cum ad illam habito recursu, dæmonis quantumlibet in festa firmè volumus tentamenta repellere? Ita de quodam Fratre in Eremo Scithiæ præcipuè fertur in vitis Patrum, factū

Eroicum. Hunc ergò adortus hostis generis humani Sathanas, speciem in ejus corde immisit cujusdam sibi notæ speciosæ Mulieris, cujus imaginatum phantasma, vehementer quoad fieri poterat excruciabat eum, ut omisso penè deserto, illam amore exardescens adiret. Contigit autem ex divina dispensatione, ingentique pietate, ut alius quidam Frater ad visendum eum de Civitate veniret. Et dum inter se loquerentur, accidit sermo, ut diceret Frater ille de Civitate, quia mortua est mulier illa, pro cujus amore, tanto angebatur ardore Eremita præfatus. Qui cum hæc audisset, nec perindè ab ostinato tentatore relictus, post paucos dies abiit ad locum, ubi positus fuisse cognovit corpus defunctæ mulieris, & aperto noctis tempore sepulchro, de pallio suo tersit faniem putredinis ejus. Quo facto reversus ad cellulam suam, ponebat fœtidum illum pannum in conspectu suo, & advertens amanti suo cordi dicebat. Ecce habes, quod sic ardenter exquirebas, satia te ex eo, quid ergò amplius, ut te contentum faciam facere possum? Osculare, amplectere; Et ità in illo fœtore crucians semetipsum, non destitit, usquequo cessaret ab eo sordida, & infesta dæmonis impugnatio.

35 Studeat ergò, adnitatur inexorabiliter tartareus hostis ad nos suis detorquendos insidiis, quoniã si ejus multiplex est impugnandi perfidia, haud secùs patrocinante gratia, valet hominis ad propugnandum, seque cavendum, imò validius ingeniũ. De qua multiplici via tentandi hominem, eumdem audimus Sathanam se jactantem, cum primò in primum hominem suam probavit astutiam. Quem invidum erga hominem D. exponens Ambrosius in Hexam. lib. de paradiso cap. 12. sic de ipso fatur, loquentemque refert. *Considerabat enim Diabolus, quod ipse, qui fuisset superioris naturæ in hæc secularia, & mundana cecidérat, homo autem inferioris naturæ sperabat æterna. Hoc est ergò quod invidet dicens, Iste inferior adipiscetur, quod ego servare non potui. Iste de terris migrabit ad Cœlum. Cum ego de Cœlo delapsus in terra sim. Multas vias habeo, quibus decipere possum.* Et paululum infra. *In quo videor ego omnibus esse sapientior, nisi circumscribam hominem, & versutia, & fraude contendam?* Deindè relato modo, quo ipse dæmon molitus fuit decipere Adam, ad alterius generis tentamenta transiens inquit. *Cognoscens igitur hoc loco tentamenti genus, plurima etiam aliis locis tentamenti genera reperies. Alia sunt per Principem istius Mundi, qui quædam venena sapientiæ in hunc mundum evomuit, ut vera putarent homines esse quæ falsa sunt, & specie quadam hominum caperetur affectus. Non enim semper quasi apertus hostis ingreditur, sed sunt quædam potestates, quæ amorem simulent, gratiamque prætendant, ut paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundãt; à quibus oriuntur illa peccata, quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt etiam aliæ potestates, quæ veluti colluctantur nobiscum. Unde Apostolus ait: Quia non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus*

Prin-

Digitized by Google

Principes, & Potestates, & Rectores hujus Mundi tenebrarum harum, adversus nequitiam spiritualium, quæ sunt in cœlestibus. Volunt enim hæc quadam contentione nos frangere, & veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Unde & Paulus, quasi bonus Athleta, non solum ictus adversantium potestatum vitare cognoverat, verum etiam adversantes ferire. Undè & ait: Percutio pugnis, non ut aera cædens. Et ideo quasi bonus Athleta ad coronam meruit pervenire. Ergò multiplicia sunt tentamenta Diaboli.

36 Ex quibus Sancti Præsulis Ambrosii verbis, ac diversimodis Diaboli tentandi generibus, de modo aliquo tentandi ejus per violentiam, ut putavit Molinos, mentionem nonnullam actam non habemus, ergò adinventio ejus est hujusmodi impugnandi mos dæmonis in homines, neque alium exercere credendum est, ac fatendum quam aliquo ex præfatis, quod est perfallacias, suasiones, fictasque falsæ doctrinæ formulas illudere, vanaque phantasmata, quæ nonnisi moralem motionem in corde hominis habere queunt, ac objectivè, quibus validè obsisti potest, eaque cuncta, ut Sol umbras ejicere, ut de facto Christi Domini Commilitones omnes intrepidè effecerunt, in ejus invicti gratia persistentes, inter quos præsertim, ut Achilles Christianæ Militiæ Paulus Apostolus, qui cæteros & verbo, & exemplo exhortans in 1. ad Corint. cap. 9. post multa concludit. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: nè forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quæ cum violentia Molinica cohærere nequeant, meritò ut efficta rejicitu ejus inventoris Molinos quadragesima quinta Propositio, videlicet,

ut supra, &c.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

Quadrageſima ſexta Propoſitio Molinos. *Queſte violenze ſono il mezzo più proporzionato per annichilar l'Anima, e farla giungere alla vera trasformazione, & unione, e non vi è altra ſtrada, & è la via più facile, è più ſicura.*

Oppoſitum è contra dictum.

Ad verè in Deum Animam tranſformandam, ac proinde cum ipſo uniendam, non eſt alia penſanda via quam per gratiam ſanctificantem, Deique Amorem.

AUri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis? Per te orbis univerſus in laboribus deſudans, terram per induſtrios circuit, maria petit, aera ipſa percolit, ut tui quæſtum faciat, teque diſcrimine non obſtante terrifico, comparare valeat, ò quam magno te Craſſus emit in Parthia. Quam care Creſus victus à Ciro: Quam grave ſenſit in ſe ſiniſtrum Gallorum pondus proditrix illa Patriæ Damonica. Quam miſerè Ptholomeus nimiam Cypriarum copiam opum, Quamque tandem horridè à Pelagi deglutitis Tot gurgibus ſe noverunt: Tot per terrarum obvia pericula è vitæ dempti dirè probarunt. Torque per te perditi flagitia patrantes, & nequiſſima, nec dum aliorum, verum etiam, & propria parvipendentes animam, vitam profuderunt, & ſortè. Ingeniosè igitur factus eſt, qui de auro, vel denario dixit Deum, Trinum eſſe in Cœlis: Quatrinum in terris. Quotque ut Trinus habet Martires ſuos. Totidem imò multo magis ut Quatrinus. Quot illi Sacrificia offeruntur, cordiumq; holocauſta immolabuntur. Heu quamplurima exhibentur, ut Quatrino cordium ipſum excolentium holocauſta. Quod ſi tandè tamquam omnium bonorum, venuſtarumque ampliſſimo Opifici, univerſum orbium opus, aſſimilari expetit illi, eique fieri concinnum: ac ſuper omnia cum intelligentiis ſuperfulgentibus homo ad imaginem factus ejus, atque ſimilitudinem, transformari in eum ambit, percupitque ardenter: Quis hæſitat idipſũ de auro, ſeu denario compertũ, in tot haud efficis Alchimiſtarũ Midis, qui die, noctuq; per fornaculas tranſeuntes, & ignem in aurũ tranſformari theſaurizantes deſudando percupiunt? At heu miſeri quã longè fallunter, quod vice per verũ aurum aureos effulgere inde ſe credunt, fumo nigreſcentes, ac pallore ſqualentes, veluti luctuosè induti, inaniter actas, nec non in fumo redactas, fierè videntur,

tur, & noſcuntur expenſis, ac non in arca, ſed in facie aurei, non hilares, ſed triſtes de oleo, perditoque ſomno, animi cruciatum oſtendunt.

2 At quid de vobis Lamiæ faſcinantes adjiciam, quidve magi malefici? Quid inquam de vobis, qui divinæ veritatis fœdifregi deſertores, cum ejus, ac noſtro non expaveſcitis hoſte amicitia conjungi? Quomodo Dei veridica Lege poſtpoſita, cum patre mendacii non trepidatis fœdus habere? Quo pacto de cœlica celſi luminis Aula recedentes, ad Magiſtrum in Cathedra peſtilentiæ ſedentem, tenebricoſa non pertimeſcitis obſequi virulenta præcepta? Quo denique corde derelicto Deo, qui vos genuit, & obliti Domini Creatoris veſtri, adhærere non horreſcitis ei, qui omnium miſerrima creatura ad horrida vos invitat hoſpitia, ſtudiaque teterrima? Ille namque Omnipotens eſt, Paterque luminum, qui facit mirabilia magna ſolus: non autem alter, qui mendax eſt, & impotens, ulliuſque momenti. Ille quidem, qui largitor eſt, fonſque omnium bonorum præditare valet, & magnificare: non autem, qui dejectus ad ima, caputque malorum, peſſimè vivit, & in domo degit meroris, & luctus. Ille inquam ad Cœlos ſublevans, transformare in Angelum ſcit hominem, poteſtque imò in Deum, non verò qui de Cœlo repulſus, in dœmonem ex Angelo lucis factus, nequit quam permutare ſicut eſt ipſe in monſtrum. Effectus ipſius perfectò peccati, quo dæmonis homo poteſtati ſubactus, ac ejus inter aſſeclas congreſſus, de gratiæ Dei Cœlo, unà cum ipſis elapſus, in monſtruoſam itidem, & informem, ſicut, & illi, transfiguratur ipſe figuram aſſumens.

3 In hujuſmodi ergò deformitatem, ſcit perducere Sathan, non autem formoſitatem divinam; Nec nonniſi Monſtra infernalia potens eſt pennicillus ejus artis effingere, non verò ad cœleſtia protendi. Quod ſi aliquando in Angelum ſe lucis efformat, cœlique ſe lumine perſonatum oſtendit, utpotè mendax, nec perinde quam aeris fucato vultu coloribus, protinùs evaneſcit. Et ita in omnibus mos eſt illi decipere oblectamenta exhibendo, opulentias ſpondendo, magnalia proponendo, &c.

4 Abigat ergò de ſe cor humanum ejuſmodi commentitia, derideatque ut phantaſtica ſomnia, ſciatque fallacias eſſe Sathanæ, ad captandas animas per multiplex, ut prædiximus ejus tentandi genus, quod eſt, ut Sanctus innuit Evangeliſta Johannes, vel per concupiſcentiam carnis, vel per concupiſcentiam oculorum, vel per vitæ ſuperbiam, allicit per oblectamenta carnis. & ſæpè ſæpiſſimè prædam facit animarum ingentem: Spondet opibus præditare, ampliſque fortunis, & ita diteſcere ſuum efficit regnum, infernumque circumfluere prædis. Sicut, & cum per ſuperbiam, elationemque corda ſurſum ambitioſa tol-

Digitized by Google

mittit, seque nec minus suam allusis, allucinatisque animabus infarcit abyssum. Quo pacto suos ipse reddit transformatos affectas, de quibus Oseas c. 3. inquit, quod mundana exquirentes, facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt, amor enim vis transformativa est, cordiumque vaferrimus Campsor.

4 Verum quam illusorie hæc faciat Sathanas, in millibus, inque diem experimenta doceant, plusquam dulcia, amara, ac non tam mellis, quàm fellis delectamenta gustantes, ab illecebris illecti carnis, & sensus. Quaque pari fortuna superbiæ præcipites inciderunt in lapsum vanæ gloriæ Cupidi, seque aliena quærentes. Sicut, & hi, qui in Idolorum servitute degentes, in experitis sepelientes corda thesaurus, irrisi tandem fame percuntes, non exegerunt de manu malorum omnium largitore, quam pernicies, strumnas; omnisque calamitatis perpessiones. In quibus omnibus cum homo deliquerit, vel malpassegerit, non est putandum per violentiam aliquam dæmonis egisse, ut superiori capite diximus, sed libero sui arbitrio, illecto tamen, aut moto per ipsius dæmonis suggestiones, sivè ejusdem lapsi hominis delinquentis passiones, vel habitus vitiosos, & pravos. Quod eodem dicendum est pacto, cum per peccatum in se dæmonis impressa imagine, seu magnæ bestiæ caractere insculpto, in Sathanam transformari videtur, & monstrum. Non enim hæ methamorphoses ex aliqua vi dæmonis effectæ putandæ sunt, sed pravæ causa voluntatis humanæ, suggestionibus adhærentis Sathanæ, aut concupiscentiæ, vel sensus libidini obsequentis, ac satiare expetentis.

5 At molto minus, absque ulla collatione, quod monstruosum audiu est, quod per dæmonis violentiam ad actus impellentis illicitos, & peccaminosos, homo transformetur in Deum, eique intimè uniatur. Cum ipsius Dei gratiæ, ejusque primariæ virtutis charitatis effectus sint, & unaque præcipua, nec non tamen unica Cœli. Quod optimè enique in Encelico lapide philosophico ex ipsius naturæ gratiæ patefecit, quæ cum formalis participatio sit naturæ divinæ, ut ex ipsa constat theologica ejusdem inscriptione, hominem in Deum transformat, eique similem, ut filium efficit, quod bene noscens in justis Regius Psalthes intonuit canticò 83. *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes*, quamque supereminentem vim præcelsi doni, quo ad Regni hæreditatem adjucamur æterni, advertens Angelicus Doctor inquit in 3. p. q. 23. a. 2. *Ad secundum dicendum, quod nos per adoptionem efficimur Fratres Christi, quasi eundem Patrem habentes cum ipso.* Ad quem pro jure hæreditatis subdens cum Apostolo ad Rom. 8. lect. 3. inquit: *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si autem aliqui filii, per spiritum, scilicet, sequitur etiam, quod sint hæredes quia non solum filio naturali, sed etiam adoptivo debetur hæreditas Patris*

Digitized by Google

tri 1. *Regeneravit nos in ſpem vivam in hæreditatem, &c, & pſal. Hæreditas mea præclara eſt mihi.*

6 Ad exprimendam autem præfati gratiæ doni mirabilem virtutem in transformandis animabus in Deum, utque homines, qui lutei, ex luto facti in aureos evadant, ac pretioſos, 1. 2. q. 110. a. 3. ex illa Petri 2. cap. 1. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donantur, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*: Sic ait Angelicus. *Gratia autem eſt prædicta natura per quam efficimur, & regeneramur in filios Dei, ac per conſequens ipſa eſt per quam ſic imaginem Dei Patris ſortientes, transformamur in Deum, eique intimè unimur.* Quid ad hæc cum ſua diabolica violentia Molinos? Efficta quidem imaginatio pluſquam ſomniata per poeticam Lyram Circis, vel Medeæ miranda; imò eſt monſtruoſior, & inanior; quoniam per illas præſtigatrices fallacibus dęmonum artificiis, nonniſi in phantaſticas transfigurabãtur beſtias homines, ſpecieſque mendaces: per Molinicam autem violentiam verè contendere audimus, transformari hominem in Deum, eique uniri. Nec non verè aureum fieri hominem in divinum converſum ex abjecta, qua conſtat, maſsa, metallum; Inania profecto figmenta, confictaque phantaſiæ Idola, cum ſolum virtute Dei gratiæ, verum efficiatur divinitatis aurum transformando hominem per adoptionem in Deum. In hac enim vera viget ars ſupernaturalis alchimica, qua non fucatum, vel ſophiſticatum fit aurum vanitatis, vel doli; Verùm primæ, ac ſummæ ſapientiæ verax opus, & mirabile, hominem non inquam in virum alterum, imò in Deum transmutandi, quique de vaſe contumeliæ, in vas perluceat electionis.

7 Quis enim haud novit, quod perdita Creatoris imagine per culpam, ac diabolico per hanc aſſumpto phantaſmate, exul abeſt homo in regionem longinquam, atque diſſimilitudinis à ſuo Deo genitore, veroque Prototipo? Quis inquam ſe neſcire fatebitur, quod ut prodigus effuſor divinæ ſubſtantiæ, cujus per gratiam non modicam ſortitus erat portionem, cum immundis abyſſi beſtiis immoratur, clamatque cœleſti pane jejunus, fame pereo? At cum ad Deum Patrem redierit, pœnitentia ductus, inter bracchia miſericordiæ, oſculaque receptus, ſtola ejus primæ gratiæ jam reparatæ præfultus, annuloque priſtinæ dignitatis excultus, denuò inter filios aggregatus Angelicos magnificè cum Angelis epulatur: quique per peccatum mortuus erat, divinam reaſſumendo imaginem per gratiam reviviſcit. Quo fit, ut veterem deſerendo hominem, novum induat, vegetemque, utque non amplius veteris filius Adæ, ſed novi, ad divinam Dei imaginem, & ſimilitudinem, recreatus exurgat. Quam per cęleſte gloriæ lumen denique conſummatè obtinebit, & plene, cũ primum Deum ſibi ſimilem in ſe videbit, eoque perfruetur, juxta illud Joan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit,*

Digitized by Google

similes si erimus ; quoniam videbimus eum sicuti est.

8 Quod facinus præclarum est ipsius gratiæ, quæ non magica, sed magnifica, non præstigiosa virtute transformatrix est in Deum hominum, eosque de terrenis, cœlestes efficit, pariens in eis, non sine Luciferi concrepante invido corde, quod ipse, sed perversè appetiit, Altissimi similitudinem. Quam cœlicam præsertim, miramque methamorphesim, totum admiratur Universum in celeberrimo Patriarca Seraphico Francisco, qui cum Paulo Apostolo stigmata Salvatoris in suo corpore, tametsi multo magis in corde sculpta retinens, imaginem gerebat expressam ipsius Redemptoris, pro nobis crucifixi. Uti pariter Herois illa Catharina Senensis, quæ splendidior cunctis astris per quinque luminaria magna ex ipsa irradiantia, quinque divinorum stigmatum in se gerendo thesauros, clarissimam in seipsa ostendebat Verbi divini Sponsi effulgentem effigiem. Quam item Beatos omnes in corde cœlatam, sanctè jactasse credimus, quippè, qui gratia præfulgentes in ipsum se Deum transformari meruerunt, filiosque fieri prædilectos Excelsi.

6 Hinc sequitur alterum, & ingens ipsius gratiæ donum, quod est intimè ipsi Deo, uniri, cordeque illud amplecti. Quod formaliter munus est charitatis filiæ primogenitæ gratiæ, nec non ad præfatam ejusdem transformationem agendam. Ad quæ appositè confert, & primò quod Angelicus Doctor habet 1. 2. q. 28. a. 1. Quo perquirens, *Utrum unio sit effectus Amoris. Respondet dicendum: Amorem causare unionem dupliciter. Uno modo effectivè, qui modus uniendi competit amori concupiscentiæ, quia movet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi convenientis. Alio modo formaliter, quia ipse amor est talis unio, vel nexus. Undè Augustinus dicit in 8. de Trin. Quod Amor est quædam junctura quædam, duo aliqua copulans, aut copulare appetens amantem, scilicet, & amatum.* Et supra ibidem. *Cum aliquis amat aliquem amore amicitiæ* (sicut est charitaris actus, ut infra modo dicemus) *vult ei bonum, sicut & sibi vult bonum: undè apprehendit eum, ut alterum se, in quantum scilicet vult ei bonum, sicut, & sibipsi: & inde est quod amicus dicitur esse alter ipse, & Augustinus dicit in 4. Confess. Benè quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ.* Et in responsione ad secundum, de triplici unionis modo differens ait. *Quædam vero unio est effectus amoris: & hæc est unio realis, quam amans quærit de re amata. Et hæc quidem unio, est secundum convenientiam amoris, ut enim Philosophus dicit 2. Politic. Aristophanes dixit, quod amantes desiderant ex ambobus fieri unum: sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, & decet, ut scilicet simul conversentur, & simul colloquantur, & in aliis hujusmodi conjungantur.*

Digitized by Google

10 Præfatam, ac sic expositam unionem, ex ipsius charitatis examine, planè clarere potest, illius esse effectum. Cum benè pateat charitatem cor nostrum excitare; perpetuoq; ad ipsum perquirendum Deum movere, utpotè objectum tam expetitum, & amatū, clamans in 1. Cantic. Simul una cum Sponsa dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Et cap. 3. cum eadem inter suspiria, sollicita. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea surgam, & circuibo Civitatem, per vicos, & plateas quaram quem diligit anima mea.* Hinc sequitur unionem ipsam formaliter esse, unionemque inter amantes obstringere, lętabunda jam contenta cum sponsa ibidem inquiens. *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum meam, & in cubiculum genitricis meæ.* Quique amoris excessus, cum amicitiæ amor sit, & affectus, transformationem inter amicos efficit, cordiumque prædulcem conversionem: ut cum eadem testatur in Canticis divini Sponsi amata, nec non amantissima Sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Quod quam præ cæteris erga Deum amore flagrantibus Sanctis, experta sit in se admirabilis Herois illa Catharina Senensis glorioſissima fama volat; Cum ad invicem permutatione cordium acta, ipsa Christi Domini divinam vitam agebat: Ille autem Catharinæ penè creatam. Comprobans in seipsa sic prædilecta Virago, Illud Apostoli ad Gal. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et illud Joan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

11. Ad quæ uberius approbanda prosequitur D. Thom. eadem. 1. 2. q. 28. a. 2. afferens, mutuam inhæsionem effectum esse amoris, ejusque variis ostensis inhęrendi modis, & quantum scilicet ad vim apprehensivam, & quantum ad vim appetitivam. Et quoad utrumque modum, tam amans, quàm amatum, dicuntur viciſſim esse unum in alterius intimis, cordisque viscеribus, unicuique sua proportione servata, ut ibi est videre. De inhęsione tandem amantis in amatū hæc resolvens ait: *Amans est in amato, aliter quidem per amorem concupiscentiæ: aliter per amorem amicitiæ. Amor namque concupiscentiæ non requiescit in quacumque extrinseca, aut superficiali adeptione, vel fruitione amati: sed quærit amatum perfectè habere, quasi ad intima illius perveniens. In amore verò amicitiæ, amans est in amato, in quantum reputat bona, vel mala amici, sicut sua, & voluntatem amici sicut suam, ut quasi ipse in suo amico videatur bona, vel mala pati, & affici, & propter hoc proprium est amicorum eadem velle, & in eodem tristari, & gaudere, secundum Philosophum in 9. Ethic. & in 2. Rhet. ut sic in quantum, quæ sunt amici, æstimat sua, amans videatur esse in amato, quasi idem factus amato: in quantum autem è converso, vult, & agit propter amicum, sicut propter*

Digitized by Google

seipsum, quasi reputans amicum idem sibi, sic amatum est in amante. Potest autem, & tertio modo mutua inhæsio intelligi in amore amicitiæ, secundum viam redamationis, in quantum mutuò se amant amici, & sibi invicem bona volunt, & operantur.

12 Ex quibus Angelici Magistri verbis, quam mirabilis sit inter amantes, vel amicos reciprocationis amandi lex, inspiciens in exponendo Cajetanus inquit ibidem. *Quod Amans transit in personam amici, & quod amicus transit in personam amantis. Ex hoc enim quod amicus amat amicum propter ipsum amicum, vult etiam seipsum præbere quomodo potest: ac per hoc ipse transit in amicum voluntate, affectu, ac passione: ità ut benè, vel malè afficiatur, sentiatque amico sentiente. Ex hoc verò, quod amat amicum ut seipsum, ponitur amicus ut ipse: & sic amicus transit in personam amantis, &c.*

13 Quam autem hæc consonè pro charitate resonent, ex hujus inspecta conditione clarer: Quandoquidem mutuam ipsa statuens inter Deum amicitiam, & hominem, quippe quæ amicitia ipsamet est hominis ad Deum, ut 2. 2. q. 13. a. 1. Statuit D. Thom., cuncta, quæ de amantibus dicta sunt, & amicis, de ipsa constare videntur. Unionem etenim, & intimam agit ipsa inter Deum, & hominem, cum hæc, ut prædiximus effectus sit amoris, & ut 2. 2. q. 30. a. 4. *Ad tertium dicendum*, (D. Thom. inquit) *quod per charitatem assimilamur Deo, tamquam ei per affectum uniti.* Inde conversio, ac transformatio sequitur unius in alterum, cum ejusmodi sit inter amicos per jucunda lex, & conventio. Ac inde per ipsam, alter alterius, sivè gaudia in Domino sentiendo, sivè onera justitiæ portando, alter propter alterum mutuo, vel gaudio exultat, vel mœrore amarescit. Et ità profectò se charitate fervidi gesserunt in Christi Domini gaudiis meditandis, perpessionibus, glorioſisque in Cœlo triumphis, Sancti Dei omnes, vitam ejus, passionem, mortem, gloriamque, acie cordis sedulo contemplantes. Nec secùs è cospectu se gerit ipse Christus Dominus, gaudia ultrò percipiens, cum ad gaudia Paradisi percipienda evolant electorum animæ sanctæ, sicut & compati se testatur, & angi cum suos per se fideles perpeti videt, unde Saulo illos furenter insequenti, voce lapsa de Cœlo clamavit. *Saule Saule cur me persequeris?* Reputans, ut suas suorum fidelium vexationes, eosque ut suamet efficiens per gratiam, charitatemque membra. Quæ cuncta virtute charitatis, quæ amor est amicitiæ inter homines, ac Deum perficiuntur, nec non transformationem ipsorum ad invicem arguunt, & unionem per ipsammet peractam, & completam.

14 Quod Divus innuens Ambrosius serm. 10. in commentario super Psalmum 118. ubi de instaurata Dei imagine per Christum in homine inquit, *Propterea imago ad eum, qui est ad imaginem venit, & quæ-*

Digitized by Google

quærit imago eum, qui est ad similitudinem sui, & iterum signet, ut iterum conformet, quia amisisti, quod accepisti. Insufflaverat enim tibi Deus, ut inspirationis suæ dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa sustulerat, (ad hominem enim ibi est ejus sermo directus) *Factus eras in animam viventem, audi quid dicat, non in carnem, sed in animam viventem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus non habebat, quæ Dei sunt, sed quæ hominum, propterea venit Dominus noster Jesus Christus, & à mortuis resurgens cum clausos discipulos reperisset, clausis ingressus est manentibus januis, & dixit: Pax vobis. Sicut ergò misit me Pater, & ego mitto vos; cumque hoc dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* (en divinę diffusio charitatis, ac per illam, & perindè per gratiam hominis in Deum tranformatio ejusque denuò imaginis, similitudinisque perceptio) *Vides ne ergò quæ manus fecerint hominem, aut quem hominem fecerint? Illum utique quem secundum Christum induimus, expoliantes veterem hominem, cum actibus suis, & induimus novum, qui renovatur ad cognitionem secundum imaginem ejus, qui creavit eum, &c.*

15 Idemque Sanctus Antistes supra ibidem ostendens, quid sit per gratiam homo, quidve per culpam, ait: *Scriptura eum hominem dicit, qui est ad imaginem, & similitudinem Dei: peccantem autem non hominem. Sed aut Serpentem, aut Equum hinnientem feminis, aut vulpeculam, aut jumentum vocare consuevit. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, psal. 51. & Lucæ 15. Dicite huic vulpi,* (de Herode loquitur) *& cap. 5. Generatio viperarum dicitur à Joanne plebs hominum. Magnum ergo opus Dei, es homo, magnum est, quod dedit tibi Deus, vide ne quod Deus tribuit, amittas. Magnum illud munus, quod es ad imaginem Dei, & hoc in te punitur magis, &c.* Undè Divus Thom. eodem pacto, quo Divus Ambrosius conspicit hominem, approbat cum Aristotele, quod ille de homine censuit inquiens super epistolam Pauli Apostoli ad Titum cap. 2. lect. 3. *Secundum Philosophum in politicis; Homo quando secundum rationem operatur est optimum animalium: sed quando declinat ad malitiam est pessimum: quia si declinat propter crudelitatem nulla bestia ita est crudelis. Unde dicit quod decies millies est pejor malus homo, quam mala bestia.* Quæ doctrinæ moralitas, etsi juxta vivendi morem in ordine naturali ortum habeat, cum sumpta sit ab Aristotele, qui gentilis erat, nec præsumptus callaudare vitam hominis rectam, vel detestare pravam, quam juxta naturalem degendi morem, quo commendabantur virtuosè viventes, pravè autem vituperabantur. Adhuc idem in ordine supernaturali, seu gratiæ locum habet, & valet, ut de facto illa usum fuisse Apostolum, indicat ipsum exponens Angelicus, quamque præfulgeat homo imaginem in se Dei gerens, juxta hujus obsequium, rationemque degens, & è contra

quam

Digitized by Google

quam turpis evadat, & horridus, ac pluſquam fera bellua cum impiè degit, nec illi ut Tigris hircana, aut quævis ſeva beſtia comparanda, cum omni conferentia præciſa, immanior ipſe ſit, & infeſtus, quod eſt effigiem in ſe imprimere dęmonis, monſtrique tartarei.

16 Et hinc eandem proſequentes expoſitionem ſuper his, quæ ſcripſit ad Titum de Cretenſibus Apoſtolus, quod forent nempe mendaces, malæ beſtiæ, ventreſque pigri, &c. Subdit D. Thom. *Ventres pigri ideſt pigritiam habentes ex ventre. Erant enim guloſi, & tales quærunt quietem.* Quod ut annotandum relatè ad quietiſtam non erat omittendum. Et eo magis quia cum per ejuſmodi inerte vitium, virtus exul habeat ab homine, juxtà illud quod cecinit in ſua poeſi Petrarca.

La Gola, e 'l ſonno, e l' otioſe piume
Hanno dal Mondo ogni virtù sbandita.

præcipuè per tale vitium, imaginem in ſe ſuſcipit homo teterrimam dęmonis, ſicut è converſo per gratiam, ejuſque virtutes, ſignatum aſſerit Propheta ſuper nos lumen divini vultus, atque decoris. Ad quæ coaptans exemplum, verbo, Gratia, eruditus Petrus Bercorius in ſuo Repertorio inquit. Sicut enim ſpeculum converſum ad hominem recipit ejus imaginem, averſum verò ab homine primam diſpoſitionem perdit, & ejus imaginem recipit ad quam ultimo ſe convertit, ſic anima quando ad Deum per bonam affectionem convertitur, & à Diabolo per peccati diſplicentiam avertitur, tunc imago Dei in ipſa per gratiam generatur: Si verò à Deo per peccatum averſa fuerit, & ad Diabolum converſa, tunc diſpoſitio gratiæ, quam habebat perditur, & tota ipſius ſpecies deformatur. Præfatam autem converſionem, vel averſionem per actum amoris, fieri formaliter apud omnes Theologiæ profeſſores dubio vacat: Amoris inquam qui charitas eſt, cum eſt erga Deum; amoris autem pravè concupiſcentis cum erga Mundum appellit: Ex quo ſequitur per ipſum, qui cauſa eſt unionis, & transformationis, nexum fieri inter amicos, & amantes, nec non cordium converſionem, ſeu transformationem ad invicem.

17 Ad quæ conferenter eloquens Auguſtiſſimus Auguſtinus in Pſalmum 30. ſuper his verbis: *Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus.* de vero amore agens, veroque deſiderio poſt multa ſic ait ad hominem converſus excupientem, eumque quid expetere debeat edocens. *Quid eſt autem animus tuus attende, nè fortè contemnes animam tuum, & putans neſcio quid eſſe vile, & abjectum viliora quæras, quibus beatificetur animus tuus, In animo tuo eſt imago Dei, Mens hominis*

capit

capit eam, accepit eam, & inclinando se ad peccatum decoloravit eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat ejus ante formator: quia per verbum facta sunt omnia, & per verbum impressa est hæc imago. Venit ipsum verbum, ut audiremus ab Apostolo. Reformamini in novitate mentis vestræ. Jam ergò superest, ut quæras quid sit melius, quam animus tuus, quod erit obsecro nisi Deus tuus? Non invenis hic aliquid melius animo tuo, quia cum fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Jam supra non est, nisi Creator. Erige te ad illum, &c. Et post pretiosa complura. *Hoc ama, hoc posside: hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis. Beata gens cujus est Dominus Deus eorum. Noster Deus. Cujus verò non est Deus? Non planè omnium eodem modo. Noster magis, noster, qui vivimus de illo tamquam de pane nostro. Ipse sit hæreditas nostra, possessio nostra, &c.* In quibus, & quamplurimis aliis disertissimis dictis, intimam cum Deo unionem, nec non animi conversionem, præcipuè inferre videtur, nobisque per amorem erga illum suadere conatur.

18 Item ad eamdem inculcandam intrancam transformationem animæ in Deum, ac per consequens cum ipso unionem, imò identitatem, quæ nonnisi per gratiam, ejusque partum amorem intelligi nequit, idem auditur magnus Pater, ac Doctor inter innumeras ejus doctrinæ documenta, inducens tamquam animam, seù vitam hominis ipsum Deum, præsertim serm. 18. de verbis Apostoli, quo sic loquitur. *Præsentia animæ tuæ caro tua vivit: & quamdiù in carne tua præsens anima est, necesse est, ut vivat caro tua. Putas non est aliqua vita, qua vivit ipsa anima tua? Est enim anima vita quædam, qua vivit caro tua. Quomodo autem habet caro tua vitam, videlicet animam, qua vivit ipsa caro tua, sic habet, & anima tua aliquam vitam suam. Et quomodo caro cum moritur, expirat animam vitam suam, sic & anima quando moritur, expirat aliquam vitam suam. Vita cnrporis anima est, vita animæ Deus est. Sæviat igitur inimicus, minetur mortem, occidat corpus, si permittitur, excludat de carne animam suam; modo anima tua non excludat à te vitam tuam. Si enim ille percusserit carnem, tu fugis, tu exis, tu migras: jacet terra in terra, ubi erit, quod animavit terram, quod flatu Dei tibi datum est, ubi erit? Si non efflavit vitam tuam, ideſt Deum tuum, in illo erit, quem non perdidit, in illo erit, quem à se non excluſit. Habes quod agas, ut numquam moriaris. Si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est, vita tua Christus est, vita tua Spiritus Sanctus est.* Quænam autem major unio, vel transformatio, quam quod vita nostra Deus ipse sit, quamque vivere nostrum, divinum ipsum sit vivere Dei? Quod cum per ipsam efficiatur gratiam, ejusque ut Principem virtutum charitatem, ritè dictum est per hæc celica dona in Deum fieri nostram mirabilem Conversionem, suavemque unionem: non autem per Molinicam violentiam.

19 Quam

Digitized by Google

19 Quam item per gratiam, charitatemque unionem, & immutationem, quamque & nos supra innuimus, exprimit idem Sanctus Doctor in Psal. 84. super his verbis: *Ostende nobis Domine Misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Post multa inquit. *Dicamus illi* (puta Deo) *Da nobis Christum tuum, dedit enim nobis Christum, sed hominem, quem novimus, dedit hominem cum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis posset capi ab hominibus. Deum enim Christum: nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, servavit se Deum Diis. An fortè arroganter dixi? Revera arroganter, nisi ipse dixisset: Ego dixi Dii estis, & filii Altissimi omnes. Ad hanc ipsam adoptionem revocamur, ut efficiamur filii Dei, &c.* Quam quidem adoptionem planum est per ipsam Dei gratiam fieri, sicut & ejusdem divinitatis hominum consortem effici, atque participem: quod primordialiter per ipsius Dei incarnationem effectum fuisse credimus, & gloriamur, quoniam ut ipse suggerit Augustinus in quodam Sermone de Natali Domini. *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.* Quorum omnium mirabilium opus nonnisi Dei gratiam ipsam effeciſſe, asseverandum proculdubio credimus, & profitemur, ac inde præstito tam præcelso esse per illam, quod ipsum est, etsi participatum esse divinum, virtutes prodeunt ad agendum, earumque ceu Regina charitas, quarum omnium major est, ac præstantior id efficere formaliter, quod ipsa radicaliter gratia præstat in linea operandi, & ut illarum mater fovet, & præbet.

20 Hanc ergo tranformationem exhibet, eumque Deo unionem, ejus efficaciſſima gratia, ejusque præ cæteris donis pejucundus amor, nec aliud est, sivè sub Cœlo dandum medium, sivè supra, quo nos commutemur in Deum, eique intimè uniamur: Ex quo per consequens infertur, veram indè fieri annichilationem animæ, quæ per ipsam fit humilitatem omnium fundamentum virtutum, omniumque donorum, qua tamquam nihilum nostra pendenda est substantia, esseque nostrum coram Deo, præciſa quacumque in hunc tendendi via, vel semita, eum à nobis statuta dumtaxat via sit, mediumq; accommodum nos ad ipsum ducendi Deum, nec non in eum transformandi, intimèque cum eodem circumplexa cum sponsa osculante anima nostra, prædulcem agendi nexum unionis.

21 Molinos autem, qui ad tantum Cœli splendorem cęcutit, imò prorsus cęcum esse videtur. Inter umbras in quibus jacet errorum, per aliquod fortè lumen, ut fulgur è Cœlo missum vellem inspiceret, quam efformet in homine transfigurationem dęmon ad peccatum inducens, quarum, & innumerum impreſſarū intrinsecus in anima: ac etiamnum extrinsecus aliquando, Deo sic disponente monstruositas apparuit, de qua ex vitis Sanctorum fertur, ut legitur in Triumphis Virginum Sanctarum

Digitized by Google

ctarum Martyrum Agapis, Chionis, & Hyrenæ. Quod cùm Imperator Diocletianus famam perſonãtem audiſſet Sanctitatis ipſarum, accerſitis eis nuptias ſpondens ampliſſimas, divitias, honores, Chriſtum verò abnegantes, Idola colentes, Surdis impius canebat, æreaſque pluſquam colymnas in caſſum contutire adnitebatur: Quare incenſus ira, ut omnium moris erat inſanientiũ Tyrannorũ, Dulcicio eas Præſidi tradidit, ut diris tormẽtis ipſas excruciaret. At cum in hujus conſpectu ſteterunt, captus illicò erga illas amore, cuſtodiendas tradidit, libertatem exhibens, ingentia que munera, ſi ſui expleſſent turpis animi perardentem amorem: At fruſtra ſpondens, inaniterque minis exterrens, per vim ad eas recogitat ingredi, & ita de facto auſus, intra noctu perrexit ad locum ubi orantes Sanctę Virgines, Chriſtum Dominum exorabant in ſui præſidium. At proh Dei maximam, admirandamque potentiam, tremendamque juſtitiam. Quoniam cum in domo, qua clauſæ Virgines morabantur, repoſita eſſent utenſilia coquinæ, ingreſſus ad eam Præſes, cum vellet perficere id ad quod eum ardor libidinis impellebat, alienatus mente, (Deo ſic puniente) cępit ollas amplexari, & Sartagines oſculari, in quibus diù ludificatus, & pollutus, totus niger, & cacabatus, talis apparuit in veſtibus, & in facie, qualis à Diabolo poſſidebatur, & tranformatus erat in animo.

Sic ergò ridiculè exaturatus, ac turpiter deformatus rediens regreſſus eſt ad ſervos, qui eum foras cum luminibus expectabant, viſo eo omnes fugerunt, videntes ipſum nullam habentes corporis partem, quæ non eſſet inquinata, & in partibus ſciſſa: ſtantibus autem Dei ſalvis ancillis, & pſallentibus, quibus nullam penitùs contaminationem potuit per illum afferre Diabolus. Videns ergò Præſes ſe à ſuis Miniſtris ſic eſſe contemptum, neſciens quid ei accidiſſet, noluit in domum ſuam reverti, ſed cępit concito curſu pergere ad Palatium Imperiale inclamans, poſternam me Imperatori, eique clamoribus conquærar, quo pacto in meo munere à ſervis habitus ſim contemptui, ſpretus ab eis, nec non cum irriſionibus me viderim derelictum. Cumque mane apertum eſſet Palatium, & ille ſic ſpureus, obſcęnus, & nigrefactus intrare vellet ad Imperatorem, alii virgis, alii pugnis, alii in ejus faciem inſufflantes eum impigebant, alii quoque ridentes, alii iraſcentes eum expellebant, ita ut vix potuerunt eum ſervi ad ſuam domum perducere dicentes. Reſpice te, reſpice te. Clauſerat enim Diabolus (Deo ſic permittente) oculos ejus, nec poterat ad ſeipſum attendere, ſed videbatur ei, quod totus mundus eſſet albi coloris, benè punitus eo quod Dei Virgines pravo mentis oculo reſpexerat, & affectavit. Verum hac pœna minimè reſipiſcens, reputans Virginum maleficiis illud ſibi eveniſſe, coram publico Tribunali, juſſit eas expoliari, ut corpora eorum nuda reſpiceret, ut ſaltem ſatiarentur in

Digitized by Google

illis oculi, non exsaturata cupidine: sed ita fixæ inventæ sunt vestes earum, ut quasi coria corporibus juncta putarentur. Hæc videns tandem Præses, & consternatus, ita obdormire cepit in Tribunali, ut nec à pulsantibus excitari posset: Unde sic dormiens sublatus est in domum suam, & ibi evigilavit. Virgines autem alteri traditæ Præsidi post plurima prodigia, palmam denique Martyrii gloriosè gesserunt in Cœlis.

22 Ex quarum ita vita prodigiosa contra Sathanam, ac victrice peracta, illud nobis attendendum infertur pro quanto ad rem pertinet nostram, ut agnoscamus, quam in homine transformationem dæmon efficiat, quamque, utpotè cordium deformator imaginem turpem imprimat, utque sui similem inducat. Quam ulterius effigiem horribilius expressit in quodam luxurioso homine, de quo in speculo legitur exemplorum, quod post mortem, visibiliter apparuit cuidam mulieri cum qua inter cæteras, rem habere consueverat, quam voce rauca, & absona alloquens, quæsivit ab eo mulier causam raucedinis, & rusticitatis vocis. Respondit ille. Quia in vocis dulcedine gloriabar in hoc mundo vivens, lascivas decantando cantilenas. Cujus cum crura nigerrima, & scabiosa vulceribus plena apparerent: quærenti mulieri causam: miser ille subjunxit: quia multum de illorum pulchritudine delectabar, more militari illa extendens, ac superbè, & eleganter exornans, nunc inter spinas gradior, & crucior vulneratus in illis. Iterum quæsivit mulier: Quis est reliquus tui corporis status? At ille: Aperi oculos tuos, & vide, & projecto pallio à pectore, quo amictus videbatur, vidit illa permagnum Bufonem, & teterrimum pectori ejus inhærentem, ita ut bracchiis ejus collum suum ori ejus jungeret, cujus etiam venter per ventrem ejus dependebat, pedibus ejus, genitalia quasi quibusdam loris constringere, & ligare videbantur. Requisitus quare hoc pateretur: respondit. Pro osculis lubricis, quibus te, & alias mulieres osculatus sum, hęc patior, & pro opere libidinis in genitalibus acriter crucior. Cum denique mulier quæreret utrum nè ab illis pœnis posset liberari? Respondit amarè inclamans. Noli pro me orare, quia nihil mihi proderit, eo quod æternaliter sum damnatus, & hoc ideo, quia medicinam pœnitentiæ neglexi. Et hoc dicto disparuit. Mulier autem ex his admonita, Monasterium ingressa, pœnitentiam egit.

23 Ecce quam effingit in homine, imò sculpit imaginem dæmon, quamque cum sic horrida specie, pœnas arguit, & affert quod ità in omnibus farendum est affectis ejus, qui sicut ejus iniquitatem imitati sunt, ità, & similitudinem assequentur: è regione verò gratia Dei perornati, sicut ejus bonitatem prosequuntur, ita & ejus formositatem consequentur. De qua divina venustate, Divus Hieronymus lib. 2. in commentariis in Marcum cap. 16. inquit, super illa verba: *Vos autem*

quem

Digitized by Google

quem me esse dicitis. Prudens Lector attende, quod ex consequentibus, textuque sermonis. Apostoli nequaquam homines, sed Dii appellantur, cum enim dixisset. Quem dicunt homines esse filium hominis: subjecit: Vos autem quem esse dicitis? Illis quia homines sunt humana opinantibus: vos qui estis Dii, quem me esse existimatis? Perspicuum est autem Deos appellari Apostolos virtute gratiæ Dei, per quam amicis Christi effectis, ejus ut alter ego divinitatem gerere eo pacto, quo participari potest ab homine, meruerunt: Undè perfracta remanet quadragesima sexta Propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.



Digitized by Google

CAPUT XLVII.

Quadrageſima ſeptima Propoſitio Molinos. *Quando vengono queſte violenze, biſogna laſciar fare à Satanaſſo, ſenza uſare propria induſtria, nè propria forza: mà ſtarſene nel ſuo niente, & ancorche ſuccedino polluzioni, & atti oſceni con le mani, & anche coſe più ſtrane, non biſogna inquietarſene, mà laſciar fuori li ſcrupoli, li dubii, e le paure, perche l' anima diventa più illuminata, più fortificata, e candida, e ſi acquiſta la ſanta libertà. E ſopra tutto non biſogna confeſſarſene, e ſi fà ſantiſſimamente à non confeſſarſene, perche così ſi vince il Demonio, e ſi guadagna un teſoro di pace.*

Oppoſitum ex adverſo dictum.

Damoni tentamentis urgenti, obnixè occurrendum eſt illi.

1 MIlitia eſt vita hominis ſuper terram, vulgatum eſt illud Job. 7. usque repetunt alii: Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Et ita quidem, ut à prima ſui ortus ætate, uſque ad ſuum probat occaſum. Probat Sol ipſe, qui ex quo oriens initia Zodiaci attingit, gradiens indè ad Cœli ſolus circumeundum girum, ut periodos compleat, perficiatque ſuo curriculo fata, cum belluis dimicat, acceli Magni labores Alcidis, monſtra domando explet. Inſtar itidem Solis, quis ipſum non inſpicit hominem cum hoſtibus decertantem, ex quo oriens in orbem prodit, uſque ad ejus ex confinibus exitum? Percurrit Sol ſui curſus Caridromum. Arietes obviam habens, Tauros, Cancros, Leones, Dracones, Scorpiones, Sagittarios, Capricornos, nec non pervias aliarum imaginum occurſationes, & objecta: Cum Feris, & præcipuè tartareis bella gerit, ex quo lucem delibare inchoat homo, juxtà quod ad Epheſ. 6. prænonet Apoſtolus inquiens. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem. Sed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Unde illius patitur impulſus Arietis, de quo annotat Daniel 8. dicens. *Vidi Arietem cornibus ventilantem, & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere.* Ad impetus exponitur horribiles, & tali pacto Taurorum, quod clamare queat cum Davide tremens Tauri pingues obſederunt me. Ad declinandum ſi quod egit à bono ſe in diſcrimen adducit cum ad Cancrum accedit; Cancer enim quod eſt animal retrogradum, hominem indicat, qui per vitia retrogradi-

tur,

Digitized by Google

tur, & peccata, ad quod inducere munus est, studiumque Diaboli. Et quis eum eripere; quam Deus valens erit, nè ab illo dilaceretur perhorrendo Leone, qui famelicus circuit quærens, quem devoret hominum? Quis ab illo eximere Dracone potens; nè ab ejus tetro halitu inficiatur, ac insaturabili gurgite glutiatur? Quis ab illo detestabili removere poterit invido Scorpione, cujus cruciatus enecat cum percutit hominem, ut prospexit in 9. suę Apocalypsis Joannes. Transfodient eum, si cęlico non erit Clipeo tectus, Sagitta ii infernales, ac Saule miserius interibit vulneratus ab illis. Demumque ad impetus Capricorni corruet, nec non omnium occursantium hostium furentes subjacebit ad ictus; nè ejus bracchio tueatur, ad cujus intuitum cuncta contremiscunt monstra tartarea. Ad quorum coercendam audaciam, subdit Apostolus ad ex ipso relata in præcitato. *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti State. State ergò succinti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, &c.*

2 Quid plura per Apostolum, ad erigendum, cèu per exercitus perorantem Ducem, animum hominis, pro strenuè contra dęmonis tentamenta bellando? Virtutum enim suggerit arma, Gladium fatale porrigit Verbi Dei, utque hoc auspice tropheis erectis, victoria de hostibus reportetur, & palma, medium orationis indicat, & imprecationis ad illum de cujus manibus Coronæ prodeunt, ac præmia triumphantibus impartienda. Quam autem opportuni sint contra tantum hostem bellici apparatus in homine, D. Th. ostendit super idem Apostoli ad Ephes. 6. necessitatem arguens, & primò per ipsius potentiam, & calliditatem hostis. Secundo ex qualitate quam debemus contra ipsum tractare armorum. Tertio per fiduciam in Christum, ut nostrum Ducem firmiter habendam. *Describit autem Apostolus insidias.* (explicat D. Thom.) *Quia quando aliquis hostis imminet si sit debilis, stultus, & hujusmodi non est multum cavendum, nec timendum de eo. Sed quando est potens: nequam, & callidus, tunc est timendus. Hæc tria sunt in Diabolo. Primò quia non est debilis. Et propter hoc dicit, quod non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, &c. Quod intelligitur, vel quod non tantum contra illa, sed etiam contra Sathanam, vel quod principaliter adversus dæmonem sit colluctatio, vel bellum: non autem hoc pacto contra carnem, & sanguinem, sed tamquam inimicos à superiori movente motos, scilicet à Diabolo. Consequenter describitur à potentia: quia adversus Principes, & potestates tenebrarum harum: dicitur autem dæmon Princeps mundi non*

crea-

creatione, sed imitatione mundanorum, vel dicitur Princeps quasi primatũ capiens, Principes quasi primi duces ad aliquid. ad potestatẽ autẽ pertinet justitia exercere. In quantum ergò aliqui dæmones inducũt aliquos ad rebellandũ Deo dicuntur Principes. In quantum verò habent potestatem puniendi illos, qui eis subjiciuntur, dicuntur potestates. Sunt ergò & potentes, & magni, ideò habent magnum exercitum, contra quem habemus pugnare adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, scilicet peccatorum, juxtà illud eratis aliquando tenebræ, &c. Quia quidquid est tenebrosum totum est de ordine istorum, & subjectum eis. Glos. Mali homines, qui sunt Diaboli, hi equites, ergò occidamus equites, & equos possideamus. Sunt etiam nequam, & astuti. Quia contra spiritualia nequitiæ, ideſt contra spirituales nequitias emphaticè loquendo, per quod intelligitur plenitudo nequitiæ. Dicit autem spiritualia nequitiæ: quia quanto est altior secundum naturam, tanto quando convertitur ad malum, est pejor, & nequior. Undè Philosophus dicit, quod homo malus est pessimus animalium. Et ideò dicit spiritualia nequitiæ, quia spirituales, & nequissimi sunt. Et dicit in cœlestibus duplici de causa. Vèl ut ostendat virtutem, & avantagium quem tangit, super audi nos; quia nos in terra, ipsi autem in alto, scilicet in aere isto caliginoso: & ideo habent partem meliorem. Vel dicit in cœlestibus, quia pro cœlestibus est ista pugna, & hoc debet animare nos ad pugnam.

3 Sic ergò spectata Sathanæ potentia, cujus intrepidè, strenuèque occurrendum est insidiis, transit ad armorum usum, & qualitatem Sanctus Doctor, & ita super Apostolicum Textum prosequitur. *Supra exposuit Apostolus, quod dictum est de insidiis Diaboli: hic monet nos de armatnra sumenda. Et circa hoc facit duo. Primò concludit ex præmissis armaturæ necessitatem; secundò armorum diversitatem describit. Dicit ergò, habetis hostes malos nequissimos, & potentes, & pro re ardua pugnantes: quia pro cœlestibus: Propterea accipite armaturam Dei, ideſt armemini spiritualibus armis, & hoc, ut possitis resistere. Quod agendo victores eritis, videtur subsumere D. Jacobus in 4. dicens, resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Quanto magis enim ei ceditur, tanto plus insequitur.* Quod annotandum expressè contra id quod ait Molinos, *che nelle violenze bisogna lasciar fare à Satanasso, senza usare propria industria, nè propria forza, &c.* Quam inertiam, ut omni aspernatione dignam, ostendemus insuper ex his, quæ prosequitur pro necessitate armorum contra dæmonem D. Thom. cum Apostolo coohortando fideles. *Item accipite non solum ad resistendum, sed etiam ad perficiendum, & in omnibus perfecti State, ideſt in adversis, & prosperis immobiliter State.* Veram profectò suadentes strenuitatem Militis, cujus est neutiquam hosti cedendo, stare firmiter in sua statione, aut ex hac decertans in adversas progredi hostium, de his victricem consequi palmam, ut legitur egisse audaciſſimè Jonatham filium

filium Saul cum armigero suo 1. Reg. 14. & Jacob. 1. *Sitis perfecti in nullo deficientes.*

4 Præterea ad diversitatem transiens armorum, quæ necessè sunt ad pugnandum contra tartareum hostem, exponens inquit Angelicus Doctor. *Quod est triplex genus spiritualium armorum ad similitudinem corporalium: Quorum quædam sunt similia indumendo ad tegendum: quædam verò ad protegendum: & quædam ad impugnandum. Indumento autem tria sunt necessaria. Primò quod cingatur, & quantum ad hoc dicit Apostolus, state ergò succinti lumbos vestros, &c. Sed prius induit se homo, qua se cingat. Apostolus autem accipit hæc secundum ordinem armaturæ spiritualis. In bello autem spirituali priùs est necesse concupiscentias carnis restringere: sicut vicinus hostis est prius vincendus: hæc autem fit per restrictionem lumborum, in quibus viget luxuria, quod fit per temperantiam quæ gulæ, & luxuriæ contrariatur. Lucæ 12. sint lumbi vestri præscinti, &c. Job. 38. accinge sicut vir lumbos tuos, &c. Sed in veritate ideſt in rectitudine intentionis, non simulatè. Alia littera habet, in charitate. 1. Cor. ultimo. Omnia vestra in charitate fiant: Secundo monet vincere cupiditates rerum. Duplex autem invenitur armatura contra eas, scilicet justitia, & abrenunciatio rerum temporalium. Et ideò primò præcipit, ut eas non injustè usurpemus, quod facit justitia. Et ideò dicit; Induite Loricam justitiæ, scilicet per quam homo abstinet à rebus alienis. Dicitur autem justitia Lorica: quia sicut Lorica tegit membra: ita justitia virtutes omnes. Sap. 7. Induet pro Thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum. Item ut rerum temporalium curam deponamus: quia dum his nimis intendimus non habemus pedes paratos ad divina negotia, & mysteria annuncianda, & propter hoc dicit, calceati pedes, ideſt affectus dispositi in præparatione Evangelii pacis.*

5 *Item secundò sunt arma ad protegendum. Duo autem in nobis sunt protegenda, quæ sunt principia vitæ, scilicet pectus, in quo est cor: & caput in quo est cerebrum. Pro pectore autem est scutum. Et ideò dicit, in omnibus sumentes scutum fidei: quia sicut scutum supponitur omnibus armis: ita fides omnibus aliis virtutibus. Alia sunt enim arma virtutum moralium, scilicet temperantiæ, ideſt succinctio lumborum: & justitiæ, ideſt induitio Loricæ: Sed hoc genus armorum, scilicet scutum est virtutis Theologicæ, scilicet fidei, quia per scutum repelluntur tela: Ita per fidem omnia contraria, & habetur victoria. Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt Regna: per virtutes autem morales vincimus potestates terrenas, Et ideò dicit, in quo possitis omnia tela ignea iniquissimi extinguere, scilicet Diaboli. Cuius tela sunt quædam immissiones per Angelos malos. Ignea sunt: quia adurentia pravis concupiscentiis, psal. Supercecidit ignis, &c. Hæc autem per fidem extinguuntur, quæ tentationes præsentes, & transitorias extinguit per bona spiritualia æterna, quæ promittit sacra Scriptura. Undè Dominus*

Matth.

Digitized by Google

Matth. 4. Diabolo tentanti opponebat auctoritates sacræ Scripturæ. Et sic debemus facere: Si tentat de gula. Secundum illud Deutor. 8. Non in solo pane vivit homo. Vel illud. Non est Regnum Dei esca, & potus Rom: 14. Si de luxuria. Non mechaberis. Si de furto. Non furtum facies. Et sic de aliis. Dicitur autem scutum fidei: quia sicut scutum protegit totum pectus. Ità fides debet esse in pectore. Spes autem dicitur Galea: quia sicut Galea est in capite: Ita caput virtutum moralium est finis, & de hoc est spes, scilicet de fine. Et ideò dicitur, & Galeam salutis assumite.

6 *Item tertio sunt arma ad pugnandum: quia non solum sufficis se defendere, sed etiam adversarium impugnare.* Undè de Scipione Africano legitur, quod cum vidisset Militem valdè de pulchritudine Clypei delectari, objurgans illum de sua vanitate dixit illi. Pulcher est, ò Juvenis Clypeus, at Militem Romanum decet, magis in dextera, quam in læva spem collocare. *Hoc autem sicut fit per gladium corporaliter: ita per Verbum Dei: quod est Spiritus Sancti spiritualiter. Et propter hoc dicitur. Et gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, scilicet assumite. Hebr. 4. Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens, usque ad divisionem animæ, & spiritus. Et prædicatio dicitur gladius spiritus: quia non penetrat usque ad spiritum, nisi ducatur à Spiritu Sancto Matth. 10. Non vos estis, qui loquimini: Sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

7 His igitur de armis, eorumque varietate contra dæmonem tractandis actis, ità ipsemet pro nobis perorans, inquit Angelicus Doctor. *Sic ergò habemus arma, quibus defendamur à carnalibus hostibus, scilicet à gula, & luxuria, quod fit per temperantiam. Item quibus vincamus cupiditates terrenas, scilicet arma iustitiæ, quæ abstinere nos faciunt ab illicitis. Et puritatem affectus, seù paupertatem, quæ nos retrahit etiam à licitis. Item habemus arma quibus protegamur ab erroribus, scilicet arma fidei. Et etiam ab hostibus generis humani. Item habemus arma quibus in bonis spiritualibus confirmamur, scilicet arma spei. Item habemus arma ad impugnandum ipsos dæmones. Scilicet gladium spiritus, quod est Verbum Dei, quod fit frequenter in sermonibus, in quibus Verbum Dei penetrans corda peccatorum, expellit congeriem peccatorum, & dæmonum.*

8 Hoc autem armamentarium contra nequissimum humani generis hostem, otiosum foret in homine juxta Molinos intentum, ac indè velut ad parietem ignaviæ suspensum, rubigine inertiæ consumptum denique deperiret: quo pacto frustrà tributæ nobis essent à Deo virtutes, inaniterq; de suę bonitatis munificentia dona, vel habitus ad operandum, & ad nequitiam tartarei repellndam hostis arma porrecta: quod quam insaniæ sapiat, disquisitione non eget. Quam verò aliunde paratum ad nos armis instruendos Cęlum adsit, inter innumeras, figura da-

Digitized by Google

datur in 2. Maccab. cap. 15. ubi ad magis, magisque animum excitandum in hostes, fortissimi illius viri Judæ Macchabæi, gladius ei de Cœlo porrigitur per manus Sancti Prophetæ Hyeremiæ. Et ut ibi fertur, visum est præfato heroico Duci, extendisse Hyeremiam dexteram, & dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: *Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Qua cœlica visione pectora bellatorum magnanimo sermone confortans ipse Judas, cordaque incendens, hostiles evertit impetus inimicorum, deque ipsis palmas tulit ingentes. Figura profectò qua irradians in nostris cordibus Dei verbum, gladius fatalis datur quo instructi, legiones debellare, & validè valemus tartareas; cumque aureus sit ipse cœlicus gladius, charitas una cum ipso fervet, ac proindè reliquæ nitent universæ virtutes, quibus ut armis præmuniti sydereis, obsistere viriliter Sathanæ possumus aggredienti, ipsumque virtò prosternere. Et quamquam horrifica sit ejus potentia, sicut & præsentia, ut Job. cap. 41. descripsit eum, nosque supra num. 2. retulimus cum Divo Thoma. Nihilominus non est, quod multum eum pertimescamus, & quidquid de ipsius sit potestate physica, quæ tamen à Deo est benè cohibita, & catena constricta magna, verumtamen in moralibus, cum ex nostra dependeat voluntate omnis ejus de nobis acta victoria, quam modicam debemus ejus æstimare virtutem, memores illius Divi Gregorii; *Debilis est hostis, qui non vincit, nisi volentem.* Quod planum est, eo quod dæmon nullatenus voluntatem cogere potest, cum hoc contra rationem ipsius sit voluntatis, ut apud omnes constat Theologiæ Cultores, nec alio pacto valet, quam moraliter illam movere, idest proponendo objectum, suadendo, alliciendo, &c.

9 Cum hoc autem planè dignoscatur ab ipso, quamque vis ejus enervetur ex hominis obsistente, sepiusque invicta voluntate, nititur ad eam toto conatu evincendam, quare omnigena pertractat arma, argumenta commentat, retes contexit, laqueos parat, pro tam expetita ab ipso captanda præda. Undè Petrus Ravensis super illud Marci 4. ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à Diabolo plura de illo congerens ait. *Diabolus mali actor, nequitiæ origo, bonorum hostis, corruptor seculi, semper hominis inimicus, laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpus, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amoris, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, & divina tentat.* Excogitari nè poterit monstruosior hac Idra, bellua ulla numquam ex Lybicis erupta desertis? Poterit nè fortè phantasiari monstrum informius, quam hoc de sinu exortum abyssi? Scatere visi sunt aliquando ex pestiferi lateribus Laci verminosiores rivuli, quam ex faucibus hujus Orci inspiciuntur evompti? Optimè igitur salubrique consilio exhortatur

Digitized by Google

Apostolus accipere armaturas ad obviandum tanti hostis insidiis, qui Dei permissu, aut secundum ejus justa judicia, ut D. Thom. inquit, 1.p.114. a.1. plurima contra nos agere damna potest, perpetuoque postremum moritur interitum.

10 Itaque ut Divus item dicit Ambrosius in Hexameron. lib. de Paradiso cap. 12. cum multiplicia sint tentamenta Diaboli, ac inde multiplex genus ejus tentandi, multiplexque bellantium, rectè injunctum est per Apostolum, armaturas accipere, quæ ipsæ sunt virtutes, divinaque auxilia, de Cœlo ea de causa tributa, ut Sathan opprimatur, vitia subigentur, eorumque evertatur armamentarium. In tribus enim ordinibus distinctus est dæmonis exercitus (ut non semel innuimus) in carnis puta voluptatibus: in Mundi cupiditatibus, nec non in ipsius elationibus animi, ut Divus approbat Ioannes Apostolus in 1. cap. 2. *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, quod agmen præsignatum in 1. Regum cap. 13. habetur in eo, quod dicitur. *Egressi sunt de Castris Philistim ad præliandum tres cunei*. Quot autem cum his præliantibus Sathan bella gesat, quotque tulerit palmas, coronasque triumphales, Angelos, hominesque prostrando, ac proinde Cœlum, orbemque evertendo terrarum, non est quod in memorando, immoremur in ipsis, cum decantata per angulos resonent omnes Universi.

11 Verum in his ipsis dæmonis, etsi acerrimis pugnis, ejus itidem belli offensiones, jacturasque contueri debemus, Sanctorumque omnium per consequens de acri hoste devicto laureas immortales: Unde ad ipsorum exemplar sermonem agens Magnus Pater Augustinus super psalmum 127. sic fatur ad Fratres. *Quod ergo est Fratres bonum illud quo accendimur, cui suspiramus, quo inflammamur, propter quod adipiscendum, & videndum, tantos labores sustinemus sicut audistis cum legeretur Apostolus, quia omnes, qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur? Non enim modo, quia Diabolus per Reges non sævit, ideò Christiani non patiuntur persecutionem. Si mortuus est Diabolus, mortuæ sunt persecutiones: Si autem ille adversarius noster vivit, undè non tentationes suggerit? Undè non sævit? Undè non minas, aut scandala procurat? O si incipias piè vivere, videbis quia omnis, qui vult piè vivere in Christo, persecutionem patietur. Propter quod ergò patimur tantas persecutiones? Si enim in hac vita, tantum in Christo operantes sumus, ait Apostolus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Propter quid damnati sunt ad bestias Martyres? Quod est illud bonum? Dici potest? Undè? quæ lingua dicat, & quæ aures audiant? Et quidem illud, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Amemus tamen, & profiteamur. Videtis enim quia pugna non desunt, & pugnamus cum concupiscentiis nostris. Pugnamus foris cum Infidelibus, & inobedientibus hominibus: pugnamus intus cum*

sug-

Digitized by Google

suggestionibus, & perturbationibus carnalibus. Ubique pugnamus adhuc; Bonum nostrum, cui suspiramus pax erit, &c.

12 Ad quod pacis æternæ, permagnum bonum, firmo corde sperandum, sic idem Sanctus Doctor animos incendens hortatur inquiens in psalmum 145. *Non nos deserat spes in ista peregrinatione, & tentatione; in istis improbitatibus, & insidiis inimici, circumstrepentibus, undique tentationibus seculi. Non nos spes deserat, unde in laboribus, & angoribus constitutis. &c.*

13 Item super psalmum 148. ad idem verba dirigens, & constantiam in perpessionibus belli perurgens, sic fideles alloquitur. *Contendunt nobiscum quotidie tentationes, contendunt nobiscum quotidie delectationes, & si non consentiamus, tamen molestiam patimur, & contendimus, & magnum periculum est, ne qui contendit vincatur. Si autem non consentiendo vincamus molestias tamen patimur resistendo delectationis. Non cessat, & non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum. Sed præsumamus, fidamus, &c. Securi estote non quidem in istâ peregrinatione vitæ hujus: sed quomodo hic agatis videte, &c.*

14 Ad quæ proficui tanti Patris hortamenta, aciem cordis intendens, ac perurgenti hosti obsistendo fidelis anima propugnat: ò quam glorioſæ parantur, ei de Cœlo coronæ; quam præcelsæ, ut triumphanti sunt Laureæ contextæ. Sidera, quæ ad illas deserviunt instruendas, cœli cœlicæ linguæ præconia concinunt: Cœlum quinimò totum quod ad illam exornandam sua lumina præbet, consonum enarrando resonat ejusdem gloriam in æternitate concentibus. Et ita perinde, nec secus si contra Sathanæ tentamenta gerens anima fortis, illuminata remanet, ac magis, magisque candore micans, fortitudine valida, venustate refulgens, ac serenitate clarificata cordis, libertateque gratiæ festiva, donis ei è divina munificentia tributis tranquillo corde perfruitur, pro quanto tamen patitur hujus præsentis vitæ status, quod est nonnisi imperfectè de fructibus divinæ gratiæ gaudere, cum ipsorum perfectum gaudium in visione ipsius divini Largitoris tantum existat. De quâ ejus in hac vita imperfecta attingentia D. Gregorius Papa in Job. cap. 23. sic inquit. *Factum est silentium in Cœlo quasi dimidia hora. Cœlum quippè Ecclesia vocatur electorum, quæ æterna, & sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo, dum cogitationum tumultuosi se strepitus inferunt, etiam sublimibus intendentem rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt, undè scriptum est. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Benè ergò factum hoc silentium, non integra, sed dimidia hora describitur: quia hic contemplatio ne-*

quaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur, &c. Ex quibus, & imperfecta reliqua consequentia dicas gaudii, fortitudinis, strenuitatis, illuminationis, & hujusmodi Dei gratiæ consequentium fructuum, &c.

15 Ejusmodi autem animæ illuminatio, non ex illicitis turpibusque actibus, ut stulte Molinos imaginatur, oritur, bene verum ex divino Patre luminum, à quo, ut ex omnium fonte illuminationum, lux effluit, ac veritas in cunctis Angelorum, hominumque ordinibus, quamobrem ad ipsum, ut illam irradiet, confugiendū est firma fide, spe q; constanti. D. exhortatur Augustinus in psal. 41. super his verbis: *Quemadmodū desiderat Cervus ad fontes aquarum, &c. Quoniam apud te est fons vitæ. Ipse enim fons est, & lumen. Quoniam in lumine tuo, videbimus lumen. Si & fons est, & lumen est, meritò, & intellectus est: quia & satiat animam avidam scientia, & omnis, qui intelligit luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. Est ergò Fratres quædam lux intus, quam non habent, qui non intelligunt. Undè jam eos, qui desiderant hunc fontem vitæ, & inde aliquid carpent, alloquitur Apostolus, obsecrans, & dicit: Ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati in via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.* (Verba profectò adhuc & ipsum ferientia Molinos, utpotè in eundem, ac gentium lapsum errorem) *Si illi obscurati sunt intelligentia, id est quia non intelligunt, obscurantur; ergò qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontem, desidera aquarum fontem. Apud Deum est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quendam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem, sed noli ut cumque, noli ut qualecumque animal currere, ut Cervus curre, &c.* Ad quem tandem deveniens, cum ad omnium bonorum fontem pervenias, quis ambigit reliqua cuncta dona, & fortitudinis, & libertatis, & candoris, omnisque tranquillitatis fis obtenturus?

16 Ad hoc ergò lumen, tantumque fontem recurrens Apostolus exorabat, ut de acerrimo vexante ipsum hoste eriperet: Undè prospiciens illum sic decertantem Divus Augustinus in psalmo 83. *Magna lucta*, inquit, *& evadendi magna desperatio, nisi subveniat id, quod deconsequenti ait. Infelix ergò homo. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, &c.* Hac enim auspice strenuè cum adversario bellantes debellare necessum est ipsum; sub hoc Duce lumine, tenebras effugere nobis est inferas: subque tanti ductu Ducis decertare pro reportanda opus est victoria de Sathana. Quocirca rectè subdit D. Pater Augustinus, quod magna desperatio de manu evadendi foret inimici impugnatis, nisi Dei gratia subveniret,

Undè

Digitized by Google

Undè legitur in vitis Patrum, de quodam ex ipsis, qui aliàs in seculo uxoratus, abducere se de Mundo statuens, relicta uxore in Eremum se inde recepit. At ibi aggrediens illum vehementissimo carnis stimulo Angelus Sathanæ, acriter angebatur, & quia operarius erat, & robustus, ad eum debilitandum, carnisque vim infirmandam, cognita per os ejus, suæ vexationis causa, magis, magisque gravibus in laborando onerabant illum operibus seniores, talique pacto, ut tandem prorsus deficeret, & infirmatus elanguendo jaceret, ita ut nec adhuc ad surgendum vim de stratu haberet. Stimulus autem carnis vegetior quasi factus, & ardentior ex jacturis ipsisque perpessionibus, ardentiùs, acerbiùsque infestabat. Contigit Deo sic disponente, ut per illuc casu transiret quidam de remota quadam alia solitudine Pater, qui cum ostium Cellæ infirmi vidisset apertum, ingressus, causamque infirmitatis exposcens, quid habes, inquit Pater, quare sic penè mortuus jaces? Qui narravit ei dicens. Ego de seculo huc veni, ad alium vivendi ordinem peragendum, & mundo, uxoreque relictis, non aliud, quam mihimetipsi soli intendere cogitavi: At hic jamdudum immoranti, prælium in me commotum acerrimum à dæmone, molestia me afficit, & maximè per uxoris meæ objectam imaginem, & quantumlibet operibus gravarer in laborando, corporisque labefactarem vigorem, non inde tamen extinguitur, vel decrescit stimulus carnis, quinimò plus ardet, ferverque ferociùs. Quo audito Pater ille, ejusque tolerantiam miratus, dixit ei. Benè Patres egerunt, præmere te laboribus causa mortificandi corpus, utque cum Apostolo, castigarent illud, atque in servitutem animi redigerent: At si verè cum Apostolo vis vitam agere, audi me paulisper, & certè sanaberis ex omni liber angustia. Iacta cogitatum tuum in Domino, pete super omnia auxilium ejus, sume cibum, reficere, noli sic negligere corpus, ut putrescat, sic tracta ut stet, velut enim vestimentum nostrum est illud, nec non ut animæ instrumentum, Comede igitur, & conforta te, quantum sat est labora, primoque in Deo confide, ejus efflagitando auxilium, quoniam tuo labore dumtaxat opus hoc reprimendi stimulum carnis, nequaquam unquam poteris superare. Qui cum hæc audisset, fecit ita, & intra paucos dies recessit ab eo stimulus carnis. Quo datur intelligi, quod tentatio carnis non tam nostro labore devincitur, quam divino auxilio, quoniam sub isto militandum semper est, & propugnandum contra spiritum fornicationis, & immunditiæ. Quare sapienter Divus commonet Augustinus ad fontem divinæ gratiæ recurrendum, à qua ducti, & qua illuminati cum hoste dimicantes triumphabimus, ejusque cœlestibus præmuniti præsidiis, insidias inimici, evertemus, & moles: nec alio pacto Sancti omnes, pœnitentiæque Magistri ad carnis mortificationes cohortantur, & cruces,

17 Mo-

Digitized by Google

17 Molinos autem, qui hujusmodi renuit induci armaturis, ac ut lucifuga lumen illud effugit, quod ut sol tam ignaris, quam gnaris manifestum est omnibus, & exhibetur, in tam ingentium inepiarum, ut intrusus in tenebris, sæpè sæpius offendit, & fæculentus se in luto permiscés inquinatum ostendit. Cum enim per quandam quam reputat inferri nobis violentiam à dæmone, contentionem huic nullam afferat apponendam, jam illi se spiritui dicare videtur, qui per loca, perambulans immunda, sic & suos expetit asseclas, ac ut sibi similes immundos efficit, & infectos. Ex quo in deterius lapsus inspicitur Molinos absurdum. Quoniam ut ipse hic, & in quadragesima prima propositione fatetur, actus obscœnos, peccata minimè fore, ac inde nec necesse confiteri de ipsis: in errorem illorum incidisse convincitur, qui dicebant peccata nuncupata carnalia, peccata non esse, ut libentius decipere possent, à quibus, scribens Apostolus ad Ephes. 5. admonet præcavendum dicens. Nemo vos seducat inanibus verbis, &c. Quod exponens D.Th. lect. 3. *Notandum* (inquit) *quod in vitiis carnalibus docuit Apostolus cavere seductionem, quia à principio, ut homines possent liberè frui concupiscentiis, Cogitaverunt invenire rationes, quod fornicationes, & hujusmodi venerea non essent peccata.* Quod quam sit, fatuumque, jamque declaratum, ut hæresis, ostendit Angelicus ipse Doctor ibidem docens. *Quia nisi peccata carnalia, non essent peccata, non punirentur à Deo: Quia cum Deus sit justus, non infligit pœnam sine culpa. Nunc autem talia, puniuntur à Deo. Ergò peccata sunt. Minorem probat ipsemet Apostolus cum dicit. Propter hæc enim venit ira Dei, scilicet propter peccata carnalia in filios diffidentiæ, ut patuit in diluvio Gen. 6. Item in sodomitis Gen. 19. Item Tribus Beniamin ferè tota consumpta fuit propter hæc. Judicum 20. &c.* Ex his autem, quæ ex textu sequuntur Apostolico, ac Divi Thomæ expositione, ideſt. *Nolite effici participes eorum communicando, scilicet in talibus operibus puta carnalibus. 2. Cor. 6. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras: aut quæ communicatio Christi ad Belial: aut quæ pars fidelis cum infideli? &c.* Trahere possumus, & nos pro re nostra consequentiam videlicet: quod sicut Apostolus inhibuit fidelibus nè societatem aliquam, vel commercium cum carnalibus illis seductoribus haberent, eorumque cauti se cavere ab operibus: sic & nos ergò à Molinica debemus, utpotè eodem polluta errore, nos præcavere nequitia.

18 Ad quam amplius evitandam, salubre inter innumera datur ex Angelico Doctore cum Apostolo monitum; quod nempè carnem sequi est sequi mortem; sequi spiritum est sequi vitam. Unde super illud ad Rom. 8. *Prudentia carnis mors est: Prudentia autem spiritus vita. Quicumque sequuntur prudentiam carnis ducuntur ad mortem quicumque sequuntur prudentiam spiritus consequuntur vitam,* Quo verò pa-

Digitized by Google

pacto carnis cupiditas dicatur prudentia, ducarque ad mortem. *Ad cujus intellectum oportet scire*, (docet ibidem Angelicus,) *quod prudentia est recta ratio agibilium, Philos. in 6. Ethic. Recta autem ratio agendorum unum præsupponit, Et tria facit. Præsupponit enim finem, qui est sicut principium in agendis: sicut & ratio speculativa præsupponit principia, ex quibus demonstrat. Facit autem recta ratio agibilium tria. Nam primò rectè consiliatur. Secundò rectè judicat de consiliatis. Tertio rectè, & constanter præcipit, quod judicatum est. Sic ergò ad prudentiam carnis requiritur, quod aliquis præsupponat pro fine delectabile carnis, & quod consilietur, & judicet, & præcipiat ea, quæ conveniunt ad hunc finem. Undè talis prudentia est mors, ideſt causa mortis æternæ. Gal. ultimo. Qui seminat in carne, de carne, & metet corruptionem.* Hinc ad prudentiam è contra spiritus deveniens inquit. *Quod secundum prædicta spiritus dicitur, quando aliquis præsupposito fine spiritualis boni consiliatur, & judicat, præcipit quæ consiliantur convenienter ad hunc finem. Undè talis prudentia est vita, ideſt causa gratiæ, & gloriæ. Gal. ultimo. Qui seminat in spiritu de spiritu, & metet vitam æternam, &c.*

19 Præfato itaque carnis inspecto mortifero fructu, nec non perspecta, Molinica inertia in obsistendo dæmonis tentamentis, manifestè patet, quam despicabilis sit ejus ignavia ad Sathanæ non occurrere impetus, cum tali pacto habenas laxando illecebris carnis ad extremum se interitum perducere studet. Quoniam, ut Divus Thomas innuit super primam ad Corint. lect. 4. *Inertia, & torpor frequenter inducunt ad peccatum*, ac perindè ad interitum hominis æternum. Ad hunc enim tendit in suis aggressionibus dæmon, utpotè hostis, qui Dei gloriæ invidus, nostrique ad illam progressus, pertinaciter ad eam aditum intercludere nititur. Undè de Sancto Antonio Abbate legitur, quod vidit aliquando dæmonem in forma cujusdam excelsi Gigantis usque ad nubes pertingentis, manusque habentis extensas, hominumque animas, velut sub specie avium advolantes, quarum ad astra volatum, manus Gigas ille protendens impedire conabatur: Illarum nonnullæ tamen supervolantes cum perveniebant ad Cœlos: Complures autem percussæ, in stagnum quod ut mare flammis ebulliens subtus erat Gigantis, decidebant. Deindè vocem audivit. Aves illas, animas justorum esse, ac peccatorum, quarum quæ Sathanæ tentamentis illusis, Mundi, carnisque spretis illecebris, prudentiam sequutæ sunt spiritus, supervolantes monstruosum Colossum, Cœlum devictis obstaculis, adibant. Reliquæ verò quia viles, & inertes suggestionibus adhæserunt hostis antiqui, sensusque oblectamenta complexæ prudentiam sequutæ sunt carnis, & mundi, dejectæ in Stagnum demergebantur ignis, & Sulphuris, Qui de-

nu-

Digitized by Google

numero ergò avium voluerit esse cadentium, Molinica dicta sectetur: Qui autem cum supervolantibus astra conscendere, consectetur opposita, quæque prudentiam spiritus edocent, & veritatis.

19 Prudentiam profectò spiritus, & veritatis, quæ veram formam præbet consiliandi, & judicandi, exequendique contra fallacem dæmonis, & carnis. Ac pro quanto in ordine naturæ pro virtutum subsistentia illucescit, ab ipsis cognita gentilibus probè fuit, magnoque æstimata, quorum heroicam texere seriem, supervacuus labor esset, cum optimè vulgò pateant, constantia Socratum, integritas Platonum, continentia Xenocratum, aliorumque complurium Heroum Collaudatæ virtutes, & præcipuè illud, quod admirabile fertur de peracuto Democrito, qui nè species Mulierum abstraherent ipsum ab attento philosophandi studio, erui se fecit oculos, utque cęcus, acurius, profundiusque latentia penetrare posset arcana naturæ. Nec prætereundum tamen est ab illo, quod de Scipione Africano, ut adhuc mirificum enarratur: qui cum in flore suæ degeret juventutis, uti ductor exercituum, ita continentiæ Magister effectus, non omisit quominus in utroque tam in campo Martis, quàm in conflictu amoris, magister in utroque militum appellaretur. Virtutem ergò suam in hoc præsertim ostendit, quod comperto, Masiniſſam Numidiæ Regem Romanorum fœderatum, suumque amicissimum ejusdem item ætatis, in amorem Sofonisbæ Reginæ filiæ Asdrubalis Carthaginensium Ducis cor habere demersum, sic objurgans, epistolam misit, ut Livius tradit. Non est tantum, Amicissime Rex, ab hostibus armatis, ætatis nostræ periculum, quantum ab circumfusis, undique voluptatibus, qui eas temperantia frenavit, ac domuit, victoriam majorem percepit. Quod ipsæ documentum experimento docuit, in bello Hispanico, ubi oblata ei speciosissima Virgine, intactam sponso tradidit, auxitque ipsa redemptione dotem: Quo heroico effecit opere, ut universa Romanorum imperio subjiceretur Hyspania.

20 At quam eminentius lumen hoc effulget in ordine supernaturali, ex eo claret, quod nè dum ad bonum tendit honestum, sed ad summum, & immensum, ejusque sempiternam fruitionem: magno tamen constat tanti boni possessio, magno laborum exercitio, perpessionum tolerantia, sudorumque effusione, quod & caput ipsum electorum, ad exemplar universorum probare voluit, quod & pati oportuit, & ita in suam intrare jure naturæ gloriam; Præmium profectò victoribus ab æterno paratum, & præcipuè cum præcipua triumphali laurea, concupiscentias edomantibus carnis; Quoniam, ut innuit D. Thom. 2. ad Corint. 6. lect. 2. *Qui vult habere virtutem Castitatis, ac super dæmonem Asmodeum, victorem esse, necesse habet labo-*

Digitized by Google

laboribus se dare, vigiliis insistere, & macerari jejuniis 1. *Cor.* 9. *Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo, &c.* Auspice semper auxilio divino.

27 Pro qua valdè mirum fertur de quodam solitario ex vitis Patrum exemplū. Celeberrimus erat vir iste, ejusq; sanctitatis fama longè, latèq; perfusa, nomen ubique virtutis ejus resonabat. Et ecce invidus Sathan oculos ad eum iracundiæ dirigens, media quadam inhonesta muliere, tamquam sui cogitati ministra, dedecorare molitus est illum: ad quem infamia opprimendum præfata mulier, pactionem cum aliquibus adolescentibus egit: Quid vultis mihi dare, & ego eum cadere faciam in peccatum? Illi autem constituerunt summam ei pecuniæ daturi. Quæ egressa vespere nigrescente aere, cellam adiit solitarii velut errans, & pulsata janua, exiens ille, vidensque mulierem turbatus est dicens, quomodo huc venisti? Illaque plorans, inquit; errando huc veni. Qui misericordia motus, introduxit eam in atriolum Cellulæ: ipse autem interius intrans ostium clausit. Illa verò hoc videns, ut ad indignum induceret illum facinus, clamavit inquiens. Pater introduc me deprecor, quoniam hic foras facillimè me feræ discerpere possent. Ille autem iterum turbatus est, ac Dei judicium timens, ajebat, undè mihi hæc evenit ira? Et aperiens ostium introduxit eam intro. Hinc Diabolus, ceu sagittis stimulare cor ejus cepit in eam. Qui cum agnosceret Diaboli esse stimulos dicebat intra semetipsum. Viæ inimici tenebræ sunt: Filii autem Dei lux: (en divini invocatio auxilii) Et surgens incendit lucernam, cumque cupidine libidinis inflammaretur dicebat. Qui talia agunt in tormenta corruunt. Proba ergò teipsum ex hoc si potes sustinere ignem æternum, sicque dicens, digitum suum lucernæ admovebat ardenti, quem cum incendisset, & ardens non sentiebat propter nimiam carnalis concupiscentiæ flammam. Et ita peragens usque manè omnes incendit digitos suos. Illa autem infelix, aspiciens, quod solitarius agebat, perterrita una cum admiratione, timore, velut lapidea facta est. Venientes ergò manè Juvenes, qui eam miserunt, quæsierunt à Monaco. Venit huc mulier fero? Ille autem respondit. Ecce ubi dormit. Et ingressi invenerunt eam mortuam. Conversi ad solitarium inquiunt non absque tremore stupentes. Pater mortua est. Tunc ille excutiens palliolum quo utebatur, ostendit eis manus suas dicens. Ecce quid mihi fecit filia ista Diaboli, perdidit omnes digitos meos. Et narrans eisdem quid actum erat, subjunxit. Scriptum est: non reddes malum pro malo. Et inde pietate motus orationem habuit, eamque suscitavit, quæ conversa, caste per reliquum vitæ suæ tempus se gessit, pœnitentiam agens. Quid ad tantam fortitutidem, ac patientiam invicti Herois Molinos? Nonne ad tam præclara Sanctorum decertantiū cum Sathana, gesta cōspiciēs maximo perfundēdus est rubore, sua sic infanda

exponens asserta? Quod autem de violentia loquitur Sathanæ, jam supra perpensum est cap. 41. commentitiam eam fore, neque hic tantum ad eam explodendam, de obsistentia actum est, ac suasum, cum jam supponamus, eam minimè dari, spectata Dei suavissima providentia in humano regimine, ut ibidem ostendimus. verum potius ad Sathanæ depellendas assuetas tentationes, ejusque vehementes inpertentando impetus, de qua opportuna ad tã infestum hostem propulsandum, oppositione alibi adhuc actum est, præsertim 1. par. cap. 17. & 24. & hac 2. cap. 41. & forte infra inferius, quo de necessitate Confessionis item agetur. Et ex his remota remanet quadragesima septima Propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.

CA

CAPUT XLVIII.

Quadragesima octava Propositio Molinos. *Satanasso, che fa tali violenze, dà poi ad intendere, che sono gravi mancamenti per inquietar l' anima, affinche non s' avanzi nel camino interno; onde per levar à quello la forza, è meglio non confessarsene, perche non sono nè meno peccati veniali.*

Oppositum è contra dictum;

Damonis mos est, ut animam paulatim ad fundum desperationis inducat, tamquam levia primitùs significare illi acta facinora, ut postmodum laxius ad ulteriora prorumpat: verumtamen omni ejus aliter, & quacumque de illis subdola expositione neglecta, de commissis, haud alio pacto debet angi criminibus anima, quam acriter pœnitentiam agere.

1 NEquit unquam obmutescere fama, quin altisona tuba resonet ad celebrius illorum nomen edendum, qui acie prædicti peracuta ingenii, ad indivisibilia penè redigentes extensa, ad ferè atomos, montes: Gigantes ad pumillos, imminuendo grandia, grandia sibi nomina effecerunt, deque de se magnalia memoranda posteris emiserunt. Hinc Tullius Italicæ eloquentiæ Princeps ad summoperè collaudandum Scriptorem illum auditur, qui sic minutim Hyliadem descripsit Homeri, quod integram in nucleo nucis inclusit. Hic certè si tempore Alexandri Macedonis extitisset, non modicam de suo tam pusillo, tamque maximo mercedem opere percepisset.

2 Ita maximis efferre laudibus agnoscitur, & Galenus, de fabro currus Phętontis mentionem agens, in quo distinctè conspectis quatuor equis, eorumdem dentibus, frenis, habenis, itemque pedibus sexdecim, talis ejus erat cęlatura, quod intus unam parvulam gemmulam totum ipsius concludebatur artificium. Et hic sanè tutus de præcipiti lapsu se poterat Phęton, eum benè in angusto positus, quamquam in prætioso carcere obstrictus, nullatenùs declinare permitteretur, & deorsum se præcipitem daret.

3 Inter admirabiles item Artifices memorandus est Brissalensis per ab ipso confectum horarium, intusque perparvum comprehensum, vice adamantis anulum, in quo circumvoluentes cernebantur mira structura rotæ, earumque inferius, superiusque cursus, eratque insuper ad

Digitized by Google

ostensionem horarum, expeditumq; ad sonitum. Monitum quidem quam sit modicum vitæ nostræ tempus, quamque aliàs pretiosum, ut non consumatur in cassum.

4 Memoriæ tandem trahuntur æternæ, viri quidem illi famosi Mimercides, Callicrates, ac Ludonensis, qui curribus ingeniosè constructis tractis à Bobus. Navibusque cum omnibus absolutis earum partibus, sic admirando peractis acumine, quod unius tantum muscæ, vel apis alæ sat forent ad tam mirifica tegendum opera, eaque velut umbracula contra Solis protegentia calorem, aut pluviæ nè madefierent, in operimentum, ceu præsidia contra vim deservirent aquarum.

5 Mirabilia quidem opera, & immortales per æterna secula gloriæ. At quid ad rem ex ipsis? Estnè ita dæmon ingeniosus? Sicque sapiens Architector? omni dubio vacat, quinimò longè sine ulla comparatione sapientior, utpotè incomparabili celsior arte: Verum quod eminentius in physicis admirandum foret in ipso, & in relatis mirati sumus hominibus: ò quam nequius efficit in moralibus, cum grandia diminuens opera prava magna pusilla facit, quæque nefaria facinora, ut levia effingit, & hoc ut ad ulteriora perducat, quod callidè scit effingere. Ni aliter, ut sibi in commodum cadit, velit in desperationis abyssum impellere animam, quoniam tunc è converso agens, appositio suæ vaferrimæ artis Galileo, culpæ muscam apparere facit ut Aquilam, Culicem ut Draconem, ut legitur de Cain Genesis 4. Undè dixit, major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. In quo maximè discrimine versatur homo cum in agone mortis laborat animam agens.

6 Cæterum in ejus cursu prævio vitæ, solerti artis artificio dæmon solet, ita peccati præferre malitiam, ut tamquam levis aliqua culpa, de facili apud Deum veniam assequatur. Quod & primitus probavit in Adam cujus peccatum, sicut & Evæ, secundum conditionem personarum peccantium, maximam prætulit gravitatem, propter perfectionem status ipsorum, qua ratione fuit gravissimum, quamvis non simpliciter, ut docet D. Thom. 2.2. q. 163. a. 3. *Quia sic major est superbia, qua quis Deum negat, vel blasphemat, quam superbia qua quis inordinatè divinam similitudinem appetit, qualis fuit superbia primorum parentum. Et tamen deceptus Adam credidit veniale illud esse peccatum; Quia ut Augustinus dixit super Genesim 11. ad litteram* (relatus ab ipso D. Thom. a. 4. infra ibidem) *inexpertus divina justitiæ severitatem, credidit illud peccatum esse veniale, idest de facili remissibile.* Ad quem proculdubio falsum Adæ conceptum, concursum habuit Sathan, qui illius felicitati invidens, sicut & per consequens omnium posterorum, infecit ipsius mentem occasione fortè capta de divinæ in experimento justitiæ proponens, ut

juris

levem quemdam lapsum ejus errorem, ac proindè facilè apud Deum veniam obtenturum, quod facinus alias ut primi hominum capitis, capitale delictum erat, secumque totum orbem ad perniciem trahens.

7 Ad quæ facit appositè doctrina per Angelicum Doctorem tradita 3.p.q.41. a.4. ubi facta collatione inter tentationem Adæ, illamque Christi Domini in deserto, quodque dæmon eumdem in utraque ordinem tentandi servavit, ac inde quem in viris spiritualibus, ac devotis, modum habeat: Sic de convenientia ordinis, modique tentandi Christum resolvit in *Respondeo dicendum, quod tentatio, quæ est ab hoste, fit per modum suggestionis, ut Greg. homil. 16. in Evang. dicit: non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri, sed unicuique suggeritur aliquid, ex his circa quæ est affectus. Et ideò Diabolus hominem spiritualem, non statim tentat de gravibus peccatis, sed paulatim à levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Undè Gregor. 31. moral. exponens illud Iob. 39. Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitus dicit. Benè Duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima vitia, decepta menti quasi sub quadam ratione se ingerunt; sed innumera, quæ sequuntur dum hanc ad omnem infamiam pertrahunt quasi bestiali clamore confundunt. Et hoc idem diabolus observavit in tentatione primi hominis, nam primò solicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens Gen. 3. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Secundo de inani gloria, cum dixit, aperientur oculi vestri. Tertio perduxit tentationem ad extremam superbiam cum dixit: Eritis sicut Dii scientes bonum, & malum. Et hunc etiam tentandi ordinem servavit in Christo: Nam primò tentavit ipsum de eo, quod appetunt quantumcumque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum; Secundo processit ad id, in quo spirituales viri, quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio perduxit tentationem ad id, quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium scilicet ut divitias, & gloriam Mundi concupiscant usque ad contemptum Dei. Et ideò in primis duabus tentationibus dixit: Si Filius Dei es, non autem in tertia, quæ non potest conveniri spiritualibus viris, qui sunt per adoptionem filii Dei, sicut duæ primæ, &c.*

8 Ex quibus patet, quam callidè diabolus intentandi modo se gerat, quamque se genio uniuscujusque coaptet. Cum enim proponit objectum, transit inde ad conditionem proferendam illius, demumque si potest ad exequutionem operis movere adnititur, ut omninò tentationis opus perficiat. Quod si fortè ad superbum, vel cupidum dignitatum accedit, propositum magnificat, oblinitque coloribus dominationum objectum. Si verò ad sensualem, vel carnalem, ut delectabile profert, variisque saporum gustibus dulcescit illud, & condit. Et irâ sapidam cordi offert, iracundo vindictam, Bonum invido, malum proximi, &c.

Quod

Quod ad viros istos probos, sivè spirituales, & sapientes evertendos consuetus est, cum illos tentando aggreditur agere. Attamen ut prædiximus, ad inducendum in opus hominem, non secùs exponit hoc illi tamquam aliquod monstruosum, seù sceleſtissimum facinus, aut grave delictum, quoniam hoc pacto perterreret illum, & à patrando retraheret imò crimine, quapropter à levibus incipiendo urget, ut ad graviora perducat, & ad hæc inducens, ut ad tartara ducat, omnia ut levia, anteponit, sivè in se talia sint, sive ut sic ab ipso depicta.

9 Ab ejusmodi subdoli hostis dolo præcavere nos commonens Divus Pater Augustinus serm. 68. ad Fratres in Eremo sic inquit. *Fratres carissimi contra pessimum hostem ideſt immanissimum generis humani inimicum, tantum nos armare debemus, ut ipsum viriliter superare valeamus, qui semper paratus est velut latro ad furandum opera nostra bona, consilia mala subministrando. Certè multi audacia diabolica decipiuntur.* (ecce propositio objecti subdoli hostis) *Dicunt enim Juvenis sum, dum est mihi tempus, & interim quod floret in me juventus fruar mundo, cum ad senectutem venero, & amplius quæ volo exercere nequivero, tunc pœnitentiam agens abstinebo. Et non cogitat ille miser, quod non habet certum unius horæ, vel momenti spatium, seù potestatem de vita sua, &c.* Ex quibus fallacibus illusæ mentis verbis, manifestè apparet quàm modica, quàm facilia exponat homini dæmon hujus mundi delectabilia bona, quamque tempus sit opportunum ad eis perfruendum.

10 Hinc divina Sapientia, totum hunc dæmonis fallacem loquendi modum perspiciens, ut ab illius caveamus mendacibus artificiis, memorans illum in 1. cap. 2. sic de impiis hoc pacto, deceptis refert inquiens. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè. Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus in naribus nostris: & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: qua extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, &c. Venite ergò, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur Creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, &c.* Sic igitur per dolosos agendi modos artifex dæmon, corda decipit, suæque erga, nos rabidissimæ bilis veneno inficit.

8 Quamobrem ad tanti perfidi hostis insidias diligenter est attendendum, nè sub specie optimi, faciat collabi in pessimum: sub degustando dulci, glutire faciat amarum: sub gloriæ celsitudine oblata, ad ima corruere faciat abyssi. Angeli namque lucis interdum, induere

se

Digitized by Google

se forma jam noscitur, ut sub oraculi veritatis aspectu, oreque alloquente, propriis abditis umbris, mendaciique retrusis, simplices ad secum rapiat animas tenebricosa habitacula. Ita senem illum decepit Heronem, ut de ipso fertur in vitis Patrum. Quod cum per quamplurimos immoratus esset annos in eremo, asperrimam vitam agens, illusus tandem est à Sathana in Angelum conversò lucis, qui ut præcipitem secum illum ad baratra traheret, injuxit ei, ut in profundum se projiceret puteum, firmiter pollicitatus asseverans, quod pro merito virtutum, laborumque suorum, nequaquam posset ulli jam discrimini subjacere. Qui patris mendacii dictis fidem habens effictis, in prædictum se puteum nocte intempesta injecit, magnum virtutis suæ credens meritum, probaturus, cum inde exiret illesus. De quo cum penè jam exanguis ingenti Fratrum labore fuisset extractus, vitam die tertia confecturus, & quod deterius est: Ita in deceptions suæ obstinatione permansit: ut ei nè experimento quidem mortis suæ potuerit suaderi, quod fuisset dæmonis calliditate delusus. Cujus exitium non modicæ fuit mestitiæ Fratribus, nec non modicas ab illis traxit præ dolore lachrimas. En quantum efficit malum cum sua imprimit in corde hominis phantasmata dolosa Sathan. En cum malum efformat personatum superficie boni, ad què perducat infelicem exitum hominem. Non ergò omni credendum est spiritui, commonet sapienter Joannes Evangelista in Epistola cap. 4. sed probandus num ex Dei munere veniat, an ex dæmonis maleficio, aliàs levem se profitendo corde, qui citò credit, de facili corruens in adversa, exultantem de se relinquet inimicum.

11 Ex cujus ejusmodi simulata versutia, non modicum aliud evenisset absurdum, ni divinæ evitasset misericordiæ manus, cæteriscque omissis. De quodam fertur in eisdem Patrum Annalibus, qui cum jam dudum dæmonem suscepisset in Angeli claritate fulgentem, revelationibus ejus innumeris, seù commentitiis sæpe deceptus, credidit internuncium esse justitiæ, à quo etiam per singulas noctes in cella ejus, lumen absque ullius officio lucernæ afferebatur. Ad extremum injungitur ei à dæmone, ut Deo suum filium, qui cum eo pariter in Monasterio commanebat, offerret: ut scilicet hoc Sacrificio Abrahæ Patriarchæ meritò æquaretur. Cujus tali pacto est persuasione seductus; ut parricidium opere perfeciisset, nisi videns eum puer cultrum extra consuetudinem acuendo præparare: & vincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringeret, disponebat inquirere: præsagio sceleris futuri perterritus, quin potiùs à Deo commonitus, aufugisset. Sic ergò sua construens phantastica, ac plena omni dolo Idola dæmon, simplices persæpe ducit ad interitum animas: sub pallio namque boni abdito malo, aut hoc pro modico, vel nihilo facto, sic palliatus, sicque per-

personatus, objectum proponendo, suadendo, ad exequutionem demum operis crebrò perducit.

12 Verum attenta Molitoris prava conditione quidquid ipse de agendis, vel actis proferat criminibus, de his affligere se se anima debet, sicuti præcavendum ab illis. Ad quem opportunum pœnitentis actum, Præmovetur, & primò ex ipsius descriptione peccati tradita ex Divo Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 27. tom. 6. *Quod est dictum, vel factum, vel concupitum contra Dei legem æternam.* Quid namq; nequius quam contra Dei agere legem? Quidque perfidius quàm contra divinum rebellare Legislatorem? Et quamquam in hoc non omnia peccata sint paria, cum specificè varientur secundum propria objecta, quæ sunt eorum præcipui fines, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 73. a. 3. tamen omnia genericè conveniunt in eo quod legi Dei adversantur, esto magis, & minus, ut patet, juxtà conditionem objecti, & ibidem fusè D. T. ac ità per quodlibet illorū delinquente homine valet contra ipsum clamitare cum illo Moysi Deuteron. 32. *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* At quo dolore pro hujusmodi derelictione, ac à Deo recessu debet homo sese macerare? Dolore quidem sicut in morte Unigeniti, subsumit in 6 Hieremias Propheta dicens. *Sicut luctum Unigeniti fac tibi plantum magnum.* Quis ignorat maximum esse, incomparabilemque in morte Unigeniti dolorem? An non unigenita est anima nostra? Siquidem Creator omnium unicum tantum vitæ spiraculum singulis hominibus inspiravit, & factus per illud homo in animam viventem. Cur igitur non nobis summè dolendum est, qui summo unicoque bono, summam injūriam irrogavimus, ac unicam quam habemus plusquam filiam animam, lethalis criminis mucrone, impiè peremimus? Sicut ergò luctum unigeniti faciamus proindè nobis, planctumque amarum.

13 Quare meritò clamabat Regius ille Vates in Cantic. 41. *Fuerunt lachrimæ meæ panes die, ac nocte dum dicitur mihi, ubi est Deus tuus?* Super quæ Divus Augustinus ibidem subsequens inquit: *Cibum istum, qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt, panis autem lacrimarum, & die, & nocte comeditur: sivè totum tempus accipias diem, & noctem: sive diem intelligens pro hujus seculi prosperitate, noctem verò pro hujus seculi adversitate. Sivè inquit in prosperis rebus seculi, sivè in adversis rebus seculi, ego desiderii lachrimas fundo, ego desiderii mei aviditatem non desero. Et quando in mundo benè est, mihi male est, quousque appaream ante faciem Dei. Quid ergò contradicis? Quasi gratulari me cogis, si aliqua hujus seculi prosperitas arriserit? Nonne deceptoria est? Nonne fluxa, caduca, mortalis? Nonne temporalis, volatica, transitoria? Nonne plus habet deceptionis, quàm delectationis? Cur non & in ipsa fiant lachrima meæ panes? Siquidem, & quando felicitas seculi circumfulget,*

quam-

Digitized by Google

quamdiù fumus in corpore peregrinamur à Domino, &c.

14 Quibus indicat totius cordis angoris originem fore, procul esse à Deo, in terra velut aliena peregrinationis, & longinqua, dono tamen gratiæ, nequaquam longè, vel eminus, sed benè cominus, & propè conjunctus, & conglutinatus plusquam animæ amici Jonathæ, ut erat Regius Psalthes. Quid ergò de homine jam Deo derelicto arguemus? Quidque de jam recessu à Domino salutari suo? Ingentes ergò lachrimas pro criminibus præfatæ derelictionis causis fundere debet, nec unquam diù, noctuque conquiescendum animam ejus, quousque fidus salutis suæ attingat, securusque appellat.

15 In cujus figura dicitur in Canticis ex Philone Græco Carpathio Episcopo: *Quod pedes suos sponsa lavit: Quum praterita suæ vitæ errata correxit, quotidièque commemorando, quæ deliquerit, assiduis lachrimis se purgat, suspirat, ac gemit, doletque vehementer se contra legem Domini dissolutè ambulasse, turpia concupiisse, inhonesta, atque injusta peregisse, nihil boni, nihil Sancti à se factum esse. Studet mundari pœnitentia, ut immaculata aliquando sponso appareat, eique vita, moribusque placeat in animi honesti quiete, atque ocio.* Ocio inquam, vel quiete non Molinica, ut constat ex præjactis Sacri Doctoris verbis, verum illa quâ perfruitur anima sponsa cum unita, & copulata fuerit percupito Sponso divino, vinculo charitatis, & gratiæ.

16 Sciat ergò peccator, videatque ut amplius anima ejus delictis excrucietur ab ipsa peccatis, planctumque faciat amarum, quia malum, & amarum est, Dominum Deum reliquisse suum? Summum quippè bonum peccando relinquere, malum profectò quinimò summum malum est, ideòque amaritudo amarissima. Quid enim sempiterna damnatione amarius, quæ Beatorum consortio, Deoque privat, Inferni vinculis claudit, inextinguibili verme corrodit, igne torquet, evadendique spem, omnimodè adimit? *Omnes enim Domine*, clamat in 2. Hyeremias Propheta, *qui te derelinquunt confundentur, recedentes autem à te in terra scribentur, quoniam derelinquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Hujusmodi sanè perditissimi homines, non quidem in libro vitæ, ubi solum electi, sed in terra potiùs jure conscribuntur, perpetuaque confusione plectentur, quippè qui terrenis inhærentes, à Deo viventium aquarum fonte defecerunt. *Duo namque mala ipsemet Deus ait, fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Magna profectò hæc dementia est, sitientem sitire malle, quam divini fontis aquis sitim explere. Quid enim sunt terrena omnia, quam cisternæ quædam dissipatæ, quæ nihil aquæ salutaris continent, quæque sitim nostram quinimò succendunt, quam extinguant: Ut de

Digitized by Google

illis merito dici valeat, quo ſant potæ plus ſitiuntur aquæ. Idipſum veritas ipſa teſtata eſt Joan. 4. *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons ſalientis in vitam æternam.*

17 Præterea opus eſt ex admiſſis animam affici dolore ſceleribus, propter horum deformitatem, nec non pravos in ipſa illaros effectus, ac detrimenta importata. Non enim unquam apparuit ſuper ardentes, lybicas plagas, Fera ſic monſtruoſa, vel atra, aut ex afris erupit ſilvis horridus Draco; quam quod ex corde ſceleſtis hominis teterrimum monſtrum, quod ipſum eſt peccatum, monſtrum inquam execrandum, ac deformiſſimum. Cujus caput eſt ſuperbia, capilli pravæ cogitationes, oculi impudicitiæ, aures obſtinationes, nares vanitates, os blaſphemię, manus inſolentiæ, pectus immanitas, cor odium, epar iracundia, venter voracitas, pedes inconſtantia. Horribilius non vidit Joannes ipſe in Pathmos, aut immanius ex puteo emergens abyſſi: at ſi forte proſpexit, illud profectò fuit quod propter everſiones truculenter in orbe actas, appellavit, Exterminans. Simulacrum planè peccati, quod præ terribili nec non unquam ex vero effingibili aſpectu, univerſum perterret orbem, imò ipſe hujus Conditor, ut homo, ad illius in horto cum oraret intuitu, ſicut & innumerabilium ex pravitatibus prodeuntium hominum, præ horrore, ut guttæ, imò ut rivuli ſanguinis decurrentis in terram, emiſit ex corpore, cordeque ſudorem. Sarque ſit, pro ipſius qua turpior imaginari nequit monſtruoſitas ſpecie depingenda, quod infinita ſit in ſua turpitudine; ac imprimens in anima imaginem beſtiæ è regione oppoſitam imagini, formoſitatique Dei, qua deleta, horribilem dęmonis effingit, quapropter imagini filii Dei, fieri conformem animam negligens, ſignatam promit, fędatamque caractere beſtiæ infernalis.

18 Quod item monſtrum, ut ad ſuos tranſeamus pernicioſos effectus, meritò eſt appellatum, Exterminans, cum ex eo quod univerſi fuerit excidium orbis, univerſumque ab illo bonum expulit, ejecitque decorem; At quis enumerare poterit, aut quæ oſtendere, quorque damna deferat hominibus, attuleritq; primitus Angelis? Vera primum privat, ac nobiliſſima vita gratiæ, ſicut & ab initio miſeris illis abſtulit, mentem excęcat, rationem obruit, voluntatem obdurat, gloriam eripit, damnationem infert, ut fusè D. Th. 1. 2. q. 85. per totam, de effectibus peccati differens explanat.

19 Monſtrũ profectò exterminans, quod de Paradiſo voluptatis homine depulſo, in calamitosũ projecit exilii locũ, & hic per virus ex ore tartarei ſerpentis efflatum peſſimè vulceratus, hominem præſignavit illũ deſcendẽtem ab Hyeruſalem in Hyerico, qui velut à graſſatoribus conſoſſus, plagis ab his paſſus acerrimis, penè mortuus, ſemivivus jacuit

Digitized by Google

cuit elanguens. Undè cunctis in eo viribus fauciis, earumque everſis ordinibus: Quo prius per intellectum ad verum tendebat agnoſcendum bonum, poſtmodum ad fallax excurrit, quo per voluntatem illud expetebat, poſtmodum ad mendax eſt raptus. Quo ad oblectamenta rationis moderamine ferebatur, deindè effrenatus ad immoderata collapſus; & quod ubi fortis erat ad perardua, & aſpera, impotens effectus eſt poſtmodum, & infirmus. Quod totum theologicè reſolvens Angelicus Doctor in præcitato 1, 2. q. 85. Quod ſcilicet convenienter ponuntur vulnera naturæ ex peccato conſequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcentia. Quorum numerum juxtà numerum potentiarum enumerans, quatuor aſſerit illa fore hoc pacto. *Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſcilicet ratio in qua eſt prudentia, voluntas in qua eſt juſtitia, iraſcibilis in qua eſt fortitudo, concupiſcibilis in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur in ordine ad verum, eſt vulnus ignorantia. In quantum verò voluntas deſtituitur in ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: In quantum verò concupiſcibilis deſtituitur in ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ.* Sic igitur iſta quatuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Quæque vulnera ex peccatis actualibus magis, magiſque deſæviunt in unoquoque, ac exacerbantur, ut ibidem a. 3. concludit idem Doctor.

2o Præterea ex præfatarum humanarũ virium ordinum exterminio, aliud non minus conſequitur pernicioſum in ipſius hominis bonis, quæ ſuo gaudent modo, ſpecie, & ordine, quibus barbarè privat, bona diſperdens humana, prædicti fera peſſima monſtri. Quod quamquam (ut ibidem a. 4. innuit ipſe Doctor) bonum pertinens ad ipſam naturæ ſubſtantiam, quodque ſuum modum habet ſpeciem, ac ordinem, minimè lædat, cum eo nec privetur homo, neque diminuatur in ipſo, eo quod formam rem ipſam in eſſe entis conſtituentem, tollere nequit, nec ejus ex conſequenti menſuram, qua ſicut numeri menſurantur formæ, modumque in ſui retinent eſſe. Cætera verò bona præfatum dilapidat monſtrum, quæque ſuum modum habent, ſpeciemque, ac ordinem, ut eſt primò ipſum naturalis inclinationis bonum, tametſi diminutum, non omninò ſublatum. Bonum itidem virtutum, & gratiæ, quod adhuc ſuum retinet modum, ſpeciem, & ordinem, quod & totaliter per peccatum mortale tollitur. Sicut adhuc bonum adimitur, quod eſt ipſe actus ordinatus, hebetque ſuum modum, ſpeciem, & ordinem, & hujus privatio, vel eſſentialiter ipſum ſtatuit peccatum, vel ad ejus neceſſariò conſequitur conſtitutum, in ſententia ſtatuentium ipſum formaliter in poſitivo, &c. Ex quorum diſſipatione bonorum patet, quam ingens inferat exterminium in homine peccatum, quamque rabidè deſeviat: nec unquam quieſcat quouſque ad interitum perducat

Digitized by Google

ducat illum, non inquam mortis tantum modo temporalis, verum etiam æternæ, ad quod ejus major est conatus, & impetus: Et mirum est quod eidem à quo, ut filius ortum habet ejusmodi monstrum, mortem ut viperâ infert, ipsimet puta homini de cujus pectore, velut Hydra cum omnibus suis capitibus monstruosa pollulans exilit. Sic enim eius ortum intuens ipsemet Christus Dominus indixit Marci 7. *Ab intus de corde malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, &c.*

21 Verùm enim verò his omnibus universis in homine per peccatum jacturis admissis, nihil pendenda sunt ad malum collata privationis ipsius Dei. O' quam maximum hoc malum est, quamque omnium terribilium pessimum; sicut omnium è converso bonorum maximum, & supereminens. Utriusque namque generis tam malorum inquam quam bonorum, velut acervos congloba, hic perhorridos, inde perlætos, illic pernicioſos, hic peroptatos, ultrò citroque tandem pestiferos malorum, bonorumque salubres, quoniam nihil universa facienda sunt librata in conspectu Altissimi vultus, ejusque privationis. Quam collationem inter sic imparia extrema perpendens Sanctus Gregorius Papa homilia 37. in Evangeliis inquit? *Si consideremus Fratres carissimi, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in Cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potiùs dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ felicitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus, gloriæ conditoris assistere præsentem Dei vultum cernere, in circumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, &c.*

22 Hinc omnibus hujus mundi bonis contemptis in sola Dei fruitione veram dignoscitur esse felicitatem, sumpto ab illo industri negotiatore Evangelico exemplo, qui omnibus suis bonis à se remotis, in solam pretiosam margaritam cor suum, oculumque comparandam direxit; & ab illo edocti Christi Domini monitu, quo humanæ cupiditatis, tum principatuum, tumque thesaurorum rapacitatem aspernans ait. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ad quæ divina verba studiosè conspiciens Magnus Pater Augustinus, quantum sit homini malum, esse Deo privatum, tametsi totius fuerit possessor Universi exponendo, hoc pacto sermonem agens super psalmum 127. loquitur ad Fratres. *Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis (quamquam non taceat loqui per litteras suas) & diceret homini. Peccare vis, pecca. Fac quidquid tibi delectat,*

Quid-

Digitized by Google

Quidquid amaveris in terra, tuum fiat. Cui fueris iratus intereat. Quem rapere volueris rapiatur. Quem cadere, cedatur. Quem damnare, damnetur. Quem possidere, possideas. Nemo tibi resistat, nemo tibi dicat, quid facis? Nemo noli facere quod velis; Nemo quare feciſti? Abundant tibi omnia ista terrena, quæ concupiſti, & vive in illis non usque ad tempus sed semper: Faciem autem meam numquam videbis. Fratres mei undè ingemuiſtis, niſi quia jam natus est timor castus permanens in seculum seculi? Quare percussum est cor vestrum, si diceret Deus, faciem meam non videbis? Ecce omni hac terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluunt bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris. Quid vis ampliùs? Fleret quidem, gemeret timor castus, & diceret, imò tollantur omnia, & faciem tuam videam. Hanc unam petii à Domino, hanc requiram, &c.

23 Quam amplius unicam tanti boni poſſeſſionem inculcans, ſic ad ipſam ſermonem dirigens in Pſalmum 34. ſuper hæc verba. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutare ejus, exponit idem Auguſtinus Doctor. *Anima inquit mea exultabit in Domino, tamquam in eo, à quo audierit, ſalus tua ego ſum, tamquam non quærens circumfluere voluptatibus, boniſque terrenis, ſed Deum gratis amans, non ab illo volens accipere, quod delectet, ſed ipſum ſolum ſibi proponens, à quo delectetur. Quid enim melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus. Omninò amat te Deus. Ecce ipſe tibi propoſuit. Pete quod vis. Si tibi Imperator diceret, pete quod vis, quos Tribunatus, Comitatuſque ructares? Quanta tibi proponeres, & accipienda, & largienda? Deo tibi dicente, pete quod vis, quid petiturus eſt? Excute mentem tuam, exere avaritiam tuam, protende quantum potes, & dilata cupiditatem tuam, non quicumque ſed Omnipotens Deus dixit, pete quod vis; Si poſſeſſionum es amator, deſideraturus es totam terram, ut omnes qui naſcuntur, coloni tui, aut ſervi tui ſint. Et quod cum totam terram, poſſederis? Mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris: in hac avaritia te piſces ſuperabunt. Sed fortè Inſulas poſſidebis. Traſcende, & hæc: pete & aerem, quamvis volare non poſſis: porrige cupiditatem tuam uſque ad Cælum, die tuum eſſe ſolem, lunam, ſtellas: Quia ille, qui fecit omnia, dixit, pete quod vis: tamen nihil invenies carius, nihil invenies melius, quam ipſum, qui fecit omnia. Ipſum pete, qui fecit, & in illo, & ab illo habebis omnia, quæ fecit, &c.*

24 Quid plura pro innuenda divini magnitudine boni, ac per conſequens ad infinitam ejus privationis indicandam perniciem? Peccatum ergo quod ipſam ſecum advocat privationem, quodque tanti eſt cauſa mali, ut mare magnum debet per ipſum anima fundere planctum, & ut commonens auditur Hyeremias Propheta, velut ſuper Unigeniti mortem, fletum faciat, & luctum. Quemadmodum Rex ille pœnitentium Citharœdus, qui ut primò propoſitum ſibi audivit à

Na-

Digitized by Google

Nathan Propheta objurgante peccatum, tactus dolore cordis intrinsecus, peccavi, clamans, fuerunt ei lachrimæ, ut panes die, ac nocte. Quod item perenni, amaroque lachrimarum fonte, rivulis ex oculis assiduè profluentibus, innuit Princeps ille Apostolorum, ex quo respexit eum, velut exprobans de immani acta rebellione negationis ejus, divinus ejus Magister. Verum de vivo amoris illo incendio erga peramatum ipsum Christum Dominum Maria Magdalena quid fatebimur? Quæ ut cognovit ex cœlesti æterni Verbi verbo resonante, atque præsentia, suorum turpitudinem peccatorum, resoluta protinus in lamentis, facta est velut mare contritio sua.

25 De hac sic proficua cognitione, quasi de Cœlo effusa sapientia Sanctus Gregorius Papa homil. 10. in Ezechielem agens cap. 18. post multa sic inquit. *Dum plus sapere incipimus, de his quæ malè egimus, nobismetipsis irascimur, & fit in multa sapientia, multa indignatio, quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit.* Et paululum infrà; *Reprehendit seipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per pœnitentiam, quod accusat: fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo, &c.*

26 Quem autem effectum pariat præfata scientia in cordibus pœnitentium, inter quamplurimos, ac mirabiles, libeat de quodam referre Juvene, ut fertur in libro exemplorum Cesarii, qui suggerente humani generis hoste, talia quædam peccata commiserat, quod obstante erubescentia, nulli hominum confiteri potuit. Cogitans tamen quæ improbis præparata sunt tormenta gehennæ, & quæ bona servata sint gaudia vitæ perennis: timens etiam quotidiè Dei magnum super se judicium, morsu acutissimo conscientiæ torquebatur, foris que in corpore penè tabescebat. Quid plura? Tandem misericordia Dei per suam illum urgente gratiam. Ad Confessorem veniens confitendi gratia, illoque juvenem confiteri volentem expectante. Mira res. Tantum Deus cordi ejus contulit contritionis dolorem, ut quoties confessionem inciperet, toties singultibus intercepta vox deficeret. In oculis lachrimæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Hæc ut vidit Confessor dixit Juveni. Vade, & scribe peccata tua in schedula, & defer ad me. Placuit consilium Juveni, abiit, scripsit, die altera rediit, & sic confiteri posset iterum tentans, ut prius deficit. Unde cum nihil proficeret, schedulam Confessori porrexit. Legit iste, & obstupuit; dixitque Juveni, Non sufficio sibi solus dare consilium, vis ut ostendam Abbati? Obtenta licentia, adiit Abbatem, eique schedula, ut legenda porrecta, rem per ordinem exposuit. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores, & consolentur desperati, & recreentur. Mox enim ut Abbas cartulam ad legendum aperuit, totum id quod ibi conscriptum contentum erat, deletum invenit. Undè ad Confessorem conversus

ait,

Digitized by Google

ait. Quid legam in ſchedula iſta? Nihil in ea ſcriptum eſt. Hæc ut Confeſſor audivit, & vidit; ſchedulam ſimul cum Abbate, majori qua poſſit admiratione reſpiciens, ſubjunxit ad illum. Sciat pro certo Paternitas veſtra, ſupradictum Juvenem in hac ſchedula ſcripſiſſe peccata ſua: & cum à me fuiſſent lecta, vobis etiam attuli legenda, ſed ut video, miſericors Deus, qui maximam Juvenis contritionem attendit: Culpam jam ſufficienter punitam juſtè delevit. Deletio ſiquidem ipſius ſcripti abolitionem ſignat totius delicti: Et advocantes Iuvenem oſtenderunt ſchedulam dicentes ejus peccata divinitus eſſe deleta, quam cum perſpexiſſet, & ex ſignis benè cognoviſſet, admirandum in ſe Dei gratiæ opus; in tantum cor ejus ex magnitudine gaudii eſt dilatatum: in quantum prius ex magnitudine juſtitiæ fuerat oppreſſum, anguſtatum, & nullam ei injungentes ſatisfactionem, monuerunt ut maximè Deo de perceptis beneficiis gratias ageret, atque de cætero cautiùs viveret, præ oculis ſemper habens infinitam Dei bonitatem, cujus gratia de timore ſervili faciens ad filialem tranſire, & caſtum, ac de attrito ad contritum cor humanum, tot in eo mirabilia præmovens illud ſalubriter, & ſanctè operandum patrat.

27 Et his, eiſque ſimilibus utpotè prædicabilibus, Concionatorum curæ relictis, illud hic tandem advertendum puto, ad repellendum id quod intendit in ſua propoſitione Molinos, vulgari ſermone inquiens. *Satanaſſo, che fà tali violenze, da poi ad intendere, che ſono gravi mancamenti per inquietar l'Anima, &c.* Advertendum inquam, quod etſi aliquando dæmones vera dicant, nullatenùs ſunt à nobis audiendi; Quoniam ſemper hominis nocumentum intendunt, & perditionem. Quod expreſſe ratione, & exemplo Chriſti Domini commonet D. Thom. 2. 2. q. 65 1. 2. 4. docens. *Quod dæmon, qui intendit perditionem hominum, ex hujuſmodi ſuis reſponſis, cum ſcilicet invocatur ab hominibus in eorum divinationibus) etiamſi aliquando vera dicat, intendit homines aſſuefacere ad hoc, quod ei credatur, & ſic intendit perducere in aliquid, quod ſit ſaluti humanæ nocivum. Unde Athanaſius exponens illud quod habetur Lucæ 4. Increpavit illum dicens. Obmuteſce dicit, quamvis vera fateretur dæmon, compeſcebat tamen Chriſtus ejus ſermonem, nè ſimul cum veritate, etiam ſuam iniquitatem promulget, ut nos etiam aſſueſciat nè curemus de talibus, etſi vera loqui videatur. Nefas enim eſt, ut cum adſit nobis Scriptura divina à Diabolo inſtruamur.* Undè 2. 2. q. 103. a. 2. loquendo de bello inter nos, ac dæmones indicto, adhuc admonens inquit. *Ad ſecundum dicendum, quod dæmones ſunt irrevocabiliter mali, & pro inimicis habendi: Undè numquam cum illis fœdus eſt habendum, quia ut induxant ad mortalia nos infeſtant, &c.* Undè ſolenter eorum indicans inſidias in ſua Epiſtola cap. 4. B. Joannes Apoſtolus inquit ad fide-

fideles. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate, ſpiritus ſi ex Deo ſint.*

28 Quidquid ergò de gravitate criminum, aut levitate ſignificet animæ dæmon, occludendæ ſunt ejus aures dictis, hoc autem non ut ſtultè conſulit Molinos: ſed ut ſapienter inſtruit in præcitato Doctor Angelicus. Et ut alibi perſæpè docet, pro peccatorum deformitate noſcenda, haud quaquam indigus eſt dæmonis homo pro peccatorum dignoſcenda malitia, cum aliundè ex aliis hanc poſſet noſſe capitibus. Ut eſſet,& primò ex ſyndereſis obmurmurante ſuſurrio de patrato facinore, ſicut ex accuſatione, aut objurgatione conſcientiæ. De quibus D.Th. 1. p. q. 79. a.1. de Syndereſi ait: *Quod Syndereſis dicitur inſtigare ad bonum, & murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum, & judicamus inventa. Et a. 3. de conſcientia. Dicitur conſcientia teſtificari, ligare, vel inſtigare, vel etiam accuſare, vel etiam remordere, ſivè reprehendere, & hæc omnia conſequenter applicationem alicujus noſtræ cognitionis, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus, quæ quidem applicatio fit tripliciter. Uno modo ſecundum quod recognoſcimus aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe, ſecundum illud Eccleſ. 7. Scit conſcientia tua te crebrò maledixiſſe aliis; Et ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari. Alio modo applicatur, ſecundum quod per noſtram conſcientiam judicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, & ſecundum hoc conſcientia dicitur ligare, vel inſtigare. Tertio modo applicatur ſecundum quod per conſcientiam judicamus quod aliquid, quod eſt factum, ſit benefactum, vel non benefactum, & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare, ſeù remordere.*

29 Quod male igitur egerit homo, vel benè in ſeipſum reflectendum eſt ipſi, quo pacto in ſuomet pectore ſculptum inveniet peccatum à ſe patratum, vel bonum opus, cujuſque ſit illud gravitatis, vel turpitudinis: cum in ſuis acoluſum habeat viſceribus, veluti plantatum Tribunal, in quo à teſtibus accuſatur internis de male actis operibus,& criminibus, ibique tamquam à Carnifice ligatur ut culpæ reus, unde illud,funes peccatorum circumplexi ſunt me: ibique ut à Judice proprii judicatur judicii, ac damnatur ad pœnam. Undè de damnatis ad inferos dicitur,quod ante divinum Tribunal expoſiti, ſeipſos à ſeipſis judicabuntur ad pœnas æternas,ab interiori prius cõvicti Iudice puta corde, quam exteriori divino: qua ratione defertur in Evangelio de ipſis, quod ibunt in ignem æternum, quaſi quod ex ſeipſis adjudicati, ac ſententiæ proprii oris ſubjecti, ire potiùs dicendi ſunt ad ſupplicia, quam ab alio damnante repulſi. Cujus proprii ratio Iudicii eſt; Eo quia adepta de ſeipſo cognitione homo, deque Deo, ejuſque lege, quæ ponitur, ut quædam regula, ac menſura humanorum actuum, ut 1.2. q.96. a.2. illicò à ſe actis, ſint ne benè facta, nec nè, judicium diſcretio-

Digitized by Google

tionemque habet internam, dijudicare valens sint nè legi conformia, rationisque regulis, an difformia, consona nè, an dissona. Undè cum dissonantia fuerint, eisque ut difformia non cohærrurint, protinus murmur resonat syndéresis, conscientiæ accusatio, & reprehensio, quaque ut reus criminis obstringuitur, nec non ut à teste veridico convincitur, & ut à Carnifice cruciatur, imò ut à rabido serpente commordetur, & devoratur, ut patet in pœna quam in æternum remordentis interioris vermis conscientiæ patiuntur damnati.

30 Secundò gravitas peccatorum dignoscibilis est ex objectis, vel finibus ad quos ordinantur actus humani. Quoniam ut docet D. Th. 1.2. quæst. 73. art. 3. *Ratio ordinat omnia in agibilibus ex fine, & ideò quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est gravius: objecta autem actuum sunt fines eorum, & ideò secundum diversitatem objectorum attenditur divetsitas gravitatis in peccatis.* Et hinc ipsa graduando peccata, juxtà diversitatem objectorũ, ibidem infert Angelicus, peccata contra Deum directè facta esse gravissima, ut infidelitas, vel blasphemia. Quæ circa substantiam hominis graviora quam quæ circa bona exteriora, seù fortunæ, uti sunt homicidia, quæ graviora sunt quam rapinæ, vel furta, utpotè circa id quod multo plus æstimabile est, ut est ipsa vita hominis, quam ejus bona externa, seù fortunæ.

31 Tertiò gravitas peccatorum, juxta dignitatem virtutum, quibus opponuntur agnosci potest, ut statuitur ex D. Th. 1.2. q. 73. a. 4. ex eo quod Phylosophus dicit in 8. Ethicorum cap. 10. *Quod pessimum optimo contrarium est: optimum autem in moralibus est maxima virtus, pessimum autem gravissimum peccatum, ergò maximæ virtuti opponitur gravissimum peccatum* (quam rationem ex ordine ad objectum tamquam ex radice sui ortam, tangit etiam D. Thom. in corpore articuli, ubi oppositionem virtutis, & vitii præcipuam, ac directam ex objecto desumi ait, cum sint circa idem objectum, utpotè contraria) *Sicut enim ex parte objecti attenditur major gravitas peccati, ita etiam major dignitas virtutis, utrumque enim ex objecto speciem sortitur: Undè oportet quod maximæ virtuti directè contrarietur maximum peccatum.* Ex quo sequitur quod odium Dei sit omnium gravissimum peccatorum, ac inter monstra monstruosius, cum charitati opponatur, quæ dignissima virtutum est, omniumque pulcherrima.

32 Quartò gravitas peccatorum ex aliis desumi potest capitibus, puta ex parte subjecti peccantis, ex parte ejus in quod peccatur, & ex parte impellentis ad peccatum. De quibus agens Angelicus Doctor 1.2. q. 73. a. 5. dividens ipsa peccata in spiritualia, & carnalia, illaque his esse graviora, & resolvens ex parte primò subjecti, inquit: *Peccata spiritualia pertinent ad spiritum cujus est converti ad Deum, & ab eo averti: peccata verò carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitus, ad*

Digitized by Google

quem principaliter pertinet ad bonum corporale converti, & ideò peccatum carnale in quantum hujusmodi plus habet de conversione, propter quod etiam est majoris adhæsionis : sed peccatum spirituale habet plus de aversione, ex qua procedit ratio culpæ, & ideò peccatum spirituale in quantum hujusmodi est majoris culpæ.

Ex parte autem eius, in quem peccatur, sumitur gravitas peccati. Nam peccatum carnale in quantum huiusmodi est in corpus proprium, quod est minus diligendum secundum ordinem charitatis quam Deus, & proximus in quos peccatur per peccata spiritualia, & ideò peccata spiritualia in quantum huiusmodi sunt maioris culpæ.

Ex parte verò motivi, prædicta sumitur gravitas, quia quanto est gravius impulsivum ad peccandum, tanto homo minus peccat : peccata autem carnalia habent vehementius impulsivum, ideſt ipsam concupiscentiam carnis nobis innatam; & ideò peccata spiritualia in quantum huiusmodi sunt maioris culpæ.

33 Quintò ex circumstantiis cognoscibilem dicimus adhuc esse gravitatem peccatorum. Quod explicans in ipsa 1. 2. q. 73. D. Thom. sic ait in *Respondeo dicendum; quod Unum quodque ex eodem natum est augeri ex quo causatur sicut Philosophus dicit de habitu virtutis, & in 2. Ethic. cap. 1. & 2. Manifestum est autem quod peccatum causatur ex defectu alicuius circumstantiæ: ex hoc enim, recedituv ab ordine rationis, quod aliquis in operando non observat debitas circumstantias. Unde manifestum est, quod peccatum natum est aggravari per circumstantiam. Hoc autem dupliciter contigere potest, vel transferendo peccatum in aliud genus, sicut accedere ad non suam, quæ sit alterius uxor, transfert peccatum à genere fornicationis, ad genus adulterii, sitque gravius: vel non transferendo, solumque in eodem permanendo genere aggravans, sicut esset multiplicandi eiusdem peccati rationem, ut prodigus cum dat cui non debet, & quando non debet, gravius peccat, quam si solum cui non deberet elargiretur. Et cum aliquis furatur multum de alieno surripiens, magis peccat, & gravius in genere furti, quam si parum acciperet.*

34 Sextò gravitas peccati planè dignoscenda ostenditur ex nocumento illato, quod ibidem a. 8. explanat, & resolvit D. Thom. in *Respondeo dicendum. Quod nocumentum tripliciter se habere potest, ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato est præviſum, & intentum, ut cum aliquis operatur animo nocendi, occidendi, vel furandi, & tunc nocumentum per se aggravat, vel adauget secundum suam quantitatem gravitatem peccati, quia est obiectum peccati per se intentum. Quando autem nocumentum est præviſum, sed non intentum, ut cum aliquis, ut compendiosius per viam vadat ad fornicandum, dum transit per campum alicuius, & seminata damnificat, quia tamen hoc animo peccandi facit, licet non intendat, adhuc dicitur aggravare peccatum, secundum quantitatem no-*

nocumenti illati, sed indirectè quia ex voluntate inclinata ad peccandum, sic facit, & ex hoc non pratermittit, & non curat damnificare in bonis proximum, unde etiam dicitur aggravare. Quandoque autem nocumentum nec est provisum, nec intentum, & tunc si per accidens sequitur ad peccatum, & datur operarei illicitæ, aggravatur adhuc peccatum, non directè, sed ex negligentia considerandi nocumenta, quæ evenire poterant ex tali facto, eveneruntque præter ejus intentionem. Et sic ratione omissionis talis advertentiæ, ex quantitate nocumenti aggravatur etiam peccatum. Si autem nocumentum per se sequitur ad peccatum, licet non sit provisum, nec intentum, directè peccatum aggravat, quia sic pertinere dicitur ad speciem peccati, ex eo quod per se ad illud consequitur, sicut si aliquis publicè fornicetur, licet non prævideat, nec intendat aliorum scandalum, tamen quia hoc per se sequitur ad tale peccatum, secundum quantitatem hujus nocumenti, proximo illati, aggravatur ejus peccatum: Undè quanto plures scandalizantur in ipso, tanto gravius peccabit fornicator.

35 Septimò præfata peccati gravitas, ex conditione personæ, in quam peccatur arguitur, ut in præcitato enucleato pariter docet D.T. a.9. in quo præsuppositio primam peccati gravitatem attendi penès objectam, ut cum ipsomet Doctore supra retulimus, cumque objectum sit finis actus, scopusque feriendus, quo principalior hic erit, vel excellentior, eo gravius in illum peccans peccare noscitur. *Fines autem principales humanorum actuum, sunt Deus, ipsimet homo agens, & proximus. Quidquid enim facimus propter aliquid horum facimus. Potest autem ex parte horum trium considerari maior, vel minor gravitas in peccato secundum conditionem personæ, in quam peccatur.*

Primò quidem ex parte Dei, cui tanto magis aliquis homo coniungitur, quanto est virtuosior, vel in Deo sacratior; Unde iniuria tali personæ illata redundat in Deum, secundum illud Zacc. 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. Unde peccatum fit gravius ex hoc, quod peccatur in personam magis Deo coniunctam, vel in ratione virtutis, vel officii.

Ex parte etiam sui ipsius manifestum est, quod tanto aliquid gravius peccat, quanto aliquis magis in coniunctam personam, sivè naturali necessitudine, sivè beneficii, sivè quacumque conjunctione peccaverit, & pro tanto gravius peccat, secundum Eccles. 14. Qui sibi nequam est, cui bonus erit?

Ex parte verò proximi tanto gravius peccatur, quantò peccatum plures tangit, & ideò peccatum, quod fit in personam publicam, puta Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quam peccatum, quod committitur contra unam personam privatam. Unde specialiter dicitur Exod. 22. Principi populi tui non maledices. Et similiter

Digitized by Google

iniuria, quæ fit alicui famosæ personæ, videtur esse gravior ex hoc, quod in scandalum, & tribulationem multorum redundat.

36 Sic ergo tamquam in speculo ex persona in quam peccatur gratas agnoscitur criminis, vel ejus levitas. Quocirca scite Theologi reputant peccatum mortale, ex eo quod personæ offensa est infinitæ, sivè objecti divini, infinitum in ratione offensæ simpliciter esse, quodq; complures ne dum extrinsecè, seù objectivè authumant sic esse verum etiam intrinsecè, & in se formaliter infinitum esse peccatũ mortale. Et exinde rectè resolvunt purum hominem satisfacere ad æqualitatem, deque toto rigore justitiæ pro tali crimine minime posse: sed pro illius compensanda offensa necessum fuisse personam hoc egisse infinitam simul, atque divinam, uti fuit offensa ipsa divina Majestas. Quaque ultrò de causa resolvitur, peccatum crucifigentium Christum tuisse ex suo genere gravissimum, eo quia ex suo genere fuit occisio non solum hominis tam excellentis innocentiæ: Sed etiam Dei, genus enim peccati ex objecto, seù materia circa quam sumitur, illa autem occisio constat, quod secundum rem ad verbum incarnatum terminata est, persona enim illa crucifixa, & mortua ut homo dicitur. Aliundè autem major, ve l minor gravitas hujus gravissimi secundum se peccati, attenditur ex parte ipsorum peccantium, ignoranter, vel scienter, ex majori, vel minori malitia, & iniquitate peccantium, ut fusè 3. par. q. 1. & 77. exponitur.

37 Octavò denique ex magnitudine personæ peccantis, remanet gravitatem arguere peccati, ejusque graduationem item offensæ. Quod adhuc resolvit Angelicus in præcitato 1. 2. q. 73. a. 10. ubi de peccatis ex deliberatione procedentibus inquit, quod ista magis alicui imputantur, quo major est, celsiorque delinquens. Quod propter quatuor evenire potest causas ipsius.

Primo quidem, quia facilius possunt resistere peccato maiores, puta qui excedunt in scientia, & virtute, unde Dominus dicit Lucæ 12. quod servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens plagis vapulabit multis.

Secundò propter ingratitudinem, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, & quantum ad hoc quælibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundum illud Potentes potenter tormenta patiuntur.

Tertiò propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si Princeps iustitiam violet, qui ponitur iustitiæ custos: Et si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit.

Quartò propter exemplum, sivè scandalum, quia ut Gregorius dicit in pastorali cap. 2. In exemplum culpæ vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur, ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & magis ea homines indignè ferunt.

Digitized by Google

38 Ex multis ergo capitibus constat, unde gravitas dignoſci poterit peccatorum, ejuſque pari pacto graduatio. De qua præfata ſcitu digna referenda cenſui ex D. Thom. ut liquidò videatur quod neglecta quacumque dæmonis propoſitione peccati, homo aliundè habet quo illud agnoſcere poteſt, cujuſq; ſit ponderis, & eo magis, undè de ſuis doleat, pœniteatque delictis, de quorum cæterum pœnitentia agenda, præter ea, quæ de illis opportuno ſupra perpenſum eſt dolore, curæ ſit ad inflammandos populos Prædicatorum, nè nimio opere ad prædicabilia tranſeuntes extra modum noſtri loquamur inſtituti: Ad id autem quod inſciè à peccatis ipſis rationem peccati adimens in ſua aſſertione Molinos ait, nequaquam neceſſum fore illa clavibus ſubjiciendo Eccleſiæ confiteri, infra eum de neceſſitate confeſſionis agemus, occurremus: Quæ verò hucuſque hic dicta ſunt ſat ſint quibus obtrita benè ſit Quadrageſima octava Molinos Propoſitio, videlicet ut ſupra, &c.



Digitized by Google

CAPUT XLIX.

Quadrageſima nona Propoſitio Molinos. *Giob per violenza del Demonio faceva le pollutioni con le ſue mani nel medeſimo tempo, che* mundas habebat ad Deum præces. *Così interpretando in tal ſenſo un teſto del cap. 16. di Giob.*

Oppoſitum è contra dictum.

Quæ de Job referuntur cap. 16. nullatenus, ut immundum eum incuſant, nec aliquid in ipſo ſœditatis important.

1. MUltiſona reſonat cum à nobis inſcribitur divina Majeſtas, quippè quæ perfectionũ omnium abyſſus immenſa, ut ab homine prorſus incõprehenſa, nonniſi minutim ab ipſo noſcitur, & inſcribitur. Quod adeo modicè, nec modico minùs, imò ut nihilũ ac Plato cẽſuit, quod cõpulſus ex hoc fuerit in ſuis clamitare Accademiis, ut fertur Dialõg. Theag. Majeſtas ejus, nec menti comprehendi, nec lingua exprimi, nec ab hominibus nominari poteſt. Verũ quidquid Platonica ſentiat de divinitate ſententia. Quamplurima in ſacris litteris exponuntur de illa, & præſtantia nomina: Ut primum eſt illud incommunicale *Iehova*, per quod ipſum, *Tetragrammaton* illud exurgit admirabile præcelſium epithoma arcanorum. Illudque itidem injunctum Moyſi in Oreb, Exod. 3. *Ego ſum qui ſum*. Et Hyeremiæ 32. *Fortiſſime, Magne, Potens, Dominus exercituum nomen tibi*. Sicut Exod. 15. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus*. Aliaque quorum numera ſtellas ſi potes, Cœliſque ipſis non conferenda fulgentiora. Nihilominus duo præ cæteris, & præcipua pro quanto ad rem conferunt, emicant in eo lumen inquam, ſi vè lux, & fons, ſeù fluvius: Nomina quidem millies in ſacra pagina ſculpta. Unde ad Verbum, *Tu lumen, Tu ſplendor Patris*, & Baruch. *Adduxit Deus Israel cum iucunditate in lumine Maieſtatis ſuæ.* Clamatque pro fonte David pſalm. 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Et Eccleſiaſt. 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei, &c.* Lumen illuminare habet, nitidum facere, perſpicuum reddere, clarum oſtendere, &c. Fons autem, detergere, dealbare, mundum, purumque efficere. Ita profecto divina Majeſtas, & ſapientia colluſtrat, illuminat, purgatque dealbat Corda per gratiam clarificans, et ſi quas invenit maculas detergens in eis.

2. Quid autem eſt gratia niſi hujuſmodi divinæ celſitudinis forma-

his

lis participatio, ut ipsa describam exhibet Theologica scientia? Ita creati ergò radius solis, fontisque sempiterni rivulus purissimus, quo divina in nobis effusa limpiditas, claritasque perfusa, similes ei effecti, sine umbra clarescimus errorum, sine labe nitescimus peccatorum, quod asseverans in 2. Petrus Apostolus cap. 1. inquit. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donantur: ut per hæc efficiamini divinæ Consortes naturæ.* His profectò claret excellentiis justus, qui Dei gratia prædictus, ut sol effulget, utque immaculatus, agnus divini fit ad instar perjucundum Dei holocaustum.

3 Quis ergò ambiget, (Sacra pagina teste, ipsius referente Altissimi verbo) ejusmodi fuisse Iob, de quo ut cap. 1. divinum inquit oraculum: Quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Nitidus ergò, & clarus, nec non ab omni immunis inquinamento, fœdaque labe remotus. Vnde quo pacto pollutus imaginari quiverit, sordibusque mollis inquinatus? Quomodo in eo pectore, quod sola gratiæ fulget, ac ubi fons aquæ salientis in vitam æternam excurrit, fumigeræ ascendere queunt fæces carnalium sordium, lutumque conspergi turpis obscœnitatis? Certè qui hæc tam Sancto Patriarchæ ex ipso Altissimi ore comprobaro, adjudicat, posset adhuc ab ipso, ut à Sathana peti. Numquid considerasti servum meum Iob? Ad quod tamen deterius Sathana respondere posset. Quod consideravit, & sordidum, fœdumque invenit; Quo nil monstruosius, nec non ad aures ambas tinniendas horribilius.

4 Verumtamen qui pravo captus est ad opposita sensu obsordescens, obfirmare non pavet in præfato Sancto viro immunditiam, sicut. & in compluribus aliis, ex vi dæmonis ad turpes ducti actus, & illicitos. Quod infandum commentum ad liberius inducendum homines ad peccandum proculdubio in vulgò eruptum, suadere conantur illius assertores, præter asserta superius allata, exemplis. Quorum illud in primis ducunt de Iob. cap. 16. ubi tradito in manus Sathanæ Patriarcha, effingitur ab his præfatas excogitantibus violentias, illas ipsum à dæmone pati, præsertim in pulsu manuum ad pollutiones, mollitiesque agendas, in quibus actibus cum violentiam passus fuerit à dæmone (dicunt ipsi,) eosque fecerit contra voluntatem suam, ut præsupponunt ex ipsorum relatis dictis cap. 41. non peccasse asserunt illum, nec aliqua inuri, hac de causa, iniquitatis culpa, vel quod proindè alicujus fuerit pœnæ obnoxius.

5 Verba autem quæ pro ipsis facere dicunt, sunt quæ in præcitato capite 16. referuntur, videlicet. *Concluſit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit. Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum, tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit lanceis suis, conVulneravit lumbos meos, non pepercit,*

Digitized by Google

percit, & effudit in terra viscera mea. Concidit in me vulnere super vulnus, irruit in me quasi Gigas. Saccum consui super Cutem meam, & operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. Hæc passus sum ab, que iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. His ergo verbis ostenditur, (ajunt ipsi) Iob violentias à Sathana passum esse, ut ab hoste, qui tamquam Tyrannus institutus est à Deo nostris hisce temporibus, quique nostri tempestate ad homines torquendos, ut supra ex 43. propositione asseverant, quod in spurcitiis etiam exponendum fore authumam, quod tamen quacumque præcisa culpa egisse Iob affirmant, cum mundas haberet ad Deum preces.

6 Verum quam falsa sit, imò fatua præallata de patientissimo Patriarcha imaginatio, præter ea, quæ supra diximus contra hujusmodi violentias, ex intellectu Sacrorum Doctorum, quorum in hoc solum sensum super relatum caput 16. venari opus est, perspicuè patescet. Et primò pro veridica, ac plausibili intelligentia occurrit Angelicus Doctor, qui super adductum caput 16. sic exponens inquit. *Concluſit me Deus apud iniquum, idest Diabolum, concedendo me scilicet potestati ipsius, & manibus impiorum me tradidit, quantum ad eos, qui instintu Diaboli, eum, vel factis, vel verbis afflixerunt. Secundo autem dicit se percussum interius quantum ad corporalem afflictionem, & hoc est quod subdit, convulneravit lumbos meos, quasi dicat, non solum in circuitu lanceatus sum, sed vulnera pervenerunt usque ad interiora, in quibus delectabatur, quæ per lumbos significantur, in quibus est delectatio, vel etiam generationis origo. Undè etiam per lumbos filii oppressi possunt assignari. Et insuper ostendit multiplicitatem percussionis, ex acerbitate vulneris, cum subdit, non pepercit quasi retrahens manum suam à percussione nè gravius offenderet, sed gravissimè læsit, & hoc est, quod subdit, & effudit in me viscere mea, quia scilicet omnes filios suos, & filias una ruina oppressit, &c.*

7 Et super illud. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ. Per quod excludit à se peccata operum,* Et inde excluſum: adhuc extat quod molinicè dicitur, manus Iob motas esse à dæmone ad actus turpes, & peccaminosos. *Et cum subdit, cum haberem mundas ad Deum preces, ut excludat à se peccatum indevotionis, & omissionis.*

8 Et super verba. *Terra nè operias Sanguinem meum. Intelligit per sanguinem, seù corporis afflictionem, hic autem operiretur, si pro culpa fuisset effusus, sic enim non haberet gloriam, operiretur autem à terra, si occasione terrenæ fragilitatis, præsumptio de præcedenti culpa præsumeretur. Si autem sanguis eius sine culpa fuit effusus, instam quærelam habuit contra offendentem. Sicut Geneſis 4. dicitur Ecce Sanguis Fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Ex quo etiam germano sacri textus intellectu, sordidum ejicitur, imò chimericum Molinos cogitatũ, cum pro sanguine Sancti Iob

effuso

effuso super terram, non aliquid mollitiei, vel immundi actus pollutionis vomptum extiterit, aut aliud per occasionem terrenæ fragilitatis effectum, sed proprii excruciatique corporis afflictio, de qua, utpotè innoxio præsuppositio patiente, recto jure contra tortorem suum conquæri poterat.

9 Denique ut dignoscatur, qua voluntate Deus tradidit Job in manibus Sathanæ, ut crucietur ab eo, & qua ipse Sathan excruciavit; Item ex eodem ostenditur Angelico Interprete, cap. 1. lect. 3. dicente. *Permissum fuit à Deo, scilicet Sathanæ, ut posset nocere Iob ad manifestandam ejus virtutem: sed Sathan non propter hoc eum afflixit, sed ut eum ad impatientiam, & blasphemiam provocaret.* Quod non tantum per seipsum impius agebat, sed adhuc per alios, ut cap. 2. lect. 2. innuit idem Doctor inquiens. *Non solum per uxorem Diabolus mentem Iob exasperare nitebatur, sed etiam per amicos, qui quamvis ad consolandum eum venirent, tamen ad verba increpationis processerunt, &c.*

10 Quæ quam aliena sint ad impingendum aliquid fœditatis, aut turpitudinis in patientissimo Patriarcha, manifestè constat. Imò si difformè aliquid; vel immundum aliquid effingeretur in ipso, refunderetur in Deum tamquam ad primarium perpessionum auctorem: Quod quam absonum sit, planum est, implicatque absurdum. Effectus enim causæ instrumentalis, non tam ipsi, quàm principali refunditur: Cum ergo Dæmon, ut reputat Molinos, sit in his immunditiis causa instrumentalis, & à Deo ad actus motus illicitos: non tam ei, quàm Deo motori refunderetur indignitas, operisque immunditia. Quod in adjecto apertè repugnat: Cum prorsus effingi nequeat, quod Deus, qui gratiam infundens, undique cum illa perfectiones omnes elargitur, atque virtutes, ac inde candorem omnem, nitorem, atque munditiam, immunditias quoque, spurcitiasque profundere velit. Quod profectò lumen simul esset effundere cum tenebris, cum infirmitate deformitatem, cumque gratia, vel amore, odium, & horrorem.

11 Nec occurrere pro Molinica positione valet, quod ad præfatos actus immundos, permissivè se Deus habeat, sicut & ad ipsa peccata: quod nullam in ipso, ut patet, indignitatem importat.

12 Quandoquidem, ut ex ipsius ore Molinico constat in ejus præsertim quadragesima prima, nec non quinquagesima prima propositionibus, non solum dicitur Deus, ad præfatos permissivè concurrere actus, verum etiam volitivè, seu positivè, ut in præcitata fatetur quadragesima prima Propositione dicens,

Digitized by Google

Iddio permette, è vuole in alcune anime perfette etiandio non arrettitie, che il Demonio cagioni violenza nel loro corpo, e le faccia commettere atti carnali, &c. Et in calce propositionis quinquagesimæ primæ, de eisdem violentiis loquens, hæc habet. *Se poi sia stata violenza fatta immediatamente da Dio, ò col ministero del Demonio, come siegue in altre anime, si lascia in dubio.* Quo loquendi pacto præsupponere se monstrat, posse aliquando Deum immediatè ad præfatos, concurrere actus, ac de facto concurrere. Convictus ergò ad hominem fateri cogitur, Deum qui voluit ipsum Job, simplicem, rectum, timentem Deum, recedentemque à malo, ac per consequens justum, purum, mundum, omnique nitore fulgentem; velle itidem ipsum immundum, sordidum, fœdum, omnique spurcitia inquinatum. Quæ tam dictu, quàm cogitatu difformia, nullatenùs extitisse sanam reputo mentem, quæ non horrescat, aut quod ad illa stomacum habeat sic monstruosa ferenda.

13 Ad quæ amplius exploranda, revocemus ad expositiones præfati capitis 16. In Job, sermonem. Et ut insinuat cum Principe moralium Gregorio Magno Pontifice, Eminentissimus Ugo, super illud quod excruciatus fatebatur in se Job. *Ideſt convulneravit lumbos meos. Ad litteram Doctor inquit. Vulceribus, vel mysticè pro plaga in eo ex quo voluptuosè processerunt filii ejus. Et effudit in terra viscera mea. Benè potest intelligi de morte filiorum, vel de ulcere pessimo, quo percussus jacebat in sterquilinio testa saniem radens. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ. Hæc satis patent ad litteram de Iob. Supple. Digna tantis pœnis. Unde supra cap. 9. loquitur. Multiplicavit vulnera mea, etiam sine causa. Gregorius. Hæc omnia in persona Christi, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Isaiæ 13. Qui solus mundas ad Deum preces habuit. Quia in Cruce, etiam pro inimicis oravit Lucæ 14. Qui peccata multorum tulit, & pro transgressoribus oravit. Terra nè operias Sanguinem meum dicit Iob, ideſt laborem, & dolorem meum, quem videri à Deo pro quo hac substinebat, desiderabat. Et vocat amicos suos terram, quia terrena amabant. Vel sic. Terra nè operias sanguinem meum. Ideſt vos terreni, peccatum meum si scitis, non occultetis mihi, sed dicite: hoc enim licitum est. Ecclesiastici 19. Corripe proximum, nè fortè non dixerit, & si dixerit, nè fortè iteret. Vel sic. Terra nè operias faciem meam. Ideſt amor terrenorum. Non occultet peccatum meum, quin in Confessione aperiatur, sæpè enim cupiditas tollit Confessionem. Mysticè etiam de Christo, ut ipsemet loquatur, cuius Sanguinem terra, ideſt Ecclesia non operiat, sed in cunctis mundi partibus per Apostolos predicavit,*

nec

nec invenit in ea locum latendi clamor Sanguinis Christi : quia melius loquitur, quam sanguis Abel. Hebr. 12. *Quia Sanguis Abel, mortem fraticidæ petiit : Sanguis verò Christi vitam persecutoribus impetravit.* Quæ Sacri Textus intelligentiæ, sivè litterales sivè mysticæ, quàm longè sint ab adinventa Molinos violentia, liquidò patet. Quapropter voluntarium quoddam commentum eam fore, nec alium habere patronum, quam ipsummet Auctorem suum, infertur.

13 At admodum mirum est, quod dum Sacri Doctores, cum de Iob loquuntur, summis eum laudibus efferunt, nec in quavis eorum super inductum caput 16. expositione, mentio nonnulla de præfata fiat Molinica violentia, solus ipse Molinos molitus eam, audeat polluere illum, eique labem fœditatis aspergere. Invictum eum prædicant ad impetus quoscumque rabidos Sathanæ, sacræ paginæ oracula, quapropter ut constantiæ Princeps, ferream perfrangens pertinaciam hostis, in exemplar erectus est fortitudinis, hæroicæque virtutis, ceù cœlestis Idæa. Molinos autem abjectionis nota dedecorans, depressum eum à dæmone reputat, atque per vim devictum, ad actus deductum eum indicit infandos, & turpes, haud extimescens, maculis velut inurere solem, ipsiusque gratiæ nitorem, malè olente halitu verborum inficere, speculumque limpidum commaculare virtutum.

14 Quam autem obstiterit aggressionibus Sathanæ Sanctus Heros, quamque irritos illius effecerit esse conatus, Divum denuò audiamus, ut supra cap. 44. Augustinum serm. 2. tom. 10. sic ipsum collaudando dicentem. *Fortiter colluctatus est Diabolus, sed Athletam Dei superare non potuit. Immanes suscitavit fluctus ; & firmissimam petram commovere non valuit. Machinationes suas adhibuit ; & Turrim validissimam non prostravit. Arborem concussit, & decutere poma non potuit. Parietem perforavit ; sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum autem dico, non auri, & argenti, sed fidem iusti, &c.* Patet autem luce ipsa meridiana lucidius, quod si dæmon præfatam inferre potuisset violentiam in Iob, ita ut ad actus, ita fœdos inducere valuisset eum, non utique sic ab eo rejectus, ac triumphatus, invictum probasset illum, & inexpugnabilem, quin potius depressum, ac subactum, cujus prorsus ex prædictis constat oppositum, ut constat ex ipsomet expresse Doctore ibidem de Diabolo contra Sanctum depugnante Patriarcham, hæc ita scribente: *Bellator Mundi in uno viro torquetur, dum torquet, & pœna revertitur in Autborem. Ecce, inquit Dominus, tradam illum tibi, animam illius tantummodo custodi, Securè pugnat, qui hoste metuente*

Digitized by Google

ſervatur . Sic hoſtis furebat , ut timeret , infligit dolorem crudelitas , & deficit in ſuis viribus , &c. Et infra ſerm. 2. de victoria Sancti Job perorante eodem Sancto Doctore . *Vidiſti augumentari fluctus , vidiſti Turrim ineſpugnabilem , vidiſti Deum glorificatum , & Diabolum confractum , &c.* Igitur ſi Sathan ipſe , qui bellator eſt , torquetur in torquendo Job , pœnam patitur , pœnam inferens , metuit dum excruciat , deficitque in ſuis conatibus , dum dolores infligit , & confractus eſt . Quonam ergo pacto effingi potuit ita prævaluiſſe , quod violenter ſubactum Patriarcham , induxerit ipſum , nolente ipſo ad turpes , immundoſque inverecundos actus ?

15 Præterea huc benè quoque conferrent , quæ ſupra cap. 41. peracta ſunt de homine pervigili , ac ſui compote , vel animi manente , in eo ſano dictamine , quod nequeat in actus corruere pravos , & turpes , ſpectato Dei ſuper ipſum ſuavi providentiæ , conſuetoque regimine , quod præſertim in ſuis ſervis , & prædilectis effulget , quorum curam oſtendit habere præcipuam , ſervando eos in ſua gratia mundos , & puros , tamquam ſui Templum , ſpeciatim dicatum . Quam Dei benignitatem obſervans Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 153. art. 3. ad ſecundum pro munditia corporis agens ſuper illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 6. *Empti eſtis pretio magno , glorificate , & portate Deum in corpore veſtro* : inquit . *Ex eo quod aliquis inordinatè ſuo corpore utitur per luxuriam , iniuriam facit Deo , qui eſt principalis Dominus corporis noſtri . Unde & Auguſtinus dicit in lib. de decem Chordis cap. 10. tom. 9. Dominus , qui gubernat Servos ad utilitatem illorum , non ſuam hoc præcipit , nè per illecebras , & illicitas voluptates corrumpat Templum ejus , quod eſſe cœpiſti .* Cum ergo ſic Deus ſit Templi ſui Zelotes , quod nullatenus tolerat in eo immunditiæ labem , quo pacto in ab ipſo appellato ſervo ſuo Iob , ita Dæmoni poteſtatem ſuper illum tribuere voluit , ut eum impurum , inquinatumque ſpurcitiis , inviſum pollutumque deinde Templum efficiat ?

16 Item cum actus venerei contra , vel extra modum , & ordinem rationis acti , vitam inducant vitioſam , ac flagitioſam in homine , quoniam ut ex D. Iſidoro lib. Ethimol. cap. 11. habetur . *Luxurioſus aliquis dicitur . quaſi ſolutus in voluptates , maximè autem voluptates venereæ animum hominis ſolvunt , ut cum præfato Doctore innuit Divus Thom. 2. 2. quæſt. 153. art. 1.* Quomodo fateri poſſumus permiſiſſe , imò voluiſſe Deum , (ut loquitur Molinos) ſic ſuum derelinquere in manibus tartarei hoſtis ſervum , ut in ipſo venereis inductis delectationibus , & voluptatibus , inſtia ducat ſolutæ , vitioſæque vitæ ?

17 His

Digitized by Google

17 His autem quam validè, coarguatur ipſe Molinos, ex Divi Thomæ tradita doctrina in præcitato 2. 2. art. 3. arguatur. Quo reſolvit: *Luxuriam eſſe peccatum.* Fulcitque ratione. *Ex eo quod quanto aliquid eſt magis neceſſarium, tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo ſervetur. Unde per conſequens magis eſt vitioſum, ſi ordo rationis prætermittatur. Uſus autem venereorum valdè neceſſarius eſt ad bonum commune, quod eſt conſervatio generis humani, & ideò circa hoc maximè attendi debet rationis ordo, & per conſequens, ſi quid circa hoc fiat præter quam rationis ordo habet, vitioſum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, ut ordinem, & modum rationis excedat circa veneream, & ideò abſque dubio luxuria eſt peccatum.*

18 Et in reſponſione ad primum. Diſcrimen oſtendens inter ſemen, quod ſuperfluum eſt alimenti, aliaſque corporis ſuperfluitates, quodque illud emitti debet juxta finem debitum, quidquid fit de aliis ſuperfluitatibus. Docet cum Phyloſopho lib. 1. cap. 19. de gen. anim. *Quod ſemen eſt ſuperfluum quo indigetur, dicitur enim ſuperfluum ex eo quod reſiduum eſt operationis virtutis generativæ, ſed aliæ ſuperfluitates humani corporis ſunt, quibus non indigetur, & ideò non refert qualitercumque emittantur ſalva decentia convictus humani: ſed non eſt ſimile in ſeminis emiſſione, quæ taliter debet fieri, ut conveniat fini ad quem eo indigetur.*

19 Certum eſt autem quod pollutio facta per dæmonis violentiam, juxta Molinicum placitum, præter ordinem rationis eſſet, neque juxtà debitum generationis finem, cum fieret extra vas naturale, effundens hominis ſemen ſuper terram. Undè ad numerum peccatorum contra naturam adſcribitur: quamquam inter iſta infimum locum teneat, ut docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 2. ad 4. inquiens. *Quod gravitas in peccato magis attenditur ex abuſu alicujus rei, quam ex omiſſione debiti uſus, & ideo inter vitia, quæ ſunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, ſeù mollitiei, quod conſiſtit in ſola omiſſione concubitus ad alterum. Graviſſimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſervatur debita ſpecies, undè vocatur crimen peſſimum Geneſ. 27. poſt hoc eſt peccatum ſodomiticum, ex eo quod non ſervatur in illo debitus ſexus, &c.* Quidnam autem indignius quam virum ex ipſius divini ore oraculi in Sanctorum numero adſcriptum, ita ſub dæmonis violentia ſubactum imaginari, quod nedum per ærumnas, plagaſque peſſimas illatas in ſterquilinio jacuerit, verum etiam per immunditias, & ſpurcitias modum rationis, & ordinem inficientes, velut ſus in volutabro luti volutatus fuerit?

20 Quæ tam digno apponere indignia viro, blaſphemiæ pro-

cul-

Digitized by Google

euldubio, nuncupanda sunt: nec non ipsi Deo, qui in Sanctis suis, sicut admirandus, ita laudandus, & adorandus est, injuriosa flagitia. Docet enim D.Th.2.2.q.13.art.1. *Ad secundum dicendum, quod sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis suis efficit: ita & blasphemia, quæ fit in Sanctis, ex consequenti in Deum redundat*. Molinos ergo præfatas apponens Sancto Job immunditias, ut blasphemus censendus est, ac proindè tamquam affecla similis Bestiæ, de qua scribit in sua Apocalypsi Sanctus Joannes Apostolus cap. 13. *Quod aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & eos, qui in Cœlo habitant*. Ut illa vitandus est, & per consequens ejus repellenda quadragesima nona Propositio Molinos, videlicet ut supra, sicut & una simul abjicienda per sequentia indicta capita quæ sunt,

Digitized by Google

CAPUT L, & LI.

Quinquagesima, & quinquagesima prima Propositio Molinos. *David, Geremia, e molti de' Profeti Santi pativano tali violenze di queste impure operazioni esterne. Nella Scrittura Sacra vi sono molti essempi delle violenze ad atti esterni peccaminosi. Come Sansone, che per violenza si ammazzò da se stesso con li Filistei, si maritò con una Alienigena, e fornicò con Dalida Meretrice, che per altro erano cose proibite, e sarebbero stati peccati. Di Giuditta, che menti ad Oloferne. D' Eliseo, che maledisse i fanciulli. D' Elia, che abbrucciò i due Capitani con le Truppe del Rè Acab: se poi sia stata violenza fatta immediatamente da Dio; ò col ministero del Demonio, come siegue in altre anime, si lascia in dubio.*

Oppositum ex adverso dictum.

Quod de aliquibus Sanctis in sacra pagina fertur, nonnullos ex præallatis aliquando egisse actus externos, non ex violentia dæmonis illis illata, putandum est effecisse, sed ex seipsis voluntariè, ac liberè, si in ipsis obnoxii fuerunt, aut ad eos Dei prævio motos, prævioque impulsu, si alias in eisdem innoxii.

1 SAcrilega temeritas fuit illa Philippi Regis Macedonum, qui dum esset Adolescens, hora qua jam serò dies ad vesperascit, apparentibus in Cœlis astris, jacere adversus illa delectabatur ludo sagittas. Infrons equidem audacia, quo quid sceleſtius arma sumere contra lumina, quæ oculi sunt Cœli nocturni, quibus hoc velut Argus super orbem invigilat? Flagrâtes item ipsius cœli Pyropi videntur, quibus ut effulgentibus gemmis illuminatum, flammeum emicat Altissimi solium. Flores adhuc dicas ea fore, quibus hilares immortali Vere floresc\u0303t horti pensiles cœlestium Heroum. Sacras ultrò lampades pro decore ætherei Templi succensas Majestatis æternæ. Vel filias ea reputes, heredesq; perindè luminum Genitoris Occasi. Sive tandem ut crinitas paveas, comatasque cometas, radiantibus cœli serpentibus Furias exterrentes, comminantesque improbos, Cœlorumq; rebelles. Et quidem ab his orbes offensi non sinunt, quin vindices pœnas ab eis debitas ex æquo sumant, ut re ipsa Philippus ipse probavit, qui oculos lædere ausus fuit, decoremq; Cœlorum, deindè in pugna quadam acerrima erutus fuit ipsi oculus à quodam hostium Sagittario, nomine Astro: Unde qui Cœlum excæcare penè non

non horruit, oculos ejus transfigere attentans, ab ejusdem astris meritò postmodum tranfixa videatur ei acies, & meritam de scelere pœnam ferret, de sumptis olim ab ipso contra Cœlos armis, actaque in eisdem sacrilega rebellione.

2 Quid ergo sunt Sancti? Quidque Dei Servi, Cœlorumque omnes electi quam ejus effulgentia sidera, orbiumque Cœlestium ornamenta? Quocirca qui ad hæc obumbranda os suum ponere audet in Cœlo, tamquam in superos injuriosus, ad vindictam eos proculdubio irritare videtur. Præcipites corruerunt è Cœlis Satannicæ Legiones, nec unquam ad eos ingressum amplius habere sperantes, unà cum Bestia magna detrusæ in abyssum, pro crimine astra violandi, pœnas luunt æternas. Et quidem meritò inflictæ, quoniam non efficti prosumptuosi Gigantes, vim cœlestibus inferre ambientes, non immeritò sub montibus ingentium sepulti flammarum, perpetuò pro tanto scelere supplicio præmuntur. Horum ad instar gerere se videntur, qui Sanctorum astra figmentis commaculare audentes, ex imis suorum pectorum terrestribus fundis evomptis, halitus cœu vapores sursum emittunt ad cœlicas inficiendas orbium regiones, imò ad feriendas fulgoribus ad astra jactis, ex ipsa vaporum massa prosilientibus.

3 Ità profectò reputemus agere, Molinicas confingentes in Sanctis per vim dæmonis actas immunditias, pollutiones, atque indigna facinora; quod est Cœlicũ contaminare candorem turpibus, infandisq; flagitiis, ipsaque Cœlestia Numina ad arma provocare vindictæ. Nonne namque temeritas est, & ingens, ita de Sanctis, adorandisque Dei Servis impudenter obloqui? Nonnè sic astra in Cœlo fixa, diabolicum est dictis velle impingere fœdis? Et nonne igitur incitare illa cum his erit, ut stantes in ordine suo, adversus novũ Sysaram depugnẽt? Et ut ad rem veniamus; Quid deterius imprimis Regium criminari Vatem: qui vir, ore divino teste, secundum Dei cor inventus, præcelsam in Dei gratia dignitatem adeptus, summo colendus est honore, utque Rex excolendus? Quique si criminibus fuit obnoxius adulterii, homicidii, aut elationis, delicta ipsa fuerunt, ex suimet pectore, seu corde orta, non autem ex vi in ipsum illata dæmonis. Unde de illis pœnitentiam egit asperrimam, cinerem tamquam panem, inter cætera mortificationis opera, manducando, fletum cum potu commiscens; imò sic peccata ingemiscens, quod neutiquam quiescendo, lachrimæ fuerunt ipsi panes die, ac nocte: Vt quid ergo tot perpessionibus subjici, totque macerari asperitatibus; si culpæ innoxius, remoto suæ voluntatis assensu per dæmonis tantummodo impulsu, actus egisse illicitos, nec non opera perpetrasset immanitatis, vel superbiæ? Iam enim ut ipse Molinos asserit in 48. propositione, præfatos actus, nec peccata quidem venialia fore. Supervacaneæ igitur, & frustra pro illis ita se David excruciasset, cujus oppositum ex

sua

Digitized by Google

ſua relata in ſacra pagina peracta vita, ſuiquemet oris confeſſione, cum ex corde confeſſus fuit clamando, peccavi. Ut peccatorem ergo dijudicare debemus ipſum, verumtamen ut celeberrimum pœnitentem, admirari, *quemque ſi errantem ſequuti fuerimus, ſequi fas eſt etiam, & pœnitentem*, ut D. hortatur Ambroſius. Idemque in Hexam. ſuper Apologiam David, ſic de ipſo inquit cap. 4. *Peccavit David, quod ſolent Reges, ſed pœnitentiam geſſit. Flevit, ingemuit, quod non ſolent Reges. Confeſſus eſt culpam, obſecravit indulgentiam, dum ſtratus deploravit grumnam, jejunavit, oravit; confeſſionis ſuæ teſtimonium in perpetua ſecula vulgato dolore tranſmiſit, &c.* Non ergo ex violentia dæmonis ad actus David incidit adulterii, homicidii, & inanis gloriæ cum numerari populum bellatorem juſſit, &c. Sed ſua voluntate, liberoque arbitrio. Dicit enim D. Pater Auguſtinus Dom. 1. poſt feſtum Sanctæ Trinitatis ſer. 2. Comparans Dæmonem cani alligato. *Alligatus eſt tamquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Iam videte Fratres, quam ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluntates, & cupiditates ſeculi non conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit, &c.*

4 Adhuc hoc ipſum indicans Eminentiſſimus Ugo ſuper caput 16. Job in illis verbis, convulneravit lumbos meos, ſic inquit. *Convulneravit autem dicitur: non vulneravit: quia quod Diabolus nobis malè ſuggerit: nos ſequentes ex propria voluntate implemus, & quaſi cum eo pariter vulneramus.* Quod amplius explicans ibidem ſubdit, qui Princeps eſt moralium Divus Gregorius Papa dicens. *Sicut loquutio ſolius eſt, ita colloquutio plurium.* In qua expoſitione annotandum jam planè conſtat, quo pacto non ex dæmonis illata vi, ſeu violenta motione aliqua, opus perpetratur illicitum, & peccaminoſum, quæve fit paſſo non conferente vim ullam, benè verum ex propria noſtra perverſa voluntate, ſuggeſtionibus adhærente dæmonis, ejuſque obſequente fallacibus immiſſis ſpeciebus: per quæ patet ad ea, quæ de Sancto Rege David relata ſunt in ſacra pagina, crimina, & ad quæ ſimiliter alios deliquiſſe, illa commemorat.

5 Mirabile tamen eſt, inter has obſcœnitates, quas evenire reputat Molinos per violentiam dæmonis, Hyeremiam quoque audire admixtum. Quænam unquam impuritas, & immunditia imaginari potuit in illo, de quo ut nitidiſſima Deo dilecta Columba, loquutus eſt iſte cap. 1. dicens. *Priuſquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te?* Quænam ergo ſordes in eo ſupra quem Dei gratia ſic emicans extitit, donaque præcelſa

fulserunt, ut ab ipsomet edoctus Altissimo, adhuc puerulus nescieus à se penè loqui, Angelus ejus fuit ad convertendum populos, eosque terrendos? Et quonam quęso pacto pollutus, & contaminatus ille qui ut Sagitta Omnipotentis electa, corda transverberans hominum, nequivit, quam pectore, oreq; purissimo verbum Dei nunciare, utpotè ipsius manu Dei tacto, spirituque firmato? Obstruatur ergò os loquentis contra hujusmodi Dei servum iniqua, cum astrum inficere ex præcipuis Empirei velle sit, & impingere abhorrentibus verbis.

6 Ad id quod infra subjungitur de Samsone, optimè valet quod ex Divo Augustino refert D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. *Ad quartum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in primo de Civitate Dei* cap. 21. tom. 5. *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. Et eandem rationem assignat de quibusdam Sanctis Fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur.* Unde in sacris Ecclesiæ chalendis, ut præclarum facinus memoratur illud Sanctę Apolloniæ Virginis Alexandrinæ, quæ comprehensa ut combureretur, cum paulisper quasi deliberans quid agendum esset, stetisset, repentè se de militum manibus proripuit, & in ignem quem paraverant, majori Spiritus Sancti flamma intus accensa, sponte prosilivit, stupentibus ipsis crudelitatis auctoribus, quod fœmina promptior esset ad mortem: quam persecutor ad pœnam.

7 Idipsum de Samsone sentiens in expositione libri Judicum cap. 17. Vgo Cardinalis super illud, multoque plures interfecit moriens: inquit arguens. *Sed nonne peccavit Samson hoc faciendo? Respondetur: Non: quia fecit instintu Spiritus Sancti: Quod patet ex eo quod præmisit orationem ad Dominum: & quia numeratur in Catalogo Sanctorum: Hebr. 11.* Hinc ipsum causam innuens cap. 16. super ea quæ Samson contra Philisteos egit, eorum vineas, frugesque succendens, nec non eosdem percutiens ad ultionem plaga magna, exponens illa verba, *Sicut fecerunt mihi feci eis, scilicet malum pro malo reddens.* Sic arguens idem Doctor inquit. *Sed nonne fecit contra illud Rom. 12. nulli malum pro malo reddentes. Præterea non servavit tenorem justitiæ: quia modum excessit. Solutio. Excusatur: quin hoc totum instinctu Spiritus Sancti fecit.*

8 Quod ad alienigenam transierit, eamque in uxorem voluerit, eadem Spiritus divini motio est pro ratione ducenda, quod ex ipsiusmet Sacræ Scripturæ sensu planè infertur. Quoniam cum dixit Samson Patri suo, & Matri suæ. *Vidi mulierem in Tamnatha de filiabus: Philistinorum! quam quæso, ut mihi accipiatis uxorem. Dixerunt ei Pater, & Mater sua. Numquid non est Mulier in filiabus Fratrum tuorum, & in omni populo tuo, quia vis accipere uxorem de Philistim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum, Hanc mihi accipe uxorem, quia pla-*

Digitized by Google

placuit oculis meis. Parentes autem eius nesciebant, quia res à Domino fieret: & pareret occisiones contra Phylisteos, increpant Samsonem parentes (subsequitur Doctor) *nescientes quia à Deo fieret: quia dixerit Deus Deuteron. 7. Non sociabis cum eis coniugia, nec filiam suam dabis filio eius: nec filiam ipsius accipies filio tuo. Item num. ultimo. Cuncti viri ducent uxores de Tribu sua, & cunctæ fœminæ maritos de eadem Tribu.* Cum ergo res ita sit à Deo disposita, & facta, per ejus ex consequenti motionem fuit, & instinctu, quo motus Samson transivit ad Conjugium alienigenæ, &c.

9 Quod verò de ipso legitur cap. 16. *Abiit in Gazam, & vidit ibi Mulierem meretricem, ingressusque est ad eam, &c. Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila, &c.* Quæque tandem subdola duxit eum ad mortem. Non est quod excusetur Samson à criminibus fornicationis, Deumque permissivè concurrente ad illa, servatis tamen per ea mysteriis, ut fusè apud est videre Sacros Expositores. Quod D. Augustinus Dominica in Passione Domini serm. 1. tom. 10. de Sampsone, sic post plurima innuit. *In eo enim quod virtutes, & mirabilia operatus est Sampson, Caput Ecclesiæ Christum significabat: in eo autem quod prudenter fecit, illorum, qui in Ecclesia juste vivunt, imaginem gessit: ubi fortè præsuntus est, & incautè fecit* (en actus criminosi) *eos qui in Ecclesia peccatores sunt figuravit, &c.* Præfatos autem actus peccaminosos non est dicendum, ut Molinos effingit, per violentiam egisse dæmonis, sed incauta sua voluntate, aliàs per illos in sacris litteris minimè culparetur, neque peccatorum figuram gereret, perque sensuales illecebras devinctorum: Verum ad respuendam aliundè ejusmodi violentiam non modicè prædicta vigent, nec non enucleanda inferius, de concursu differendo dæmonis ad peccata.

10 Pro his verò hic dictis opportunè conferunt ex D. Dh. scienda 2. 2. q. 150. art. 3. *Ad tertium dicendum quod Abraham, & Iacob ad ancillas accesserunt non quasi fornicario concubitu: Iudam autem non est necessarium à peccato excusare, qui etiam auctor fuit venditionis Ioseph.* Loquitur hic D. Thom. de concubitu habito cum Thamar, in quo peccasse Judam inquit peccato fornicationis. De accessu autem Abraham, & Job ad Ancillas, pro ampliori explicatione ad opus se remittit matrimonii, quod postea morte præventus non complevit, recolendum ex ipso est, ut docet in 4. sent. *Quod eum habere concubinam, non matrimonio iunctam, sit contra legem naturæ nullo tempore secundum se licitum fuit, nec etiam ex dispensatione. Sicut enim ex dictis patet, concubitus cum ea quæ non est conveniens actio ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonii, & ideo est contra prima præcepta legis naturæ, quæ dispensationem non recipiunt. Unde ubicumque legitur in veteri testamento, aliquos habuisse concubinas, quos necesse sit à peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimo-*

Digitized by Google

nio iunctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secundum enim quod matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt bonum prolis, uxor viro coniungitur inſolubili conjunctione, vel ſaltem diuturna, ut dictis patet, & contra hoc non eſt aliqua diſpenſatio. Sed quantum ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum, uxor conjungitur viro, ut ſocia, ſed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur, in hoc enim poterat eſſe diſpenſatio, cum ſit ſecundarius matrimonii finis, & ex hac etiam parte habeant aliquid ſimile concubinis, ratione cujus concubinæ nominabantur.

11 Hac præjacta in corpore articuli doctrina occurrens argumento inquit: *Ad ſecundum dicendum, quod antiqui Patres ex diſpenſatione, qua plures habebant uxores, ad Ancillas accedebant uxorio affectu: erant enim uxores quantum ad principalem, & primarium finem matrimonii, ſed non quantum ad illam conjunctionem, quæ reſpicit ſecundarium finem, cui conditio ſervitutis opponitur, cum non poſſit ſimul eſſe ſocia, & Ancilla.*

12 Hæc autem inſuper advertenda detulimus, ad amplius refellendum id quod intendit ex his quæ exprimit in ſua propoſitione Molinos puta quod acceſſus veterum Patrum ad exteras, ſivè alienigenas, fuerit ſemper actus peccaminoſus, nec non ad illum ex violentia dæmonis pulſi, quod quam ſit falſum, jam patet ex his modò ex D. Thom. relatis, & ulterius ex eodem 2. 2. quæſt. 154. art. 2. *Ad ſecundum dicendum quod fornicatio dicitur peccatum in quantum eſt contra rectam rationem. Ratio autem hominis recta eſt, ſecundum quod regulatur voluntate divina, quæ eſt ſumma, & prima regula. Et ideo quod homo facit ex voluntate Dei, eius præcepto obediens, non eſt contra rationem rectam, quamvis videatur eſſe contra communem ordinem rationis; ſicut etiam non eſt contra naturam, quod miraculosè fit virtute divina, quamvis ſit contra communem curſum naturæ. Et ideò ſicut Abraham non peccavit filium innocentem volendo occidere propter hoc quod obedivit Deo, quamvis hoc ſecundum ſe conſideratum ſit communiter contra rectitudinem rationis humanæ. Ita etiam Oſea non peccavit fornicando ex præcepto divino, quãvis fornicatio nominetur referẽdo ad curſum communem. Undè Auguſtinus dicit 3. Confeſſ. c. 8. to. 1. Cum Deus aliquid præcipit contra morem, aut pactum quorumlibet libet, etſi numquam ibi factum eſt, faciendum eſt. Et poſtea ſubdit. Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ, maior poteſtas minori ad obediendum proponitur, ita Deus omnibus.*

13 Ad id quod ſubditur de Judith, cum eodem occurrendum eſt D. Th. ſecum D. deferente Auguſt. 2. 2. q. 110. a. 3. *Ad Tertium dicendum, quod in ſacra Scriptura, ut Auguſtinus lib. de mendacio cap. 5. tom. 4. inquit: Inducuntur aliquorum geſta, quaſi exempla perfecta virtutis, de quibus*

non

Digitized by Google

non æstimandum est eos fuisse mentitos, si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est ea figuraliter, & prophetice dicta esse. Unde Augustinus loco citato dicit contra mendacium. Credendum est illos homines, qui propheticis temporibus digni authoritate fuisse commemorantur, omnia, quæ scripta sunt de illis, prophetice gessisse, atque dixisse. Abraham tamen, ut Augustinus dicit in quæstionibus super Genesim lib. 22. contra Faustum cap. 34. tom. 6. dicens Sarram esse suam sororem, veritatem voluit celari, & non mendacium dici, soror enim dicebatur, quia filia Patris erat. Unde & ipse Abraham dicit Gen. 20. Verè soror mea est filia Patris mei, & non Matris meæ filia, quia scilicet ex parte patris ei attinebat. Iacob verò mystice dixit se esse Esau primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum mysterium, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum mysterium, quia videlicet minor populus scilicet gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scilicet in locum Judæorum. Quidam verò commendantur in Sacra Scriptura, non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis effectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda, & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis, se exposuit; Quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent, secundum aliquem mysticum intellectum.

14 Ad quem attendens Divus Augustinus serm. 2. de Judith tom. 10. de illa sic loquitur. *Pergit divino spiritu ducta, & singularis Ancillæ solatio contenta, &c. Holofernem alloquitur, &c. Ducam te per mediam Civitatem, & ponam sedem tuam in media Civitate, &c. Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit. Non ergo mendacium reputandum est, quod Holoferni exposuit Sancta Vidua, sed veracitatis pura loquutio, obscura tamen Duci capto amore, ut patuit.*

15 Quibus datur intelligi quid, quove pacto sentiat Sacra Scriptura cum de his, vel aliorum mendacibus agit actibus, aut artibus. Quodque neutiquam in sensu illorum, locum habere videtur ullum violentia Molinica dæmonis: Quoniam vel mysticum fuit illorum sensum, ac pro mysterii causa, dicta fuerunt superficiem habentia mendacii: vel in rei veritate mendacia, & hoc pacto peccaminosa, cum mendacium intrinsecè sit malum, nec per consequens ex violentia dæmonis acta: neque secundum præfatam laudabilia rationem, sed propter alias, ut supra jam constat ex dictis Divi Thomæ, ex quo appositè adhuc habetur 2.2. quæst. 110. art. 3. *Ad secundum dicendum, quod obstretices non sunt remunerata pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia,*

ex

ex qua processit mendacium; Undè signanter dicitur Exod. 1. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos, mendacium posteà sequens non fuit meritorium: quod idem infra ibidem art. 4. ad quartum repetit, &c.

16 Ad illud verò quod subsequitur de Heliseo maledicente pueris, sicuti de Helia incendente milites, non modicè fallitur Molinos præsupponens actus illos maledictionis, ac incensionis peccaminos fuisse, vel pravos, ac perindè ad eos motos ex dæmonis violentia fuisse Prophetas, cum ex divina justitia exigitos eos, debitosque fore Divus Th. ostendit 2.2. q. 108. art. 1. *Ad quartum dicendum quod injuria, quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum, & in Ecclesiam, & tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci. Sicut patet de Helia, qui fecit ignem descendere super eos, qui venerant ad ipsum capiendum, ut legitur 4. Reg. 1. Et similiter Heliseus maledixit pueris irridentibus ipsum, ut habetur ex Reg. 2. Et Silvester Papa excommunicavit eum, qui eum in exilium miserunt, ut habetur 23. q. 4. In quantum verò injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter si expediat. Huiusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundum præparationem animi, ut Augustinus dicit in lib. de Serm. Dom. in Monte.* Non ergo ex violentia dæmonis Helias, & Heliseus moti fuerunt, ad incendium unus, alter ad maledictionem, cum nequeat dæmon ad actus, & præsertim justos impellere, meritòque patratos. Sicuti nec ad pravos, ut ex dictis planè constat, ampliusque ex infra dicendis.

17 Cujus autem ductu, vel motu ad præfatos processerunt actus præfati Prophetæ, expresè indicat D. Augustinus. Et primo serm. 2. de Helia, ubi sic ait. *Sicut tunc in adventu Heliæ omnes Sacerdotes Idolorum interfecti sunt, & deleti. Ita in adventu veri Heliæ, ideſt Domini Nostri Jesu Christi, observatio sacrilega paganorum desueta est. Helias autem Spiritu Dei ductus omnia sua peragebat opera, zeloque mirabilia flagrans, &c.* Secundò serm. 6. de Heliseo sic inquiens. *Fratres Carissimi secundum litteram ita credendum est, quod Beatus Heliseus non iracundiæ morbo commotus*, (sicut fuisset, si ex impulsu aliquo dæmonis motus fuisset) *sed zelo Dei succensus ad corrigendum populum Judæorum parvulos permisit Lacerari, maledicens eis, &c.*

18 At quia in calce suæ propositionis Molinos ait. *Se poi sia stata violenza fatta immediatamente da Dio, ò col ministero del demonio, come siegue in altre anime, si lascia in dubio.* Nè videatur aliquid pro ipso facere, in eo quod dictum est cum præfatis Sacris Doctoribus, quod ex instinctu, ductu, vel motu Spiritus Sancti, processerunt ad prædictos actus

Digitized by Google

actus præallegati Sancti Prophetæ, cæterique in sacris relati litteris; Ultrò dicimus ad prorsus Molinicam evertendam phantasiam: productu, vel impulsu Spiritu Sancti, non vim aliquam illatam à Deo libertatem removentem in operando, violenterque ad opus præmoventem intelligi, sed ut ad ipsius libertatis, liberique operantis condecet auctorem, fortiter, & suaviter, modoque causæ consentaneo operanti, ut in tractatu de auxiliis fusè differitur à Theologis: Neque prædictum ductum, vel divinam præmotionem ad actus formaliter esse peccaminosos, & illicitos, somniamus, ut præsupponit inscia æstimatione Molinos, foretque sua violentia: bene verum ad opera justa, & sancta, ipsisque efficientibus meritoria.

19 Ad plenum autem intellectum omnium, quæ in hac re de violentia Molinica excogitari possent, pro similibus, vel exemplis de homicidiis, furtis, fornicationibus, &c. Ut opportunæ scituque dignæ sunt observandæ, D. Thom. doctrinæ, ex quibus ultro noscetur, quam inscius Molinos præsumpserit ex Sanctorum gestis in actis sacræ paginæ missis, suam obfirmare de violentia dæmonis fatuâ positionem. In primis ergò Doctor Angelicus 2.2. q 64. art. 4. Resolvere intendens num liceat Clericis occidere Malefactores, arguit ab exemplis pro parte affirmativa, ex eo quod Clerici præcipuè dicuntur implere, quod Apostolus dicit 1. ad Cor. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Per quod nobis indicitur, ut Deum, & Sanctos ejus imitemur: Sed ipse Deus quem colimus, occidit malefactores secundum illud psalm. 135. Qui percussit Ægiptum cum primogenitis eorum. Moyses etiam à Levitis fecit interfici viginti tria millia hominum propter adorationem Vituli, ut habetur Exod. 32. Et Phynees Sacerdos interfecit Israelitem cum Madianite coeuntem, ut habetur num. 25. Samuel etiam interfecit Agag Regem Amaltech. Et Helias Sacerdotes Baal. Et Mathathias eum qui ad sacrificandum accesserat. Et in novo testamento Petrus Ananiam, & Zaphyram ergo videtur, quod etiam Clericis liceat occidere Malefactores.

20 Ad quæ omnia, sed præclara facinora, Molinos juxta sua figmenta se expediret inquiens, patrata esse ex Dæmonis violentia. Propterea ad hunc suum refutandum errorem, cum D. Thom. *Dicendum quod Deus universaliter in omnibus operatur, quæ recta sunt, in unoquoque tamen secundum eius congruentiam. Et ideo unusquisque debet Deum imitari in hoc quod sibi specialiter congruit: Unde licet Deus corporaliter malefactores occidat, non tamen oportet, quod omnes in hoc eum imitentur. Petrus autem non propria authoritate, vel manu Ananiam, & Zaphyram interfecit, sed magis divinam sententiam de eorum morte pro-*

promulgavit : Sacerdotes autem, vel Levitæ veteris testamenti, erant Ministri veteris legis, secundum quam pœnæ corporales infligebantur, & ideo etiam eis occidere propria manu congruebat. Clericis autem novi testamenti sic occidere non licet, quia (ut probat ipse Divus Thomas in corp. art.) sunt ipsi electi ad Altaris Ministerium, in quo representatur passio Christi occisi, qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur 1. Petri 2. Et ideo non competit, ut Clerici sint percussores, aut occisores, debent enim Ministri suum Dominum imitari, secundum illud Ecclesiast. 10. Secundum Judicem populi, sic & Ministri ejus. Alia ratio est, quia Clericis committitur Ministerium novæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis. Et ideo ut sint idonei Ministri novi testamenti debent à talibus abstinere: de Ministris autem veteris testamenti est alia ratio, ut dictum est.

21 Item 2. 2. quæst. 104. artic. 4. *Ad secundum dicendum*, quod sicut Deus nihil operatur contra naturam, quia hoc est natura uniuscujusque, quod in ea Deus operatur, ut habetur ex glossa ad Rom. 11. Operatur tamen aliquid contra solitum cursum naturæ. Ita etiam Deus nihil potest præcipere contra virtutem, quia in hoc principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quod Dei voluntati conformetur, & eius sequatur imperium, quamvis sit contra consuetum virtutis modum. Secundum hoc ergo præceptum Abrahæ factum, quod filium innocentem occideret, non fuit contra justitiam, quia Deus est auctor mortis, & vitæ. Similiter nec fuit contra justitiam, quod mandavit Judæis, ut res Ægyptiorum acciperent, quia ejus sunt omnia, & cui voluerit dat illa. Similiter etiam nec fuit contra Castitatem præceptum Oseæ factum, ut mulierem adulteram acciperet, quia Deus est humanæ generationis ordinator, & ille est debitus modus mulieribus utendi, quem Deus instituit.

22 Conformia his ab eodem Divo Thoma traduntur 1.2.q.94.a.5. ubi ad suadendm pro parte adversa, legem naturalem mutabilem esse, hujusmodi proponit argumentum. Contra legem naturalem est occisio innocentis, & etiam adulterium, & furtum: sed ista inveniuntur esse mutata à Deo, puta cum Deus præcepit Abrahæ quod occideret filium innocentem, ut habetur Gen. 22. & cum præcepit Judæis, ut mutuata Ægiptiorum vasa subriperent, ut habetur Exodi 12. Et cum præcepit Oseæ, ut uxorem fornicariam acciperet, ut habetur Oseæ 1. Ergo videtur, quod lex naturalis sit mutabilis.

23 Respondet. *Ad secundum dicendum, quod naturali morte moriuntur omnes communiter, tam nocentes, quam innocentes, quæ quidem*

dem

Digitized by Google

dem naturalis mors divina potestate inducitur propter peccatum originale, secundum illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & vivificat. Et ideò absque aliqua iniustitia secundum mandatum Dei potest infligi mors cuicumque homini vel nocenti, vel innocenti. Similiter etiam adulterium est concubitus cum uxore aliena quæ quidem est ei deputata secundum legem Dei divinitus traditam. Undè ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato divino non est adulterium, nec fornicatio. Et eadem ratio est de furto, quod est acceptio rei alienæ, quidquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui est Dominus universorum, non accipit absque voluntate Domini, quod est furari. Nec solum in rebus humanis quidquid à Deo mandatur, hoc ipso est debitum, sed etiam in rebus naturalibus, quidquid à Deo fit, est naturale quodammodo ut 1. p. q. 105. a. 9. ad 1. dictum est.

24 Item his cohærentia docens 1. 2. quæst. 100. art. 8. *Ad tertium dicendum*, inquit idem Doctor. *Quod occisio homini prohibetur in decalogo secundum quod habet rationem indebiti: Sic enim præceptum continet ipsam rationem justitiæ; Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licitè homo indebitè occidatur sed malefactores, vel hostes Reipublicæ, hoc non est indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur, ut Augustinus dicit in 1. de libero arbitrio. Et similiter si alicui auferatur quod suum erat, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur. Et ideo quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægiptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei, similiter & Abraham cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium: quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis. Ipse enim qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus justis, & injustis pro peccato primi parentis, cuius sententiæ si homo sit executor authoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus. Et similiter etiam Osea accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii.*

25 Amplius pro eisdem hucusque perpensis idem Doctor, 2. 2. quæst. 60. art. 6. *Ad secundum dicendum, quod Moyses videtur Ægiptium occidisse, quasi ex inspiratione divina authoritatem adeptus, ut videtur per hoc, quod dicitur actorum, quod percusso Ægyptio æstimabat Moyses intelligere Fratres suos, quoniam per manum eius daret salutem Israel. Vel potest dici, quod Moyses occidit*

Ægiptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur cum moderamine inculpatæ tutelæ. Unde Ambrosius dicit in lib. de Officiis cap. 36. hom. 1. *Quod qui non repellit iniuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quam ille qui fecit, & inducit exemplum Moysi. Vel potest dici*, sicut dicit Augustinus in quæst. Exod. lib. 2. cap. 2. tom. 4. & lib. 22. contra Faustum cap. 70. tom. 6. *Quod sicut terra ante utilia semina, herbarum inutilium fertilitate laudatur; Sic illud Moysi factum vitiosum quidem fuit, sed magnæ fertilitatis signum gerebat, in quantum scilicet erat signum virtutis eius, qua populum liberaturus erat. De Phynees autem dicendum est, quod ex inspiratione divina zelo Dei commotus hoc fecit, scilicet Ducem Israelitam occidere cum Madianita. Vel quia licet nondum esset Summus Sacerdos, erat tamen filius Summi Sacerdotis, & ad eum hoc iudicium pertinebat, sicut & ad alios Iudices, quibus hoc erat præceptum.*

26 Quam autem ex his Angelici Magistri Doctoris appareat, quo pacto ad actus excurrerint homicidii communiter appellatos, vel fornicationis, aut furti, &c. Veteres Patres, & Patriarchæ, planè patet, & funditus violentia Molinica evellitur, per veridicum, germanumque sacræ paginæ sensum in effectione illorum, ut apud omnes videre est Sacros Expositores idipsum sentientes, ut supra relatum est ex Divo Augustino, & Thoma. Quem verò patronum habeat præfata Molinos violentia, non alius equidem invenitur quam idem ipse solus, unde tamquam ejus commentum, ut omni indigna rejicienda est fide.

27 Sed pro illa, quasi quod pro ipsa adhuc vivat igniculus, instabis: Reperitur in sacris litteris Sanctus, qui actum vovit illicitum: sed ad illum, non potuit per Dei impulsum formaliter excurrere: neque ex sua propria voluntate, cum præsupponatur fuisse hominis Sancti, ergò fuit per violentiam illatam à dæmone: Majoris assumptum probatur ex illo, quod fertur de Jepte, qui in Catalogo Sanctorum ponitur, ut patet Hebr. 11. Sed ipse filiam innocentem occidit propter votum, ut habetur Judicum 11. Cum ergo occisio innocentis sit secundum se opus illicitum, ad illam per violentiam prorupit dæmonis, &c.

28 Ad hoc argumentum tractum pro Molinos, quamquam alio versu deferatur à Divo Thoma 2. 2. quæst. 88. art. 2. puta ad probandum votum non esse de meliori bono. Respondet ipse. *Ad secundum dicendum, quod quædam sunt, quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis, & alia bona, quæ possunt absolutè cadere sub voto. Quædam verò in omnem eventum*

sunt

Digitized by Google

sunt mala sicut quæ secundum se sunt peccata : & hæc nullo modo possunt sub voto cadere. Quædam verò sunt quidem in se considerata bona, & secundum hoc possunt cadere sub voto, possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt observanda. Et sic accidit in voto Pepte, qui ut dicitur Iudicum 11. votum vovit Domino dicens : Si tradideris filios Amon in manus meas, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti in pace, eum offeram holocaustum Domino. Hoc autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus, vel homo, quod etiam accidit. Unde & Hieronymus dicit : In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo, impius. Præmittitur tamen ididem quod factus est super eum Spiritus Domini, quia fides, & devotio ipsius, ex qua motus est ad vovendum, fuit à Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam quam obtinuit, & quia probabile est eum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod donum figurabat.

29 Ex quo Angelico Divi Thomæ responso patet ad id quod per Molinos assumitur : cum vir ille Sanctus, & egregius Bellator, non ad occidendum, nec ad aliquod indignum facinus fuerit motus, sed ad pium Sanctumque opus, scilicet ad devotionis actum, & Ideo, tametsi postmodum stultè ex proprio agens arbitrio voverit, impièque reddiderit : ad quæ acta, non videtur locum habuisse ullam dæmonis violentiam. Non enim in eo quod vir ille laudatur uti fuit fides, ac devotio ad quas per motum Cœlitus illatum se movit, neque in his de quibus reprehenditur, aliàs non imputarentur illi ad culpam, neque de illis opus ei fuisset agere pœnitentiam : quoniam ut Molinos intendit, actus ad quos dæmon vim infert ; minimè peccata respectu sore agentis, ut constat in calce suæ 41. propositionis.

30 Penitus ergo prædicta repellenda est dæmonis violentia, juxta Dei suavem regendi morem in hominibus, ut supra cap. 41. perpendimus : Eo quia Diabolus vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi, incitat ad peccandum, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 1. vel interius etiam instigando, excitans motum localem spirituum, vel humorum, quo simul cum sanguine descendente ad principium apprehensivum descendant species sensibilium, quibus concitetur appetitus sensitivus erga objectum appetitum, ut explicat idem Doctor ibidem art. 2. Vel etiam ex hoc, quod passio est concitata, ut id quod

Digitized by Google

proponitur imaginationi, judicetur prosequendum: quia ei qui à passione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per passionem inclinatur: Per hos ergo modos dicitur Diabolus inducere ad peccandum: nunquam autem necessitate, ut idem D. Thom. ibidem art. 4. quia semper libera manente ratione, potest peccato resistere, ut eodem 1. 2. quæst. 77. art. 7. idem Doctor. Unde ut omnimodè eliminandæ rejectæ denique remanent 50., & 51. Propositiones Molinos videlicet, ut supra, &c.



CA

Digitized by Google

CAPUT LII.

Quinquagesima secunda Propositio Molinos. *Quando queste violenze anche impure vengono senza offuscatione di mente, all' hora l' Anima può unirsi con Dio, e di fatto sempre più s' unisce.*

Oppositum è contra dictum.

Per amoris, sivè charitatis dumtaxat actus, animam formaliter fatendum est Deo uniri, quoque intensiores, eo intimius.

1 EXultare natura videtur, nec non se pretiosi matrem lætari, pulcherrimique partus, cum ad irradiantem in orbe solem, ridentem Margaritam ortam in sinu Conchæ, tamquam Thesaurum invenit. Quocirca ut pateat non tam terrenam, quam cœlicam eam fore sui prolem, Cœlum ipsum ut genitorem vult ad ejus concurrere opus, ac ut filia, plusquam in terris inter ima jacens humilium terrenorum, cum superis effulgere valeat, astrorumque convictrix. Et meritò quidem de tam gemmea filia gaudere se monstret, eo quod ex ea præcipua sua ornamenta dignoscens, per ipsam ejus portæ nitent Margaritis, ingressumque venustissimum præbet invitatis ad nuptias agni, atque ad Civitatis Dei delicias, æterno gaudio perfruendas, festiva spondet; At cum his ditescens innatis dotibus præostensa jam gemma, ultrò pretium geminat, augescitque virtutem; quoniam Agathæ flagrans amatrix, minimè quiescit, usquequo copulata cum illa, strictis conglutinata complexibus, fructibusque sui videtur perfrui amoris, ut compertum à Margaritariis annotatum habetur; Unde alio nomine nuncupata, vocatur unio; effectus equidem cèu cœlestis amoris maximi luminaris, quod suo fœcundans ut semine, effuso calore Margaritiferæ viscera, tam speciosam in ea fert, tamque mirabilem facit exurgere natam, tamque validiorem, quo ardentius pro ea suos emittit radios æthereus luminum Pater.

2 Quis ergo his de in lucem exitu Margaritæ inspectis, eblematicam non extrahet ex illis gratiæ figuram, ex actu ortæ contritionis, luminisque auxilii divini? Per vim æstuosi luminis solaris oritur in sinu velut in utero Conchæ Margarita. Virtute cœlestis auxiliarii, ut radii divini solis, cor hominis ad actum inflammantis amoris atque contritionis, pretiosa consurgit in anima gemma gratiæ divinæ; Unio per unionem cum Agatha factam appellatur illa, Unio, & benè meritò appella-

Digitized by Google

appellari gratia, & ipsa potest, per unionem quam cum ipsa divina essentia, seu mistica efficit Agatha; Quodque tandem sicuti major evadet, & illa, eoque pretii majoris, quo ferventior fuerit solaris calor per quem in lucem prodit. Ingentior, & gratia erit, quo ardentior amoris actus fuerit, & charitatis, quæ gratiam præcedens ut actus per divinum actus auxilium, eamdemque subsequens ut virtus, resultans ex illa ut passio, quo intensior, ardentiorque in suis actibus erit, eo intimius, arctiorique seu vinculo per gratiam Deo nostro uniemur. Vndè sicut ex Margaritæ possessu maximè ditescit homo, ita profectò, imò jure longè majori per cœlestem gratiæ divinæ, talique pacto, ut ipsa per os ipsius Christi Domini, sacra pagina suggerit, debet homo ut industrius negotiator pro illa comparenda cætera sua cuncta negligere. Quamobrem ad illam super omnia expetenda Princeps Apostolorum cohortans inquit epist. 2. cap. 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*: Quo felici consortio unionem præfatæ innuit divinæ Margaritæ: quæque major erit, quo major erit amor, & quamquam imperfecta in hac vita præsenti, perfecta tamen; & omni completa felicitate in Patria, ut docet D. Th. 1. p. q. 12. art. 6. inquiens. *Quod plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium. Et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habet de charitate, perfectius Deum videbit, & beatior erit.*

3 Dictum est autem in nostro dicto, per charitatis actus, sivè per charitatem formaliter animam Deo uniri, quoniam radicaliter per gratiam eam uniri jam præsupponimus tamquam per formam substantialem, cujus in ordine supernaturali vices gratia justificans gerit, mediis agens virtutibus, sicut in ordine naturali mediis potentiis anima, vel forma substantialis juxtà Thomisticæ sententiæ sensum, distinctam realiter à potentiis substantiam asseverans. Quod si alterius extra illam velis sequi Scolæ judicium, indistinctam realiter illam opinantis, adhuc hoc pacto benè fixum est nostrum assertum, eo quia per gratiam, quæ formaliter ipsa vis charitatis, seu amoris esset, præfata tantummodo fit cum Deo animæ unio, & quo plus intenditur, seu incenditur in amore gratia, eo magis, veluti intimioribus cum divino Sponso complexibus conjungitur anima: Nec secus pro ipsa militare rationes ipsæ possent, cum eadem ratio, qua suaderetur amorem, charitatem causare, vel esse unionem, ut ab essentia indistinctam, ita ut sivè distinctè fit ab essentia, vel substantia virtus volitiva, sivè indistincta, semper ejus est proprium producere, vel esse unionem.

4 Quod primò planum est in divinis, unde omnis ignescit Sanctus Amor, bonitasque procedit. Pro quo D. Thom. 1. par. quæst. 38. art. 1.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dicendum (inquit) *quod Spiritus Sanctus dicitur esse nexus Patris, & Filii in quantum est amor.* Et 1. 2. quæst. 28. art. 1. resolvens unionem effectum esse amoris, idque ex D. Dyonis. cap. de div. nom. approbans, nempe quod amor quilibet virtus est unitiva. *Respondet inde dicendũ, quod duplex est unio amantis ad amatum. Una quidẽ secundum rem, puta cum amatum præsentialiter adest amanti. Alia verò secundum effectum, quæ quidem unio considerandа est ex apprehensione præcedenti: Nam motus appetitivus sequitur apprehensionem: cum autem sit duplex amor, scilicet concupiscentiæ, & amicitiæ, uterque procedit ex quadam apprehensione unitatis amati ad amantem; Cum enim aliquis amat aliquid, quasi concupiscens illud, apprehendit illud quasi pertinens ad suum benè esse. Similiter cum aliquis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei bonum sicut & sibiipsi, & inde est quod amicus dicitur alter ipse. Et Augustinus dicit in 4. de Confess. cap. 6. tom. 1. Benè quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ. Primum ergò unionem amor facit effectivè, quia movet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi convenientis, & ad se pertinentis. Secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio, vel nexus; Unde Augustinus dicit in 8. de Trin. Quod amor est quasi junctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur. Quod enim dicit copulans refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor: quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem.*

5 Amor ergo unitivus est, sivè concupiscentiæ sit, sivè amicitiæ, juxtà utriusque exigitum modum, ut patet ex prælegata satis explanante doctrina, concupiscendi rem sibi aliquam, vel tibi objectum uniendi amatum. Vnde ibidem subsequitur idem Doctor. *Ad secundum dicendum quod quædam unio est effectus amoris, quæ est unio realis, quam amans quærit de re amata: & hæc quidem unio est secundum convenientiam amoris, ut enim phylosophus dicit in 2. politic. tom. 5. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum, sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, & decet, ut scilicet simul conversentur, & simul colloquantur, & in aliis hujusmodi coniungantur.*

6 Charitas autem amor est amicitiæ inter Deum, & hominem, ut D. Thom. inquit 2. 2. q. 23. art. 1. *Ex eo quod cum sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari: amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum,* Ac per consequens munus ejus esse cor hominum, Deique unire, illudque per vim amoris amicitiæ unum spiritualiter efficere, quodque unum alterius vicem gerat, & alter ego, ut patet ex his, quæ de amicis loco

su-

Digitized by Google

pra nuper allato dicta sunt. Quæ tamen tametsi pro hujus præsentis vitæ statu imperfectè à charitate gerantur, reservantur verò, ut perfectè peragenda, vel adimplenda in Patria: Quandoquidem ut subjungit D. Thom. in præcitato 2. 2. quæst. 23. art. 1. *Ad primum dicendum, quod duplex est hominis vita. Una quidem exterior secundam naturam sensibilem, & corporalem, & secundum hanc vitam non est nobis communicatio, vel conversatio cum Deo, & Angelis. Alia autem est vita hominis spiritualis secundum mentem, & secundum hanc vitam, est nobis conversatio, & cum Deo, & Angelis, in præsenti quidem statu imperfectè. Vnde dicitur ad Philipp. 4. Nostra conversatio in Cœlis est. Sed ista conversatio perficietur in Patria, quando servi ejus servient Deo, & videbunt faciem ejus, ut dicitur Apocal. ult. Et ideò hic est charitas imperfecta, sed perficietur in Patria.*

7 Ex qua perlucida D. Thom. doctrina, præter unionem quam charitatis effectum fore dictum est formalem, inferenda est insuper contra Molinos cum distinctione hominis exterioris, & interioris, eorumdem nequaquam otiosa, sed actuosa vita, nec non in quo vita, seù vita unitiva consistat, in actu scilicet amoris seù charitatis, imperfecta in hac vita perfecta verò in alia, ad quam, quam opportunæ sint, ut præviæ purgativa, & illuminativa supra cap. 26. commodè jam habuimus. Non omittenda tamen est observatio, quod cum motus appetitivus sequatur apprehensionem, ut cum D. Thom. num. 4. diximus, eo quod nihil volitum nisi præcognitum, unionem per charitatem, seù amorem factam, unionem prius in esse cognito factam, præsupponere sequitur, quod est uniri, vel movere ad unionem objecti jam capti per intellectum, vel tensi, & circa objectum ita propositum, sua charitas habet exequi munia, gaudii, fruitionis, obsequii, &c. Et quamquam in hoc Schola Thomistica discriminentur & Scotica, illa in actu intellectus, seù in unione objecti capti per intellectum, beatitudinem formaliter, sivè subsantialiter, & essentialiter statuente. Altera in actu, seù unione ejusdem objecti cum voluntate, præsuppositivè tantum in intellectu, seù radicaliter habita. Ad rem non refert: quoniam semper abjecta violentia Molinica, per charitatis tantummodo actus ad unionem tendimus, demumque divino unimur objecto jam per intellectum attacto, perque ejusdem charitatis actus plenè perficitur ipsa beatitudo, sivè forvaliter in actu statuatur intellectus, sivè voluntatis, ut 1 2. q. 8. differitur à Theologis.

8 Item pro unione per charitatem acta, confert, & optimè id quo D. Thom. in præcitato 1. 2. quæst. 28. art. 3. inquit, quod scilicet. *In amore amicitiæ amans est in amato, in quantum reputat bona, vel mala amici, sicut sua, & voluntatem amici, sicut suam, ut quasi ipse in suo amico videatur bona, vel mala pati, & affici, & propter hoc proprium*

est

Digitized by Google

est amicorum eadem velle, & in eodem tristari, & gaudere secundum Phylos. in 9. Ethic. cap. 3. & alibi, ut sic in quantum quæ sunt amici æstimat sua, amans videatur esse in amato, quasi idem factus amato (en intima unio, quaque major excogitari non potest) *In quantum è converso vult, & agit propter seipsum, quasi reputans amicum idem sibi, sic amatum est in amante.*

9 Quod autem ad majorem charitatis intensionem, major, intimiorque sequatur unio cum objecto amato, liquet ex illo. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis, ad magis, maximumque ad maximum: Cum ergo simpliciter, & absolutè loquendo, per actus charitatis fiat cum objecto expetito unio, quo magis charitas intenditur, vel augetur, eo magis intimius, arctiusque cum divino objecto fit unio. Quod appositè inspici potest in ipsius charitatis progressu de incipiente ad proficientem, ac de proficiente ad perfectam, de quo progressu agens Angelicus Doctor 2. 2. q. 24. art. 9. *Convenienter*, inquit, *distinguuntur tres gradus charitatis, idest incipiens, proficiens, & perfecta*: Et sumpto simili ex corporali hominis augumento, sic per illud explicans, gradumque sibi ad rationem faciens.

10 *Respondet dicendum, quod spirituale augumentum charitatis considerari potest, quantum ad aliquid simile corporali hominis augumento. Quod quidem quamvis in plurimas partes distingui possit, habet tamen aliquas determinatas distinctiones, secundum determinatas actiones, vel studia ad quæ perducitur per augumentum, sicut infantilis ætas dicitur antequam habeat usum rationis, postea autem distinguitur in alios status hominis, quando jam incipit loqui, & ratione uti. Item tertius status ejus est pubertas, eum jam incipit posse generare. Ita etiam, & diversi gradus charitatis distinguuntur secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augumentum. Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda nè corrumpatur. Secundum autem studium succedit ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat; Et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augumentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur, & esse cum Christo. Sicut etiam videmus de motu corporali, quod primum est recessus à termino: secundum autem est appropinquatio ad alium terminum. Tertium est quies in termino.*

11 Sic ergò cum Deo vult homo suam copulare voluntatem, vel animam, per charitatis se opus est gerere, ac regere actus, velutque per aliquos conscendere gradus, ad summum divini Salamonis pervenire thronum, ut altera Saba: Undè rectè dicitur per os ejusdem in Canticis Canticorum, quod pro solio suo ascensum purpureum media

Digitized by Google

charitate constravit propter filias Hyerusalem: de quibus D. Gregorius Pontifex agens in expositione, quam edidit in Canticis Canticorum super his verbis. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, recessum à termino à quo innuens, accessumque ad terminum ad quem, post permulta inquit. *Hi nimirum* (puta justi) *per desertum ascendunt, quia dum in hoc Mundo inter tentationes vivunt, quo amplius, dum hic morantur, deseri metuunt, eo quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa gradiuntur: in quibus cum fuerint, nihil amplius quod eos amoveat jam timebunt.*

12 Idemque Sanctus Pontifex de eorumdem Justorum perardenti, amore cordium divinam expetentium unionem differens ait homil. 15. in Ezechielem Prophetam super his verbis: *Mensus est thalamum, uno calamo in longum, & uno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubitos: Qui sunt in Sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem Sponso invisibili junguntur, ut ejus desiderio mens ardeat? Nulla jam quæ in Mundo sunt, concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet; Exire festinet, & amoris amplexu in cœlestis Sponsi visione requiescere? Mens itaque quæ jam talis est, nullam præsentis seculi consolationem recipit. Sed ad illam quam diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis: quia transfixa est vulnere amoris. Unde & in Canticis dicit. Vulnerata charitate ego sum, &c.*

13 At verò quam magnificè, & peramplè colluceat, ut sol in orbe charitas, quamque ad colligandas valeat animas, cordaque quinimò identificanda amicorum, ita ut inter duo pectora unum unicum ferveat cor, unicusque vivificet animus, universum planè ipsum obfirmat, & primò in ejus Principe Deo, in quo divinitate uno, personaliter trino, summa regnat, ac sempiterna cum unitate unio, per summum inter Patrem, & Filium consubstantialem amorem, quoq; mutuo se perfruuntur osculo pacis, nec unquam, sicut unica gaudent, indivisibilique natura, nequeunt quam unico se complecti nexu amoris. Quocirca ut universæ charitatis idæa, amorisque mensura, ex ipso cætera suborta entia ex vi amoris ad unionem ut ad rem valdè expetitam tendunt, eamque assequuntur, & quo ardentior est amor, eo strictior, interiorque fit unio. Quò fit ut Seraphim inter Angelos propius Trinitatis Throno accedentes, cæteris omnibus eminentius divinitati assistunt, de quorum præstantia sic Doctor Angelicus ait 1. p. q. 108. a. 6. *Seraphim excellunt in hoc quod est omnium Supremum, scilicet Deo ipsi uniri.* Cujus ratio est, quia in amoris flammeis actibus, cæteris præcellunt, ferventiusque in trino Sanctus akisono cantico, mutuo se perenni choro solemnia Deo concinnunt.

14 Cæterum non ex quo super agmina Angelica eminent Seraphici chori, super omnes absolutè supervolant electos: Quoniam sunt qui longè ipsis antecellunt, ut est primò Christus Dominus, qui summam re-

Digitized by Google

retinens divinæ charitatis flammam, ſicut & gratiam ſuper omnes eminet in Cœlis, nulli inter electos ſecundus, ad dexteram Patris, ut Rex gloriæ ſedens ſuper ipſum divinitatis excelſum elevatum ſolium; Cui ut Regina Cœlorum maximè refulget affinis ſuper omnes exaltata Cœlos ejus Genitrix Virgo Maria, quæque gratiarum in ſe plenitudinem comprehendens, meritò hujuſmodi nuncupata eſt nomine, quippe quæ congregationes in ſe colligens cœleſtium aquarum de fonte profluentium gratiarum, nomen adepta eſt Mariæ. Ex quo perinde Cœlum effecta igneum charitatis, optimo jure ſuper aſtra poſt filium, dignitate præpollet. Vndè rectè D. Th. 1. p. q. 12. art. 3. Concludit. *Quod qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beatior erit.* Et ità gradatim juxta vim amoris, fœlicitas divinæ fruitionis exultat in Beatis.

15 Affabrè de hujuſcemodi fœlicitate per charitatem adepta, nec non juxta illam à Deo collata, loquens Laurentius Juſtinianus in libro quem edidit de diſciplina, & perfectione Monaſticæ converſationis, ſic de fœlicitate animarum in Cœleſti Patria cum Chriſto regnantium, poſt plurima dicit. *Lumine gloriæ circumfuſa anima, æternum ab æterno æternaliter genitum contuebitur: atque meridiano ſplendore illuſtrata ſine differente, vel obnubilante medio, Dei eſſentiam contemplabitur. Videbit Deum ſicuti eſt, tanto perſpicacius quanto ardentius eum in præſenti vita dilexit. Hæc namque Beata Viſio, & viſionis admiratio, vita æterna eſt: quam Dei Sapientia paſſibili unita naturæ; per Crucis patibulum, aſperſionemque ſanguinis ſui, prædeſtinatis acquiſivit fidelibus: non ex ipſorum præcedentibus meritis, ſed propria, mera, libera, & ſua ipſius gratuita dignatione. Concupiſcibilis quoque potentia, & ipſa pleniſſima, atque perfecta abundabit charitate. Tota etenim in Deum tendens, tota Deo plena, Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diliget. Supra quam dici poteſt, exuberabit gaudio pra multitudine amoris. Per charitatis quippè exceſſum, & ſobriam ebrietatem extra ſe rapietur, ac ſupra ſe evecta, & in Deum poſita, atque Deo unita, non aliundè quam de Dei gloria, de ipſius bonitate, immenſitate, æternitate, virtute, & Sapientia beata erit. Mutui ſiquidem amoris ſuave vinculum, & participatio divina charitatis, quidquid proprium eſt, commune faciet. Nam perfectus amor, & amoris vera unitas, nil habet privatum, nil poſſidet ſingulare. Exponit ſua; tribuit ſe liberaliſſima charitate. Non invidet, non abſcondit, non negat quod habet, ſed totum communicat diligenti dilecto. Ex hoc nempè Sanctarum animarum cum Chriſto, & in Chriſto regnantium felicitatis, & amoris caſti latitudo utrumque cognoſcitur, quæ cum Deo perfectiſſimo charitatis contubernio conjuncta ſunt, bonorum omnium, & totius Beatitudinis ejus participes eſſe merentur: quamvis aliter ipſe de ſeipſo, quam illa & ipſo gaudeant. Satis illis erit, quod plena erunt exultatione, cognitione perſpicua, refertæ lætitia, jubilatione feſtiva, charita-*

Digitized by Google

te superfervidæ, amore exuberantes, & ultra quam humanus sensus, de Deo in Deum ineffabili jucunditate, & jucunda dilectione perfusæ, &c.

16 Quænam autem tantæ jucunditatis, & Jubili causa, nisi charitas, ejusque saluberrimus unionis fructus? Ex quo namque Deum verè amamus, qui ipsa charitas est, in charitate manemus, ac perindè in Deo, Deusque in nobis, unde meritò cum Sponsa gaudere valemus. Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. Hac ergò de causa, se Christus in nobis esse professus est, nosque in ipso, ipsumque nostrum sicut & caput, ita propugnatorem. Et sic ad hoc tribuit ansam D. Augustinus serm. 53. de verbis Domini. *Qui credit in me, &c.* ubi S. Doctor inquit. *Missum esse ad nos Salvatorem Mundi fides verissima tenet, quoniam Christum ipse prædicat Christus, hoc est Corpus Christi toto orbe diffusum; In Cœlis enim ille erat, & sævienti in terra persecutori dicebat, quid me persequeris? Ubi Dominus sic expressit, hic se esse in nobis. Sic totus crescit, quia quèadmodum ille in nobis est hic, sic & nos ibi in illo sumus. Hoc facit compago charitatis. Ipse qui caput nostrum, Salvator est Corporis sui, &c.*

17 Et serm. 1. de Charitate Dom. 3. post oct. Epiph. Valorem innuens charitatis, quamque locupletet habentem illam, sic ait ad Fratres. *Audite Fratres Apostolum dicentem: super illud psalmi. Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. Deus enim charitas est, qui habet charitatem, Deus in illo manet, & ipse in Deo. Si charitatem habes, Deum habes. Quid habet dives, si charitatem non habet? Pauper si charitatem habet, quid non habet? Tu fortè putas, quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, & ille non sit dives, cuius conscientia plena est Deo. Non ita est Fratres. Ille verè dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. Tenete ergo, & custodite Fratres carissimi dulce, & salubre vinculum charitatis, &c.*

18 De quo vinculo sermonem item agens super psalmum 62. sic inquit. *Agglutinata est anima mea post te. Vide desiderantem, vide sitientem, vide quomodo hæreat Deo. Nascatur in vobis affectus, si jam compleatur, ut crescat, perveniat ad tale robur, ut vos dicatis ex toto corde Agglutinata est anima mea post te, ubi est ipsum gluten. Ipsum Gluten charitas est, charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua.*

19 Sub figura signaculi gluten, hoc designans in Hexameron. lib. de Isaac, & Anima cap. 8. D. Ambrosius, sic inter plurima, quæ pro anima Sponsa & primò ex illo Cantic. 8. *Pone me, ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum*: ac indè actus inferens interioris, exteriorisque hominis, inquit: *signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte ut semper confiteamur: in corde ut semper diligamus, signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergò imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, ut si fieri potest species exprimatur in nobis. Ipse sit Caput nostrum, quia Caput viri Christus.*

Digitized by Google

stus. Ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem: Ipse vox nostra per quam loquamur ad Patrem. Ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus: Ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis, & charitatis insigne, quia diligens Pater signavit illum, sicut legimus: Ioan. 6. Quem Pater signavit Deus. Charitas itaque nostra Christus, &c.

20 Deindè ad præconia, singulareſque laudes charitatis progreſſus, fortitudinē ejus expendens per comparationem ad mortem, eo quod fortis eſt, ut mors dilectio, & qua peccatum omne purgatur, & culpa dimittitur: nec non fervidiſſimum ejus pro Deo zelum oſtendens. Conferens eam igni, aliſque ardentibus inſtruens, unde transformamur in Deum, rapimurque ad Cœlos, ut æterno cum ipſo perfruamur amplexu, ita concludit. *Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora, & corda Sanctorum, & exurit quid quid materiale, atque terrenum eſt. Quidquid verò ſincerum eſt probat, & quod contigerit ſuo igne meliorat. Hunc ignem in terra miſit Dominus Ieſus, & reſulſit fides, accenſa devotio, illuminata eſt charitas, juſtitia reſplenduit. Hoc igne inflammavit corda Apoſtolorum ſuorum, ſicut teſtatur Cleophas dicens: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cum aperiret ſcripturas? Alæ igitur inflammæ, ſcripturæ ſunt divinæ. Denique aperiebat ſcripturas, & ignis exiebat, atque audientium corda penetrabat. Et verè alæ ignis, quia eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum. Cum Paulus quoque aſſumeretur, & probatior reſurrexit, denique Apoſtolus factus eſt, qui perſequutor advenerat. Spiritus quoque Sanctus deſcendit, & replevit totam domum in qua erant plurimi ſedentes, & viſæ ſunt diſperſæ linguæ tamquam ignis. Bonæ alæ charitatis, veræ alæ quæ volitabant per ora Apoſtolorum, & alæ ignis quæ purgatum ſermonem loquebantur. His alis evolavit Henoch raptus ad Cœlum. His alis evolavit Helias curru igneo, & equis igneis ad ſuperna translatus. His alis Dominus Deus per columbam ignis deducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphin, quando ſumpſit carbones ignis de altari, & tetigit os Prophetæ, & iniquitates ejus abſtulit, & peccata purgavit. Harum alarum igne purgati ſunt filii Levi, & baptizabantur populi nationum, ſicut teſtificatur Joannes dicens de Domino Ieſu: Ipſe vos baptizabit in ſpiritu, & igne. Meritò uri renes ſuos volebat, & cor ſuum David, quia alas igneas charitatis ſciebat non eſſe metuendas. Meritò Hebræi pueri in fornace ardenti non ſentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et ut plenius cognoſcamus, quia alas habeat perfecta charitas, audiſti dudum dicentem: Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas. Sumamus igitur has alas, quæ ſicut flamma ad ſuperiora diriguntur, &c.*

Digitized by Google

21 Quid plura pro excelsis memorandis laudibus charitatis? Quis ejus non percupiet instrui pennis, ut ad Cœlos tamquam flamma directus, ibi ut in propria sphera quiescat, cumque Deo qui ignis est divinus, perpetuo nexu uniatur? Quis ejus non expetet cœlico igne succendi, ut astris interesse valeat, ipsisque choris Seraphicis? Meritò igitur cum sonitu suæ Citharæ Regius Psalthes suspiria permiscebat inquiens, *heù si mihi darentur pennæ sicut Columbæ, & volabo, & requiescam*; præsciens quam nobilis esset, ac fœlix volatus ille, qui ad instar divinæ Columbæ supervolans ipsa Cœli sublimia in sinu Dei requiem invenit. Hæc porrò charitas agit: non autem ut insipienter Molinos ait, ac stultè, dæmonis violentia, cum per ipsam quin potiùs è conversò anima se à Deo abducat, miserèque aberret. Hoc enim munus Diaboli est, studiumque perenne; quod quia planum est, confirmatione per exempla non eget.

22 Verumtamen pro eruditione simplicium, libeat referre præcæteris unum quo agnoscatur, quo pacto dæmon adnitatur secum tenere peccatorem obstrictum, & quoad fieri potest à Deo remotum. Quod spectaculum planè vidit ex Sanctis Patribus Paulus, cui gratia sic præcipua tributa fuit à Deo, quod uniuscujusque cor agnosceret, viscerumque inspiceret qua forent bona nè an prava intima conditione. Præfatus ergo Sanctus Pater ad fores aliquando sedens Ecclesiæ unumquemque introeuntium in Ecclesiam, quo animo intraret, intuebatur. Ingredientibus igitur omnibus clara facie, vultuque splendido, nec non & uniuscujusque Angelo gaudente cum eis. Unum vidit nigrum, & obscurum, toroque corpore terrum, ac dæmones ex utroque latere eum tenentes, & trahentes ad seipsos capistro in naribus ejus misso. Sanctum verò Angelum ejus de longe lugubrem, & tristem sequentem eum. Hujusmodi horribili visione territus, & commotus Paulus; vehementer illa clamans, pectus percutiebat suum, suspiria fundens. Qui autem videbant eum, & annotantes quid agebat, tamque repentinam ejus mutationem, & lachrimas, & luctum, interrogabant rogantes eum, quid novi sibi accidisset, quidque quod videbat, proderet eis, timentes nè quid reprehensibile in eis aspiceret, per quod talia faceret: obsecrabant etiam ut una cum ipsis ad Ecclesiam intraret: At ille repellens eos, luctum uberius prosequebatur, & gemitum, propter illum qui ei sic miserrimus inter dæmones apparuerat. Post paululum autem dimisso ex Ecclesia populo. Iterum Paulus attendebat singulos exeuntes, ut quorum introitum cognoverat, sciret quales exirent: & vidit illum virum quem nigrum, & toto corpore horridum viderat:

Digitized by Google

rat : Exeuntem postmodum ab Ecclesia clarum, atque perlucidum vultu, nec non corpore candidum, & speciosum : Dæmones autem qui eum ante sic alligatum detinebant, postea de longè sequentes, & præ dolore obstrepentes, ac ululantes : Sanctum verò Angelum juxtà ipsum ambulantem hilarem, & propinquum, ac super eum valdè gaudentem. Qua de causa Paulus cum ingenti gaudio exiliens, clamare cœpit benedicens Deum, & dicens : O' ineffabilis Dei benignitas, & misericordia. O' divinæ miserationis ejus incomprehensibilis bonitas. Et currens, & ascendens super sublimem gradum alta voce clamare cœpit. Venite, & videte opera Domini quam magnifica sunt, quamque admiranda. Venite, & videte eum, qui vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Venite adoremus, & procidamus ante eum, & dicamus, quia potens est cum vult peccata dimittere. Ad hanc vocem omnes celeriter cucurrerunt percurioſi intelligere, quæ dicebat. Et convenientibus omnibus retulit Paulus, quæ vidit priusquam Ecclesiam intrarent, quæque postmodum in exitu. Deindè accersito viro de quo mirabilia prædicavit, interrogavit illum, ut ore proprio fateretur causam mutationis ejus, & quomodo Deus tantam ei gratiam tribuisset ? Quapropter ille coactus à Paulo narravit coram omnibus quæ super ipsum cœlitus evenerant inquiens. Homo peccator sum, ac dudum luxuriosè vixi, & usque hodie. Ingrediens autem modo in Dei Sanctam Ecclesiam, audivi vocem Isaiæ Prophetæ, cum legeretur : magis autem vocem Dei loquentis in eo, ac suadentis. *Lavamini, Mundi estote ; auferte malum cogitationum de animabus vestris, coram oculis meis, discite benefacere : & si fuerint peccata vestra tamquam fenicium velut nix dealbabuntur : & si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis* : Ego inquam fornicator, in hoc sermone compunctus sum nimis, & ingemiscens in corde meo dixi, conversus ad Deum. Tu Deus, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, & quod etiam hæc quæ modo lecta sunt promisisti per Prophetam, complere non prætermittis ad te verè conversis, comple modo in me peccatore protervo. Ecce enim jam nunc promitto tibi, & spondeo toto corde, quia jam non agam ultra illud malum, quod usque modo patravi, omnibus abrenuncians iniquitatibus meis, tibique soli conscientia munda servire. Suscipe igitur Domine mi hunc pœnitentem, teque interpellantem, omneque detestans inte commissum peccatum. His ergo sponsionibus peccata mea confessus, & detestatus, egressus sum de Ecclesia ista, statuens in anima mea nihil ultra mali facere coram oculis Dei, & quod ubi deten-

tus

Digitized by Google

rus à dæmonibus, longe à Deo meo. degebam, ex hodie, deinde-que deinceps liber ab illis vivere cum ipso spero in ipsum. Quod cum universus audisset populus clamavit una voce ad Dominum dicens. Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in Sapientia fecisti. Ex quibus liquet, quid dæmon agat in homine cum ad actus inducit illicitos, & pravos, quidque Dei gratia, vel charitas; Quodnam ex eis ad unionem perducat cum Deo animam, quodque removeat. Unde rejecta remanet quinquagesima secunda Propositio Molinos, videlicet ut supra, &c.

Digitized by Google

CAPUT LIII.

Quinquagesima tertia Propositio Molinos. *Per conoscere in prattica, se qualche operazione in altre persone sia stata violenza, la regola, che nè hò, non solo son le proteste di quelle Anime, di non havere acconsentito, ò il non poter esse giurare di haverli acconsentito; & il vedere, che sono Anime, che profittano nella via interna: mà principalmente mi regolo con un lume attuale, e superiore alla cognizione humana, e Teologica, che mi fà conoscere certamente con interna sicurezza, che tale operazione è violenza, e queste lume son certo, che viene da Dio, perche mi vien congionto colla sicurezza, che venga da Dio, e non mi lascia pur ombra di dubio in contrario in quella maniera, che alle volte succede, che Dio rivelando qualche cosa, nel medesimo tempo assicura l'Anima, che tale rivelazione la fà lui, e l'Anima non può dubitare in contrario.*

Oppositum è contrà dictum;

Quemadmodum juxtà hominum assuetum degendi morem, sub Dei perjucundo rectum regiminis ordine, nequit ex illis quisquam actum agere pravum, quin ad illius effectionem præbeat assensum; ita nec obfirmare sè illi non præstasse consensum, neque perindè dari lumen per quod sic evenisse dignoscatur.

1 QUid haud unquam egit, aut in posterum aget pro implicandis hominibus dæmonis iniquitas? Ad quod non induxit infandum, ut ignominiosius eos capiat, ac torqueat? Et ad quid stultum, miserrimumque non traxit, ut acerbius excruciet? Gentem olim, & ita turpiter illusit Ægiptiam, quod ad bestias deduxit eam adorandas, colere canes, thura Felibus incendere, Altaria lupis extruere, Cocodrillis submisse genuflecti: Imò, & monstruosius auditu, Alliis, cępisque sacrificia offerre: Undè scitè Lucretius hujusmodi insipientium populorum ineptias innuens inquit.

O' Stultas hominum mentes, ò pectora cęca.

2 Eodem quo Cocodrillum Ægiptii, venerabantur Indi cultu Elephantem in Regno Pegù, ut tradunt historiæ, nec absque soluto risu, admirationeque permagna audirentur Cerimoniæ, quæ pro illo,

dieſque feſti agebantur: Tum in comitatu equitum, populique quo ei obſequebantur, tum in aureis quibus eum præcingebant, argenteiſque monilibus, tum in albis umbrellis ſericis cum ſe in flumine lavabat, nè à ſolis calore adureretur. Tum in eo quod quam magni beſtiam æſtimabant, utque pretioſum de Cœlo quid ortum, adeo ut eum mingebat, ipſa ejus urina à primatibus velut aqua luſtralis, ut odorifera collecta, ex ipſa manus ſuas exturgebant, & faciem. Tum denique inter complures cæteras fatuitates in oblationibus, & ſacrificiis, in maximis quas profundebant expenſis in obitu magnæ beſtiæ exequias agentes, eamque lugentes.

3 At horribile ſimul, & miſerandum eſt, quod de nonnullis item fertur aliis Indis, qui pro ſuorum amore Idolorum, utque illis gratiores ſe in holocauſtum exhiberent, miſerrimæ non pavebant morti ſubire. Eſtque quod ſtatuto anni tempore ducentes illa inter pompoſa plauſtra canentium puellarum, plures ex populo devotione illorum fidei moti, projiciebant ſe ante plauſtra, quæ ſuper illos tranſvertentia contundebant eos effectos, ut placentas, oſſa cuncta effringentia, & conterentia, viſceribus horridè, ſanguineque perfuſis, quo pacto ſe credebant acceptum Diis ſuis effici ſacrificium. Alii tranſverberatis lateribus, funibuſque poſt plauſtra tracti, diriſſimè excruciati, animam dilacerati efflabant, quem moriendi modum reputabant gratiſſimum eorum fore Diis, nec de vita ipſorum pretioſius illis fieri donarium. Alii verò ſtrictis gladiis incidentes ſibimetipſis carnes, quarum per ſagittas emiſſis fruſtis, tamquam cœlica ab aſtris miſſa dona, certatim populus colligebat, quique ex illis aliquod arripiebat, fœlicem præ cæteris ſe reputabat, fortuna accepta comedendi, ceù nectarcum ipſum deorum cibum. Et ita itidem exiſtimabant cum de mortuis quorum fiebat ſua ſponte macellum, contritas comedebant ſapide carnes.

4 Tandem horum, aliorumque complurium populorum omiſſis inſanis, derisibilibusque ritibus, cœcitate miſeri per manum Sathanæ capti. Noſtra quoque tempeſtate, evangeliciſque temporibus, quis Maumethi non novit phanaſticam impreſſam in cordibus tot populorum fœdiſſimam legem? Quis non audivit, quo pacto luculentus hic Legislator veluti ſus in volutabro, ſenſualia proponendo ſtatuta, nedum in hoc ſeculo, verum etiam in altero alterius orbis, materialem, atque luxurioſam felicitatem promittens, in ſenſus oblectamentis beatitudinem poſuit? Et quis ejus non perlegit Alcoranum, & non legem fatebitur vitioſiſſimam eſſe, chimericis idolis, ſomniiſque confertam? Rectè igitur libet cum Lucretio pro omnibus ſic mente captis, ipſorum cauſam perorare:

O' ſtultas hominum mentes, ò pectora cœca,

5 Ad

Digitized by Google

5 Ad rem ergò noſtram accedentes, cum per Molinos aſſeritur, ex hoc dignoſci, violentiam fuiſſe dæmonis, actum egiſſe hominem pravum, quia ſcilicet obnunciant ſic agentes ſe ullatenus actibus aſſensũ dediſſe illicitis, vel quod jurare nequeant ſic ſe geſſiſſe in illis. Dolus namque maximus ſubdoli hoſtis eſt iſte. Cum ut perpendimus ſupra cap. 41. juxta ſuavem Dei regiminis ritum, nequeat homo ſub illo degens, præfatæ ſubdi demonis violentiæ ad actus impellentis fędos, &c. Unde juxta humanum degendi curſum, nequit homo actum aliquem externum formaliter efficere, quin ad illum, concurſum habeat per internum, ſeù per liberi opus arbitrii.

5 Dictũ eſt autẽ formaliter ad diſcriminandũ ab actu narerialiter effecto. Quoniam ut docet D. Th. 1. 2. q. 1. art. 1. in *Reſpondeo dicendum, quod actionũ, quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ propriè dicuntur humanæ, quæ ſunt propriæ hominis in quantũ eſt homo. Differt autẽ homo ab aliis irrationalibus Creaturis in hoc, quod eſt ſuorum actuum Dominus. Eſt autem homo Dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem. Undè & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas rationis, & voluntatis. Illæ ergò actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem actiones homini conveniant, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non propriè humanæ, cum non ſint hominis in quantum eſt homo. Undè cum aliquis v. g. Movet pedem, vel manum aliis intentus, vel fricat barbam, hujuſmodi actiones non ſunt propriè humanæ, quia non procedunt ex deliberatione rationis, quæ eſt proprium principium humanorum actuum, & ideo habent quaſi finem imaginatum, non autem per rationem præſtitutum*, ut præcipuè D. Th. ibidem ad tertium dicendum, &c.

6 Ex quibus non modica profilit pro aſſenſu ad actus formaliter humanos ratio: Quandoquidem cum actus propriè, ſeù formaliter humanus externus exilit ab homine, opus eſt, ut ab illo efficiatur per intellectum, voluntatemque agente, ſeù liberum ſui arbitrium, quod finem propter quem agitur exhibet, ergò ejus interveniente aſſenſu, opus eſt, ut homo ad actum exeat externum, quemque ad finem ordinet per intellectum præſtitum, & voluntatem ſui liberum ut Princeps arbitrium, & ſic agere proprium eſt, præcipuumque hominis, ut in præallato ſuggerit D. Thom. art. 2. concludens. *Quod proprium eſt Creaturæ rationalis, ut tendat in finem, quaſi ſe agens, vel ducens ad finem. Naturæ verò irratioalis quaſi ab alio acta, vel ducta, ſivè in finem apprehenſum, ſicut bruta animalia, ſivè in finem non apprehenſum, ſicut ea, quæ omninò cognitione carent.* Cum ergò dicitur Animas in præfatis actibus externis, obnunciare ſe minimè præbuiſſe aſſenſum, imò nec juramentum ferre, illum præſtitiſſe, undè arguatur ex dęmonis violentia præfatos extitiſſe actus illicitos, fallacia ipſius dęmonis eſt, doluſq; animæ permagnus, ac de ipſis valeret etiam cum Lucretio canere:

Digitized by Google

O' ſtultas hominum mentes, ò pectora cæca

Neque hic eſt immorandum ad ſuadendum commentitiam fore præfatam dæmonis violentiam, eo pacto quo illam ſibi effinxit Molinos; Quoniam quam pernicioſa ſit, quamque velut animabus decipulum, ſatis commodè ſupra diſertum eſt, & præcipuè cap. 41. ex quo perindè liquet pro præſenti, quam valdè allucinetur homo, qui in aliquem lapſus errorem actus peccaminoſi, obnunciare velit, & firmè aſſeverans, ſe ullum illi præbuiſſe aſſenſum, & in hoc nequeat juramentum aliquod ferre. Cum fallacia ipſa ſit, & maximè doloſa dæmonis, qui ut facilius, & frequentius inducat ad peccandum homines, Molinicum hoc, molitus eſt commentum, quo eximi ſe reputent homines à culpa perpetrati delicti, dicentes per violentiam pulſi ſe illud egiſſe dæmonis, non autem ex proprio placito voluntatis.

7 Huic deindè figmento, volens ut ejus auctor fidem facere Molinos, in alteram incidit inſaniam, quod ſcilicet hoc ipſum firmiſſimè agnoſcat ex vi cujuſdam actualis luminis, ipſamque humanam, Theologicamque cognitionem tranſcendentis, atque ſuperioris ad eam, quodque lumen pro certo tenet à Deo ipſo diffundi. Quid ſublimius fateri poſſet divini oraculi particeps? Quid ſpecialius profiteri, qui ut Samuel vellet ſibi nomen arrogare videntis? Et quod majus diploma, ceu regium jactare ſibi à Deo tributum, qui hujuſmodi ab ipſo perciperet lumen? Et tamen adhuc auditur, qui tantum ſe beneficium percepiſſe oſtentat. Quis autem iſte ſit, & cujus celſitudinis ut hæc audeat aſſerere? Aliquem fortè dicamus eſſe de quadrigentis Prophetis illis Regis Achab, in quorum ore Spiritu ingrediente mendacii permittente Deo, dedit Dominus ſpiritum mendacii, ut fertur 3. Regum cap. 22. Cum ergo Molinos lumen divinitus accepiſſe dicat, quod nonniſi de mendaci, ac falſo eſt objecto, vereor ne vice veri luminis, & veritatis, ſpiritus mendacii vigeat in ore ejus, ac falſitatis. Et inde obumbrare potius habeat, quam illuminare, cum ex inſtinctu illius ſpiritus loquatur, qui ut à veritate, fonteque veritatis recedens, facienſque recedere, illuminare non habet, ſed obumbrare, ut de dæmonibus docet Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 109. art. 3. non dari, concludens in illis, illuminationem: Quippè qui ut Lucifugæ Solem aſpicere abhorrentes primę veritatis, ſicut & primæ bonitatis amare, renuunt ad illum ordinare quæ agunt, vel ad quæ peragenda præmovent homines.

8 Nihilominus ad Molinicum coarguendum errorem, & quam aberret ejus auctor allucinatus in lumine, quod tam ſublime reputat ſibi effuſum. Noſſe neceſſum eſt, quod lumen ſuperius ad non tam humanam, quam Theologicam cognitionem, eſt lumen ipſius ſcientiæ Dei, & Beatorum. Siquidem cum cognitio, ſeu ſcientia theologica

ſit

Digitized by Google

sit scientia subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, ut commune cum D. Thom. est Theologorum votum 1. p. q. 1. art. 2. lumen per consequens ejus subalternum est, seù subordinatum, tamquam superiori lumini scientiæ divinæ, ac Beatorum: undè cognoscere per lumen superius ad cognitionem humanam, atque Theologicam, cognoscere perindè foret per ipsam Dei scientiam, & Beatorum. Quod quam absonum sit audire in tam pravæ cognitionis viro, ac insuper de adinvento, sivè confiçto objecto, planum est. Quod si reputat hoc sibi per specialem Dei revelationem innotescì. Notam non effugit, & plus dementiæ, quam temeritatis, cum se inter illos adnumeret eroicos viros, cum quibus locutus est Deus, & ostendit illis secreta sua. Et eo etiam, quod cum ista nonnisi de veritatibus detegantur, prima irradiante de ipsis in mentibus hominum veritate divina, implicat de mendacibus fieri objectis, commentitiisque idolis, uti forent opera turpiter acta per violentiam dæmonis. Cum enim nulla sit conventio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial, nequit à Patre luminum, sic radius effluì, ut sanciat pro umbra mendacii, ac deceptæ humanæ mentis confirmet errorem.

9 Verumtamen homo iste, qui tam altè sapere præsumit, ut sapiat quam prerioſus sit sermo Domini, quamque paucis, & quibus conferatur, audiat Gregorium Magnum Pontificem Maximum in Job cap. 20. super his verbis. *Ad me dictum est verbum absconditum, allocutio intimæ aspirationis intelligi: de qua Ioannes dicit, unctio ejus docet vos de omnibus. Quæ nimirum aspiratio humanam mentem tangendo sublevat, & temporales cognitiones deprimens, æternis hanc desideriis inflammat: ut nihil ei jam nisi quæ suprema sunt libeat: & cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione contemnat. Absconditum ergo: verbum audire est locutionem Sancti Spiritus corde concipere. Quæ profectò sciri non potest, nisi à quo haberi potest.* (hinc nota quod cum præfata locutio à Molinico corde haberi non possit, utpotè indigno tanto dono, ab ipso ex consequenti sciri non potest: illud ergo de quo se jactat magna vanitas est, & magna miseræ mentis circumventio) *Et quoniam valdè in humano genere parvi sunt,* (nota) *qui à desideriorum carnalium corde purgati, ad perceptionem Sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatantur, verbum hoc absconditum dicitur: quia illud à quibusdam procul dubio in corde concipitur, quod à maxima hominum parte nescitur, &c.*

10 Præterea ut manifestius appareat, quam valdè allucinetur hic idem homo, in eo quod credit se lumine divinitus illuminatum de certitudine violentiæ actę dæmonis ad actum perpetratum pravum: opus est, ut modum agnoscat, quo anima verè dicatur, & meritò jurare nequeat se ullum præbuisse assensum: modus ergò docetur ab Augustino de Verbis Apostoli serm. 3. quo post plurima disertissimè dicta

sic

Digitized by Google

sic inquit in fine. *Gratias Deo qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. Ergo cum coperis laborare pugnans contra concupiscentias carnis, spiritu ambula, spiritu invoca, donum* (en actus hominis interioris reluctantes hostis acribus impugnationibus) *& si lex in membris repugnat legi mentis tuæ, ex parte inferiori, ideſt à carne captivum te tenet sub lege peccati, & hoc emendabitur, & hoc transiet in jura victoriæ. Tu tantum clama, tu tantum invoca: oportet semper orare, & non deficere, invoca omninò, invoca adjutorium. Adhuc te loquente dicit. Ecce adsum: intellige, & audi dicentem animæ tuæ salus tua ego sum.* (& paululum infra) *Exclama in angustiis, quis me liberabit de corpore mortis huius, ubi lex in membris meis, repugnat legi mentis meæ. Candelector enim legi mentis meæ secundum interiorem hominem, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Si hoc fideliter, si humiliter dicis, verissimè respondetur. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Tunc igitur anima veridica est cum se non assensisse fatetur, quando nimirum prædictos efficit actus clamoris, invocationis, orationisq; ad Deum, ut suo præsto sit adjutorio contra impetus quantumvis vehementes carnis, vel dæmonis. Quapropter idem S. Pater Augustinus de eisdem verbis Apostoli serm. 6. de effectibus Baptismi inter cætera differens, quodque Baptismus etsi præterita peccata deleat, non tamen carnis infirmitatem tollit. Inquit, *Quidquid enim concupiscentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, sive in factis, sivè in cogitationibus, totum deletum est sacro Baptismate, omnia delevit una indulgentia. Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas, inest, titillat delectatio, illicitæ concupiscentiæ, pugna, resiste, noli consentire, & impletur hic post concupiscentias tuas non eas: quia & si quando surrepunt, & usurpant sibi oculum, aurem, linguam, volaticam cogitationem, nec sic desperemus de salute nostra. Ideo quotidiè dicimus. Demitte nobis delicta nostra, &c.*

11 De qua eadem cum hujusmodi perfido, molestoque hoste acerrima pugna, quamque in ea valide dimicando, corona sit animæ præcelsæ laudis, demumque gloriæ, idem ibidem Sanctus Doctor agens, & præsertim in sermonibus de Verbis Apostoli, inquit in 5. discrimen innuens inter non concupiscere, & post concupiscentias non ire. *Aliud est non concupiscere: aliud post concupiscentias suas non ire. Non concupiscere omnino perfecti est: post concupiscentias suas non ire pugnantis est, luctantis est, laborantis est. Ubi fervet pugna, quare desperetur victoria, &c.* His ergo fortitudinis actibus, dicendum est animam dæmonis non assentiri conatibus, hisque strenuitatis operibus in decertando se gerens, poterit illa fortè se minimè consensisse asserere, itemque jurare. At quoniam hujusmodi præclara bellandi gesta, non agnoscere se fatetur Molinos, ut præcipuè in 17. propositione,

Digitized by Google

tione, nec non 24. 37. & 47. relatum est supra de ipso, simulque impugnatum, non mirum quod sic insipienter de anima loquatur, deq; seipso se reputans divino lumine præditum.

12 At quod sic insipienter sentiat, causam ulterius indicemus. Quoniam ut sensibilibus obsequens, eisque tantum inhærens, non se ad veritatis sublimia sublevat, neque ad illius cœlicum, verumque lumen mentis obumbratæ aciem dirigere valet. Undè meritò deridens eum ut stultum videtur loqui Apostolus 1. ad Cor. 2. inquiens. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur.* Et ut noscat, cujus est judicare, rectumque formare judicium, sic ipsemet prosequitur Apostolus. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur, &c.* Quod Divus Thomas exponens, nec non vitia Animalis hominis innuens, ac per consequens Molinicè sentientis, sicut è contra rectè sapientis, puta spiritualis, sic ait, & amplè cuncta perpendens.

13 *Considerandum est primò quis homo dicatur animalis. Est ergo considerandum quod anima est forma corporis. Undè propriè anima intelliguntur illæ vires, quæ sunt actus corporalium organorum scilicet vires sensitivæ: Dicuntur ergo homines animales, qui huiusmodi vires sequuntur: inter quas est vis apprehensiva, & appetitiva, & ideò dupliciter homo potest dici animalis. Uno modo quantum ad vim apprehensivam, & hic dicitur animalis sensu, qui sicut dicitur in Glossa de Deo iuxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam iudicat: quæ secundum vires sensitivas accipiuntur. Alio modo dicitur quis animalis quantum ad vim appetitivam, qui scilicet afficitur solum ad ea quæ sunt secundum appetitum sensitivum, Et talis dicitur animalis vita, qui sicut dicitur in Glossa, sequitur dissolutam lasciviam animæ suæ,* (nota pro vita Molinica) *quam inter naturalis ordinis metas spiritus rector non continet. Undè dicitur in Canonica Iudæ. Hi sunt qui segregant semetipsos animales spiritum non habentes.*

14 *Secundo autem videndum quare tales possint percipere ea quæ sunt Spiritus Dei: Quod quidem manifestum est: & quantum ad animalem sensum: & quantum ad animalem vitam. Ea enim de quibus Spiritus Sanctus illustrat mentem sunt supra sensum, & rationem hominis, secundum illud Ecclesiast. 3. Plura supra sensum hominis ostensa sunt tibi. Et ideò ab eo capi non possunt, qui soli cognitioni sensitivæ innititur. Spiritus etiam Sanctus accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis. Et ideò ille, qui est animalis vitæ non potest capere huiusmodi spiritualia bona: quia Philosophus dicit in 4. Ethic. quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei. Proverb. 18. Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ei dixerit, quæ versantur in corde eius, Ecclesiast. 22.*

Cum

Digitized by Google

Cum dormiente loquitur qui narrat sapientiam stulto;

15 Quoad id autem quod subdit Apostolus stultitia enim &c. prosequitur D. Thom. inquiens. *Quod scilicet Apostolus. Manifestat quod dixerat per signum. Cum enim aliquis aliqua sapienter dicta reprobat quasi stulta: Signum est, quod ea non capiat.* (Quantum autem peccet in hoc Molinos ex ejus pluries propositionibus constat, reprobans Sanctorum Patrum doctrinam, & ut expressè ut absurdam, ac derisibilem audet in 26. & 66.) *Quia igitur animalis homo ea quæ sunt Spiritus Dei reputat stulta: ex hoc manifestatur, quod ea non capit. Et hoc est, quod dicit. Stultitia enim est illi scilicet animali. Iudicat enim esse stulta, quæ secundum Spiritum Dei aguntur Ecclesiast. 10. In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens omnes stultos æstimat. Quod autem homini animali, quæ secundum spiritum sunt videntur stulta: non procedit ex rectitudine sensus: sicut sapientes aliqua iudicant esse stulta, quæ stultis videtur Sapientia, propter defectum intellectus; quia homo sensui deditus non potest intelligere ea quæ supra sensum sunt, & homo carnalibus affectus, non intelligit esse bonum nisi quod est delectabile secundum carnem.* (Quam appositè hæc verba feriant Molinos, non opus est explanare, cum apertè ejus vita, assertaque consideranti pateat) *Et hoc est quod sequitur. Et non potest intelligere. Psalmus. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, quare autem non possit intelligere ostendit subdens.* (*Quia spiritualiter examinatur*) *idest spiritualium examinatio fit spiritualiter. Nunquam enim inferior potest examinare, & iudicare ea quæ sunt superioris, sicut sensus non potest examinare ea quæ sunt intellectus. Et similiter neque sunt sensus, neque ratio humana potest iudicare ea quæ sunt Spiritus Dei. Et ita relinquitur, quod hujusmodi solo Spiritu Sancto examinantur secundum illud psalmistæ. Eloquia Domini igne examinata. Probata scilicet à Spiritu Sancto, non potest spiritualia examinare. Et per consequens nec ea intelligere.* Cum ergo ex his rectè inferatur convictum esse Molinos, in eo quod sit animalis homo, ac perindè ut Spiritu Sancto carens, quodnam unquam lumen superius erit illud, quod se jactat habere? Quænam quæso cælicæ irradiatio lucis in ipso, qui ad falsa tendit astruenda dogmata, animasque obumbrantia?

18 Munus ergo rectè judicandi ad hominem spiritualem pertinet, eique cui ex hoc spiritualia sunt tradenda. Quis autem homo dicatur spiritualis explicat ibidem D. Thom. & notandum esse inquit. *Quod Spiritus nominare consuevimus substantias incorporeas: Quia igitur aliqua pars animæ est, quæ non est alicuius organi corporei actus scilicet pars intellectiva comprehendens intellectum, & voluntatem: huiusmodi pars animæ spiritus hominis dicitur: quæ tamen in Spiritu Dei, & illuminatur secundum intellectum, & inflammatur secundum affectum, & voluntatem. Dupliciter ergo dicitur homo spiritualis, Uno modo ex parte intellectus,*

Spi-

Digitized by Google

Spiritu Dei illustrante. Et secundum hoc in Glosa dicitur quod homo spiritualis est; qui Spiritu Dei subjectus certissimè, ac fideliter spiritualia cognoscit. Alio modo ex parte voluntatis, Spiritu Dei inflammante: & hoc modo dicitur in Glosa, quod spiritualis vita est qua Spiritum Dei habens rectorem, animam regit ideſt animales vires. Gal. ultimo. Vos qui spirituales estis instruite huiusmodi &c.

17 *Secundo considerandum est. Quare Spiritualis dijudicat omnia, & ipse à nemine indicatur. Ubi notandum est, quod in omnibus ille qui rectè se habet, rectum iudicium habet circa singula. Ille autem, qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in iudicando. Vigilans enim rectè judicat, & se vigilare, & alium dormire: sed dormiens non habet rectum iudicium de se, nec de vigilante. Undè non sunt res tales quales videntur dormienti: sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano, & infirmo circa iudicium saporum: & de debili, & forti circa iudicium ponderum: & virtuoso, & vitioso circa agibilia. Undè & Phylosophus dicit in 5. Ethic. Quod virtuosus est mensura, & regula omnium humanorum, quia scilicet in rebus humanis, talia sunt singularia, qualia virtuosus iudicat omnia. Quia scilicet homo habens intellectum illustratum, & affectum ordinatum per Spiritum Sanctum, de singulis quæ pertinent ad salutem, rectum iudicium habet. Ille autem qui non est spiritualis, habet etiam intellectum obumbratum, & affectum inordinatum circa spiritualia bona. Et ideò ab homine non spirituali, spiritualis homo iudicari non potest, sicut nec vigilans à dormiente.*

18 Hinc de dormiente quietista inferre fas est, quod cum homo spiritualis ipse non sit, utpotè intellectum illustratum, voluntatemque inflammatam à Spiritu Sancto non habens, rectè judicare nequit, nec aliquod rectum efformare dictamen de alterius vita, vel actis, imò nec de seipso, sicut dormiens, qui de seipso nullum formare valet rectum judicium, neque de aliis. Ex quo itidem & appositè subjungimus, ut suggerit D. Thom. ex eo quod assimilat de dormiente, in quo nullum vigere potest verum judicium, cum intellectum habeat obumbratum, inconnexisque phantasmatibus actuatum: Cum enim ut dormiens in sua quiete se habeat, jaceatque quietista, intellectum habeat obumbratum, fallacibusque speciebus implicatum, ac per consequens non Cœlico, sed terreno, fœdoque more succensam voluntatem, nonnisi distorta, fallacia, tenebricosaque queunt sua esse iudicia, difformiaque dictamina. Et profecto haud aliter se nequit habere, cum in eo radii non effundantur Angeli lucis, sivè magni consilii: Quinimò Angeli tenebrarum, & magni horroris. Non illustrationes effulgeant Spiritus Sancti: Quinimò caligines horrificent Spiritus nequam. Non denique Lumina de Cœlo circumfluant ad cor rectum afficiendum: verùm de abyssu tenebræ obducantur ad cor pravum inducendum,

Digitized by Google

19 Ex quibus agnoſcitur, quam admodum allocinetur, aberretque Molinos ſe jactans, lumine ſe quodam ſuperiori, & pluſquam Theologico præditum, quod ipſum certiſſimè noſcere facit per violentiam dæmonis effectas eſſe, relatas ab eo noxias immundaſque operationes, certum inſuper ipſum fore præfatum lumen veniſſe à Deo, &c. Valdè namque circumvenitus eſt miſer: Quandoquidem cum lumen nuncupatum ſuperius ad notionem naturalem, ac Theologicam ſit lumen, ipſius fidei, ſivè principiorum ſupernaturalium Theologicæ Scientiæ, & hoc implicat tendere, vel inclinari ad falſum, cum fidei, cujus objectum formale eſt veritas prima, nequeat ſubeſſe falſum. Manifeſtè patet valdè cęcutire Molinos, ſubque jacere tenebris ignaviæ, cum lumen quod ſibi datum effingit, non ſit lumen, ſed umbra, non ad veritatem ducat, ſed ut nox effuſa ad inſipientiam, & falſitatem, ut ſupra quoque arguimus num. 7. & 8.

20 At inſpectis argutiis verſipellis Prædatoris animarum, haud quaquam illud mirandum eſt, tot in illis innaſci pernicioſos effectus: Ut multicolor enim carnalem, variatim perſonam induens illaqueat, interficitque homines; Quod & intus agit, & extra per varias illuſiones, & figmenta, uſque ad trasfigurandum ſe in Angelum lucis. Cujus aſſumpta ſpecie, quendam decepit ſenem, Hero nomine, quem tandem à Summis ad ima dejecit. Quinquaginta etenim annis in Eremo commoratus, ac ſingulari diſtrictione rigorem continentiæ tenens, ſecretaque ſolitudinis ſuper omnes in deſerto degentes, miro fervore ſectatus, miſerando denique complevit exitu. Hic igitur quo pacto, quave ratione poſt tantos labores ab inſidiatore Zabulo deluſus, graviſſimo corruptus lapſu, cunctos in eremo luctuoſo dolore percuſſit. Siquidem nimio plus ſibimet, ſuiſque virtutibus adhærens, anſam præbuit Sathanæ ad ipſum validè aggrediendum: Quoniam ſua præſumptione deceptus, Angelum Sathanæ velut Angelum lucis cum ſumma veneratione ſuſcipiens, ejuſque præceptis prono obediens famulatu, ſemet ipſum in puteum cujus profunditatem oculorum non attingebat intuitus præcipitem dedit, de Angeli ſponſione non hæſitans, qui eum pro meritò virtutum, ac laborum ſuorum, nequaquam poſſe firmaverat ulli jam diſcrimini ſubjacere. Cujus rei fidem ut experimento ſuæ ſoſpitatis evidentiſſimè comprobaret: ſupradicto ſe puteo nocte intempeſta eluſum injecit, magnum ſcilicet virtutis ſuæ meritum probaturus: cum indè exiret illeſus. Qui delndè conquiſitus à Fratribus, & in profundo putei proſpectus, cū penè jam exāguis, ingenti illorum labore fuiſſet extractus, die tertia de vita migravit. Et quod his deterius eſt: ita in deceptionis ſuæ obſtinatione permanſit, ut ei ne experimēto quidē mortis ſuæ poterit perſuaderi, quod fuiſſet dæmonis calliditate deluſus, & ita pertinax in ſua perfidia miſerrimè deceſſit: En ad quæ perducit efficta

luce

Digitized by Google

luce personatus Lucifer. Quęque sui fucati luminis perhorrēda vestigia.

21 Ad quas pariformiter induxisset, ni Deus sua pietate evitasset, & præ plurimis aliis quorum mentio enarranda supperetet, evenisse ferrur in altero, solitariam agente vitam. Qui dum jamdudum dæmonem susceptsset in Angeli claritate. Revelationibus ejus innumeris sæpè deceptus, credidit internuncium esse justitiæ: ac inter cætera per omnes noctes in Cella ejus lumen absque ullius lucernæ præbebat officio. Ad extremum jubetur à Dęmone ut Deo filium suum, qui cum eo pariter in Monasterio commanebat offerret, ut scilicet hoc Sacrificio Abrahæ Patriarchæ merito æquaretur. Cujus adeò est persuasione seductus, ut parricidium opere perfecisset: nisi eum videns puer cultrum extra consuetudinem acuendo præparare, & vincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringeret disponere: præsagio sceleris perterritus aufugisset.

22 Ita itaque dæmon agit pro subvertendis, perdendisque hominibus, consuetus multimodè ad illos everrendos nequiter suas construere insidias. Quod & ab ipsius orbis exordio perpetrat, & usque sine intermissione ad ejus occasum, pro hominum exercitio, quos ad continuè cum dæmone bellandum decrevit Deus pro ipsorum corona si victores fuerint, vel ipso permittente, perditione, si victi: in quo nullatenus conquesti possunt, cum semper eis præsto sit præsidio, gratiæ suffragia præbendo, Angelosque præstituendo custodes; nec non & lumen tribuendo satis valens ad dæmonum agnoscendas versutias, &c. His igitur armis pugnare nos opus est, his propugnare, hisque à Sathanæ fallacibus præcavere artificiis, eaque implorare de Cœlo.

23 Quod totum ex ore commonentis auditur Sancti Patris Augustini, serm. 76. ad Fratres in Eremo. De cogitationibus. *Primum quidem cogitationibus malis repugnandum est, ut cum aliquid carnale, aut sordidum suserravit adversarius, priusquam sauciat mentem sagitta deleatur, & excutiatur: Solet enim tristitiam afferre, & dubitationes de proposito, & desperationem bonorum adspirare, & varias cupiditates ingerere, & omnes omnino sagittas, acuere, ut sicut in decimo psalmo scriptum est. Ut sagittent in obscuro rectos corde. Tu ergò mox cum senseris ista, molire geminato suspirio ad Dominum mente conversa nè permittas accedere consilium, quod sensum possit inquirere. Sicut enim vestimentum candidum si fuerit sanguine aspersum, si mox fueris lotum candorem suum recipit, si autem insederit, & inoleverit macula vix lavatur: sic & mens humana, si surgentem cogitationem mox deleverit, poterit suum retinere candorem: Si autem diutius residere permiserit, vix cum magno labore purgatur. Hæc est autem prima victoria secreti certaminis nostri quod Dominus expectat, & Angelus, cum cogitationibus malignis mens humana fideliter occurrit, & bonis operibus*

malos superat cogitatus, Hinc laus nascitur, hinc crescit gloria sicut Apostolus ait. Cum venerit, inquit Dominus, & illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordis, tunc laus erit unicuique à Deo. Manifestum est enim apud fideliores, quia non solum de factis, sed etiam de cogitatis aut laus, aut vituperatio à Deo Iudcie tribuatur. Item quod inviti patimur cogitationes frequenter, non nos luteat Fraeres, quod maligni frequenter cogitationes sustinemus, quando autem contingit, cum Apostolo dicamus; Non quod volo, hoc ago, sed quid odi illud facio, & video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Et revera unum, propriumque studium est Sathanæ, humanam mentem prius gravare Consilii. Siquidem hanc injuriam ab eo exordio sortiti sumus, ut nos serpentis caput observemus, ille autem nostrum calcaneum, utique non nostrorum pedum calcaneum, sed mentis finem observat, ut si quo modo possit currentem ad Cœlestia animam morsu suo ad terrestria retinere. Adversus has ergò obscuritates malorum, ut synceris mentibus vivere possimus, cordis oculi benè cauti sint. Et ut vincamus, arma nobis sunt valdè necessaria. Arma inquit, militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem, malorum consilia destruentes.

24 His Sancti Doctoris hortatibus, duo præcipuè nobis addiscenda traduntur. Primò quam dolosè se Dæmon in cordibus se ingerat hominum, quamque ibi fallaces inferat species, falsa veritatis obliniendo coloribus, ad quæ subdola repellenda phantasmata, arma tractanda sunt cœlitùs habita, eaque firmiter efflagitanda de Cœlo, ne de cætero ingressum habeat hostis, inficiatque tenaci macula mentem, ut de veste aspersa sanguine idem exemplicat Augustinus, & ita recepta pro veritate fallacia, pro claritate tenebra, obumbrata remaneant nigrefacta manu Angeli tenebrarum vicem pravè gerentis Angeli lucis, interiora hominis: Ad quæ non advertens illusus, & ipse Molinos, se sic insipienter credidit illuminatum. Secundò pro eo quod infra subdit idem Doctor, Sathanam prius aggredi mentem, & postmodum ad cæteros transit pravitatis actus, ut si v. g. Motus excitatur concupiscentiæ, aut irascibilis, prius dæmon ad mentem evolat, ut ea suis sophysmatibus illecta, imò subacta, voluntatem indè trahat in assensum, ut cæca in foveam ducta, & his ex parte obtentis superiori, seu intellectiva, deindè in actum prorumpatur externum turpem; aut noxium: Contingentibus ergò, Divus commonet Augustinus, præfatis cogitationibus motis per Sathanæ consilia, dicendum est cum Apostolo, non quod volo sic ago, sed quod odi illud facio. quod est caput conterere serpentis, motibus qui insurgunt concupiscentiæ, quive de facto

facto fiunt, ſuntque ipſius ſtimuli carnis, ullatenus illis cum rationis, voluntatiſque concurſu, aſſentiamur, vel complaceamus: & hoc eſt caput conterere ſerpentis, qui à ratione incipit in conſtructione actuum immundorum, ſivè noxiorum.

25 Et hinc denuò apparet quam admodum decipiatur Molinos in ſuis propoſitionibus de violentia dæmonis agentibus, ut eſt quadrageſima prima, cæteræque ſequentes. Cum ex modo relatis Divini Auguſtini hortamentis, planè clareat quod dæmon nequaquam a liqua vi phyſica, ſeù violentia utatur, ut hominem ad actum turpem, vel noxium inducat, benè verum morali, ſivè conſiliativa, vel ſuaſoria, incipiens à parte ſuprema, ut deindè ad infimam deſcendat, vel carnalem actus immundi, aut illiciti conſummata, & completa: cui ut obſiſtentes occurramus venefici, veniferique conſiliarii ſuggeſtioni, pro imitamine exemplum affert Apoſtoli cum quo ut Magiſtro fortitudinis contra tartareum ſuggerentem hoſtem, dicendum eſt hortatur, non quod volo hoc ago, ſed quod odi illud facio, ut fusè prædictum eſt in expugnanda quadrageſima quinta propoſitione, ut ſupra, &c.

26 Ex quo promimus pro quanto attinet ad præſens, quam valdè aberret in ſuo cogitatu Molinos reputans ſe quodam ſupremo lumine fultum in dignoſcenda negatione conſenſus in violentiis quas a dæmone inferri animabus imaginatur: quamque itidem iſtæ deceptæ ſint, fatentes ſe non aſſenſiſſe, vel minimè; jurare poſſe ſe aſſenſiſſe; cum allundè circumventæ miſeræ, haud ipſasmet adverterint, dolum fuſſe Sathanæ opera ipſarum pravè acta, ſicut & credulitatem. Quod minimè mirum eſt, cum ductæ manu cœci Ducis, & Magiſtri, pariter ſicut iſte, ipſæ in foveam corruunt inſanientium.

27 Audiant ergò, intendantque ad quæ docet Divus Ambroſius Epiſcopus ſuper Lucam 9. cap. 21. ediſcantque ſe præcavere de Sathanæ, omniumque hoſtium tentamentis, cujus canonem indicens in præallato Sanctus Antiſtes, poſt variis generis bellorum examen, ſic proſequitur: *Sunt autem, & alia bella, quæ vir ſuſtinet Chriſtianus, diverſarum quoque prælia cupiditatum, ſtudiorumque conflictus: multoque graviores domeſtici hoſtes, quam extranei. Nunc avaritia ſtimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat, nunc ambitio movet, nunc tentant ſpiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus. Itaque quaſi quibuſdam urgetur prælis, & quibuſdam terræmotibus quatitur mobilis animi nutantis affectus; ſed fortior dicit: Si conſiſtant adverſum me caſtra non timebit cor meum, ſi exurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo.*

28 Cum ergo ſic tentamenta repellit fortis effecta per Dei gratiam anima, poterit, & conſtanter aſſerere ſe non præbuiſſe con-

consensum nec tali pacto re se habente, locum illum habebit conficta violentia Molinos, suique dementia luminis. Si namque conspexisset animam cum Divo Ambrosio, velut Amazonem decertantem in bellis, quæ contra ipsam insurgunt, & perstrepunt tot aggredientium hostium, ut supra indixit Sanctus Præsul, non autem socordem, & abjectam, ut ipse stultè suadet, & præsertim profert in quadragesima septima propositione, haud inscié sic de suo lumine se jactasset, eisque denegasset per illatam violentiam assensum.

16 Quonam verò pacto præ cæteris præliantibus contra animam hostibus, dicantur dæmones tentantes, spiritualia nequitiæ, quæ sunt in Cœlestibus: æquum est pro intellectu explanemus cum Divo Thoma super illud Apostoli ad Ephesios cap. 6. lect. 3. in fine, agens de potentia dæmonum, & malitia, inquit: *Quod sunt etiam astuti: quia contra spirituales nequitias emphaticè loquendo, per quod intelligitur plenitudo nequitiæ. Dicit autem spiritualia nequitiæ: quia quanto est altior secundum naturam: tanto quando convertitur ad malum est pejor, & nequior. Undè Phylosophus dicit quod homo malus est pessimus animalium. Et ideò dicit, spiritualia nequitiæ, quia spirituales, & nequissimi sunt. Et dicit in cœlestibus, duplici de causa. Vel ut ostendat virtutem, & avanthaginm quod tangit super audi nos: quia nos in terra: ipsi autem in alto idest in aere isto caliginoso: & ideo habent partem meliorem Lucæ 8. Volucres Cœli comederunt illud. Vel dicit in cœlestibus; quia pro cœlestibus est ista pugna, & hoc debet animare nos ad pugnam.*

27 Tandem ut amplius clareat, quam meritò rejicienda sit ut fallax adinventa violentia Molinica, libeat cum eodem subjungere Angelico Doctore ibidem, quod nempè dæmon non per violentiam ad peccatum inducit, sed per insidias, & fallacias: refert ergò Divus Thomas in principio lectionis. Illud Job. 17. *Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Sed posset dici: Si Deus meus potest, & vult, debemus esse securi. Ideò respondens dicit quod non: imò debet quilibet facere, quod in se est: quia si inermis iret ad bellum, quantumcumque Rex protegeret eum esset in periculo. Et ideo dicit: Induite vos armaturam Dei, idest dona, & virtutes Rom. 13. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamor arma lucis &c. Colos. 3. Induite vos ergò sicut electi Dei Sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, &c. Quia per virtutes homo protegitur contra vitia, sed contra. Quia Dominus est Rex ita potens, quod nullus potest eum impuguare. Respondeo; Verum est per violentiam, sed per insidias, & fal-*

& fallaciam impugnat eum Diabolus in membris ſuis (nota benè) *non inde. Quia ut dicitur Eccleſiaſt. 11. Multæ ſunt inſidiæ doloſi. Et ideo ſubdit. Ut poſſitis ſtare contra inſidias Diaboli. Petri V. Sobrii eſtote, & vigilate, &c. Pſalmus. Inſidiatur in abſcondito quaſi Leo, &c.* Figmentum ergò Molinicum eſt, Diabolum violentiam inferre animabus cum pravè operantur. Commentitium, illas cum malè agunt, non aſſenſiſſe, & in hoc non poſſe jurare: ac tandem inſomnium hoc per aliquod ſupremum lumen Molinos agnoſcere. Undè ut inanis reſpuenda remanet ſua quinquageſima tertia Propoſitio, videlicet ut ſupra, &c.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google